

1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX;

AD EXEMPLAR GILBERTI WAKEFIELD, A. B.

CUM EJUSDEM

NOTIS, COMMENTARIIS, INDICIBUS,

FIDELITER EXCUSI.

ADJECTÆ SUNT

EDITIONUM QUINQUE, IN QUIBUS PRINCIPIS, FERRANDI,

LECTIONES VARIANTES OMNES;

UT ET INTEGRÆ RICARDI BENTLEII

ANNOTATIONES, ILLUSTRATIONES, CONJECTURÆ,

EX IPSIUS AUTOGRAPHO,

IN MUSÆO BRITANNICO CONSERVATO.

VOLUMEN PRIMUM.

GLASGUÆ:

Excudebat Andreas Duncan, Academiæ Typographus.

VENEUNT APUD BELL & BRADFUTE; GUL. LAING;

DOIG & STIRLING; ET ARCH. CONSTABLE & SOCIOS, EDINBURGI:

ET ANDREAM DUNCAN, GLASGUÆ.

1813.



LECTORI

HUJUSCE EDITIONIS,

S.

Quid in hac T. Lucretii Cari editione expectandum, paucis accipiat Lector eruditus.

Poëtæ Textus, qui vocatur, ex Recensione Gilberti Wakefield, A. B. repræsentatur; prout scilicet, ipse, Vir doctus et acutus, atque supellectile non tenui, ad ejusmodi munus fungendum, instructus, edidit, forma majore, Londini, Anno MDCCXCVI.–VII.

Viri docti ejusdem Præfationes, Argumenta, Notas, Commentarios perpetuos, Indices, cætera, id genus, omnia quibus editionem suam ditavit et instruxit, ingenio ejus atque industriæ accepta gratè referentes, in hanc nostram transtulimus.

Synopsin præterea singularem, eandemque, ut nobis videtur, utilissimam, Lucretii vetustiorum quatuor editionum, in quibus Principis, Ferrandi, cum Editione Bipontina prima, per

versus Poëmatis omnes, collatarum, lectoris oculis subjecimus. Synopsis illa, cura et industria viri Reverendi Joannis Gerardi, Siglarii Romani editoris, conscripta, summa nobis liberalitate, quo perfectior et ornatior hæc editio prodiret, ex penu ditissimo suo, subministrata, a Viro Nobilissimo, COMITE SPENCER, literarum elegantiorum amore, simul atque patrocinio, semper insigni.

Notas, denique perpetuas viri Criticorum sagacissimi, RICARDI BENTLEII, quas ad oras libri sui adscripserat, quo tempore ipse, ut fertur, Lucretii editionem novam moliretur, ad calcem nostræ adposuimus. Notas illas, a Wakefield sæpissime laudatas, carptimque in Commentarios suos, quanquam tunc temporis, vix ad auctorem certa auctoritate referendas, translatas, omnes ingeniosas, multas multa doctrina refertas, quod nunc demum integras et continuas in lucem proferri contigerit, Musæi Britannici Curatorum humanitati debetur; quippe a quibus liberaliter concessa facultas illas exscribendi, ex ipsius Bentleii libro, a Tanaquillo Fabro edito, Salmurii, Anno MDCLXII. qui liber jam in Musæo conditus servatur.

Hisce jam Annotationibus, reliquiis Viri doctissimi, nunquam sine reverentia inter criticos nominandi, ex ipsius Autographo ad amussim exscriptis, gaudeat Lector eruditus.

GLASGUÆ,
Ipsis Kalendis Junii, 1813.

HONORATISSIMO

GEORGIO JOANNI

COMITI SPENCER;

VIRO,

LITERARUM HUMANIORUM,

STUDIO, ET PATROCINIO,

EMINENTISSIMO,

HANC T. LUCRETII CARI

EDITIONEM,

IPSIUS MUNIFICENTIA,

ORNATAM ADAUCTAMQUE,

ANIMO GRATO PIOQUE,

D. D. D.

ANDREAS DUNCAN,

Acad. Glasg. Typog.

VIRO
Seculi Sui
ILLUSTRISSIMO,
et
VERE HONORABILI,
CAROLO JACOBO FOX;
Elegantioribus Ingenii Dotibus
EMINENTISSIMO;
Eloquentiæ Venâ
Copiosæ, Facilis, Inaffectatæ, Vividæ, Sublimis,
PROFLUENTI;
Virtutibus Iis Omnibus
Quæ Virum Politicum Exornent,
CONSUMMATISSIMO;
Sed Ob Teneros Affectus Animi
HUMANISSIMAMQUE BENEVOLENTIAM
IN PRIMIS VENERABILI:
HOC VOLUMEN
Nobilissimi Poëtæ Carminum,
E Non Ignobili, Uti Sperat, Editione,
ET FORTASSE
Cum FOXII Ipsius Nomine
In Ævum Serius Perennaturâ,
Vovens Omnia Faustissima,
DAT, DICAT, DEDICAT,
GILBERTUS WAKEFIELD.

a

TE salvere jubet simplex, si rustica, Musa;
   Angligenûm, Foxi! gloria, robur, amor.
Quæ, succensa tuis animi virtutibus, audet
   Desuetis Latium carmen inire modis;
Prorepensque humili caligantique recessu,
   Opposito rutilum provocat ore diem.
Sed neque, quod sociis cursu comes ire negâris
   Deflexo, intrepidus, propositique tenax;
Dumque leves animos timor attentaret inanis,
   Institeris rectam fidus, ut ante, viam:
Sed neque, quod referas, quem mirabantur Athenæ
   Torrentem eloquii, vel Cicerona tones;
Quod rapidi ningues jam lingua profundat Ulixis,
   Jam manet Pylii liquida mella senis;
Dumque logis blatero tumidis spumosus abundat,
   Fecundet sensus viva medulla tuos;
Non tibi, quod populi primos, populumque, loquelis
   Suavibus arripias;—hoc leve surgit opus.
Nescia mentiri, blandiri nescia, Musa
   Materiâ dotes nobiliore canit.
Quod mala, quæ lacerant mortalia pectora sævis
   Unguibus, haud cordi sunt aliena tuo;
Quod, male damnatis scelerato judicis ore,
   Ingenuis caussam nobilis ultor agis;
Quod cuperes, belli reserantem claustra cruenti,
   Sacrilegam heu! frustra continuisse manum.—



Quot dedit inde soror gemitus, dedit anxia mater!
Quot patriæ lacrymis immaduere genæ!
Mille diem viduæ fletu, noctemque, fatigant:
Plangit amatorem multa puella suum.
Quas strages Stygiis nigra Mors amplectitur alis!
Tam largâ nunquam luxuriata dape.
Pars mutilos plorant artus; pars vulnera sæva,
Quæ cum corporibus commorientur, alunt!
Undique Fata volant: putrique cadavere fultum,
Polluit innumeros putre cadaver agros.
Scilicet hæc placidum non dedecorasse putatur
Christicolûm feritas sanguinolenta gregem:
Quosque sinu clemens fovit, pavitque, Magister,
Hos bene discipuli dextra trucidat oves!
Dira Fames quanto populos captarit hiatu!
Dum tenuem oravit debile vulgus opem:
Gallia! quæ, depulsa tuis feliciter oris,
Angliaca insiluit vindice regna pede.—
Quos tibi tunc gemitus, Foxi! peperere malorum
Tantorum caussæ!— quos peperere sibi!
Optasti quoties, cohiberent fœdera mundum
Pacis, et unanimus consociaret amor;
Talis amor, qualem lux ILLE, et gloria, nostri,
Vel cruce jam pendens, ore profudit HOMO.—
Senserat Oh! utinam, qui primus cuderit ensem,
In sua conversum viscera primus opus.

Feralem Oh! utinam, deamas qui militis arma,
  In tua nutrires fata, Tyranne, gregem.—
Tu, Foxi! perstes: vigilaces exsere curas.
  Prodimur: imperii machina fessa labat.
Queis, adverte, notis Aurora crepuscula tinguat;
  Utque novo rubeat mox oritura die.
In te forte situm est, an sol fulgentior ibit,
  Obruet an noctis densior umbra polum.
Fausta sed eveniant! lux ocyus irriget alma
  Squalentes campos, et loca pigra situ!
Jam certent, male fida cohors, Pœnæque, Metusque,
  Totaque barbaries, occuluisse caput!
Nascentem haud nullo te vidit lumine Musa:
  Sustulit, ac tepido fovit amica sinu.
Prima ætas medios inter nutrita lepores:
  Jam pueri Aonius proluit ora latex.
Tu non injiceres volitanti vincula menti,
  Sed sineres spatio liberiore frui.
Dilectum Phœbo Phœbi chorus omnis amarent:
  Reptarentque sacrum, te præeunte, nemus.
Omnes Castalidum neque cultor humillimus annos
  Vomere sic sterili solicitaret humum.
Horrent magnanimæ regnum servile sorores:
  Heu! lyra terrores inter, et arma, silet.
Anglica non Latias novere palatia Musas:
  Ista domus friget, Graia Camœna! tibi.

Has, decus Aonidum! atque leporum magne repertor!
Si tu, si velles forsan adire fores,
Tu, mihi per longos soles vigilate, Lucreti!
"Ecquis es?" audires, "Effer; et unde venis?"
Jurgia, avarities, sitis insaturata cruorum,—
Quem datis, aut Charisi, Pierisive, locum?—
Quo ferimur? nolim, preme te, spatiosius erres;
Curriculumque tuum, lingua proterva, tene.
Tu mihi principium, Foxi! tu carminis idem
Auctor eras medii: tu mihi finis eris.
Prosperum iter facias! placidoque en! accipe vultu
Dona voluntatis qualiacunque meæ.
Et te digna tamen: corpus sublime Lucretii
Vel tantum poterit condecorare virum.
Et te digna tamen; nisi, qui tenuissimus offert,
Deprimat egregii nobile vatis opus.

G. W.

AD LECTOREM.

DEBITUM, scite Lector et erudite! Lucretianorum carminum, curis meis expolitorum, atque, justæ recensionis ope, ad pristinum cultum nitoremque, in quantum per scriptos codices atque mediocritatem sagacitatis meæ et doctrinæ licuerit, reformatorum, dudum promissione susceptum, tandem tibi, sed serius aliquantulo quam vellem, spe trepidus, et, si quis unquam, diffidens mei, repræsento. Sic profecto se res habet: quum animum ad has pretiosissimas Latinarum literarum reliquias exornandas primitus adjecissem, jucundæ magis relaxationis, quam negotiosæ virium contentionis, mihi munus spondens, non nisi de breviore commentario cogitabam: postea tamen, operis limine vix inito, hunc et amplissimum philosophum, et gravissimum poëtam, tantâ commentitiarum lectionum feditate devenustatum deprehendi, eâ adulterini scabitudine sermonis multis de caussis incrustatum, ut occasionem, haud instrenue obeundam, sed plane dignissimam mihi videbar nactus, in quam facultates omnes qualescunque, tum eruditionis tum ingenii mei, studiosissime collocarem; nullos labores defugiendos esse, nullam non libenter efferendam esse solicitudinem, mecum statuens, si modo fructus inde aliquis bonis literis forte fortunâ provenire posset. Tandem vero, re gradatim procedente, ac materiâ se latius, ut fit, in omnes partes aperiente, cum tot tantisque difficultatibus mihi esse conflictandum vidi, tam propter molestias operi tanto proprias, quam innumerabiles adventitias ex editorum priorum vel socordiâ, vel inscitiâ, vel temeritate denique, ὑπὲρ μόρον cumulatas, ut de conatûs mei successu, adhibitis etiam studio improbissimo et sedulitate morosissimâ, plane desperarem;

debilitatus animi, atque cœptis audacibus pene consternatus, dum naviculam meam, immensâ cujusdam vastitatis solitudine fluctuantem, tremebundus contemplarer:

——————— maria undique, et undique cœlum!

Et enim, mirentur licet inexperti, vere mihi dicturus videor, ne unum quidem ex illis omnibus, qui per ævi flumen ad usque nostra tempora devoluti sint, scriptoribus Lucretio minus emendatum vulgo manibus lectorum teri; aut in cujus textu, quem dicunt, concinnando magis susque deque habitam vetustorum librorum fidem passim senties. Nam, ut concesserim, Cari nostri argumentum non eâ esse amœnitate, quæ turbam lectorum, de rerum naturâ et abditis philosophiæ parum solicitorum, suis illecebris sponte trahat; simplicitas tamen orationis purissimæ inaffectata, ingenii lactea ubertas, in omnigenos lepores late diffluens, sincerissimus insuper elegantiarum poëticarum gustus; nativo quodam sensu rectissimo delibatarum; et varietas numerosa versuum, lapsu facili decurrentium, et melle Musæo vere contactorum: hæc omnia severitatem subtiliorum disceptationum deliniunt usque adeo, ac devincunt,

Molliter austerum studio fallente laborem,

ut nemo sit ingeniis non fucatis, atque elegantibus, demerendis accommodatior; nemo, qui diligentiam fideliter tractantium pleniore proventu remunerabit. Nimirum, si rerum, de quibus disputat, obscuritatem et jejunitatem liberaliter intuearis, Lucretius auctor est philosophiæ poëticus longe longeque dilucidissimus; nec sunt, nisi rarissimi, in opere toto loci, qui desiderent interpretem, aut lectorem modice perspicacem morari queant: hoc autem, ob depravationes potissimum, poëtæ non imputandas: id, quod expertus usu rem, tutemet haud ægre confiteberis. His igitur de caussis, vehementer equidem mirari soleo, tam paucos literatorum hominum exstitisse, qui versaverint Lucretia-

nam NATURAM RERUM; tam paucos, qui pro meritis admirati sint artificem Musarum consummatissimum, et post Ennium, (cujus operum jacturâ vulnus longe altissimum et immedicabile prorsus philologiæ inflictum est) Latinæ poëseos parentem: sed miror vehementius, etiam paucos ex iis paucis indolem styli Lucretiani percepisse: vix enim, confidenter loquor, vel unus reperietur criticorum doctrinâ celeberrimorum, qui felicem in eum conjecturam periclitatus sit: quod in operis decursu, et maxime incredulis, liquidissime patebit.

Cæterum, ut mea in hoc officio explendo subsidia singillatim persequar; Lucretius noster primum post renatas literas typis evulgatus est *Brescicæ*, per *Ferrandum*, sine anni mentione: de quo libro tamen inaudivi tantum ab hominibus rerum typographicarum, et exemplarium veterum, callentissimis. Hujusce editionis ne unum exemplar quidem in Angliâ asservari creditur: et de illâ nihil amplius comperti memet habere fateor. Lucem vidisse perhibetur circa annum salutis M.CCCC.LXXII.

Editio secunda, in folio, quæ vulgo princeps existimatur, ad calcem sic inscripta est:

> " T. Lucretii Cari, poëtæ philosophique antiquissimi
> " De rerum primordia naturâ ad Memmium
> " Liber sextus et ultimus explicit fœliciter.
> " *Paulus* hunc impressit *Fridenperger* in *Veronâ*,
> " Qui genitus est in *Pataviâ Alæ magnæ*.
> " Ab incarnatione Christi: MCCCCLXXXVI
> " Die vigesimo octavo septembris calen. octobris."

Quam sit omni genere corruptelarum refertissimus hicce liber, apprime tamen utilissimus, nostra lectionum variarum recensio satis indicabit. Aliquoties profecto, sed rarissime, vitia quædam, longe crassissima, prudens silentio præterii; nullum omnino usum habitura, sed nitori nostrarum solummodo paginarum deho-

nestamento fedissimo futura, et paritura porro tædium lectoribus. Sic, exempli gratiâ, si *pueorum* offendissem pro *puerorum*, et *præssis* pro *pressis*, atque hujusce farinæ subinde alia, malui conticescere: quod nihilo minus monendum habeo, ne pretiosissimis quibusdam varietatibus fraudatum se lector curiosus putet. Hanc prius editionem, quam mihi fors eam obtulerit ære proprio redimendam, in meos usus commodaverat ex bibliothecâ ejus sumptuosissimâ, et exquisitissimis, omne genus, libris adimpletâ, CLAYTON CRACHERODE: vir egregie et accurate doctus, sed propter morum simplicium candidissimam suavitatem, et animi benignitatem homine literato dignam, longe laudatior; quam omnibus quidem mortalibus plene semper solet, mihi autem etiam peculiariter, præstare.

Optimi ejusdem viri humanitas me devinxit insuper monstratione *Venetæ* editionis, quæ tertia est, et *Hieronymi Avancii* curâ procurata prodiit apud *Aldum*, quartæ formæ, anno M. D. Monstratione dixi; nam usus ulterior supervacaneus fuisset, quum profiteatur editor, se nullum exemplar antiquum adhibuisse manu scriptum, sed conformavisse textum ex Veronensi; parallelis aliorum scriptorum locis, cum Aristotelis operibus, aliisque scriptis veterum, in subsidium convocatis.

Denuo typis cusus est Lucretius *Venetiis*, in iisdem ædibus *Aldinis*, formâ duodecimâ, anno M.D.XV. ex recensione atque castigationibus *Andreæ Naugerii:* qui nullorum interea librorum MSS. præsidio se suffultum esse prædicat; et solummodo "cursim dicitur, propter ipsius occupationes, et importunam impressorum festinationem, tamen accurate, recensuisse."

Ad *Aldinæ* prioris normam *Juntina* potissimum composita videtur; quæ lucem vidit *Florentiæ* anno M.D.XII. in quâ licet exornandâ *Petrus Candidus* se "vetustis exemplaribus collatis" usum glorietur, et "obelis *Pontani Marulli*que temere inducta

expungendo adhibitis," memini, me non nisi paucas scripturæ discrepantias deprehendisse, quoties operæ pretium habuerim eam componere cum hac *Aldinâ:* quas pariter nihili, si criticam commoditatem spectes, faciendas puto. Exemplar *Juntinum*, anni M.D.XI. quod memorant Havercampus et Fabricius, nescio quam ob rationem ad hunc annum referentes, ipsissima est hæc editio, de quâ loquor; et, cum *Aldinâ* consimili, me possessorem habet.

Interea, cum magno commentariorum apparatu, Lucretius prodierat " *Bononiæ*, ex ergasterio *Hieronymi Baptistæ de Be-* " *nedictis Platonici Bononiensis*, a *Joanne Baptistâ Pio* editus, an- " no Domini M.D.XI. kal. Maii." Opes, quæ sibi ad emendandum Lucretii carmen competerent, Pius ipsemet sic percensuit: " Contulimus, non sine ærumnis vigiliisque diutinis, codicem " Veneti Hermolai, et Pomponi Romani; codicemque non om- " nino malum, qui servatur Mantuæ, in bibliothecâ quadam sub- " urbanâ, qui fuit viri non indocti, gentis clarissimæ Strotio- " rum. Non defuit Philippi Beroaldi, præceptoris quondam mei, " nunc collegæ, impressus quidem, sed tamen perpense exami- " natus: Codri quoque, grammatici Bononiensis; cujus copia " mihi per Bartholomeum Blanchinum, virum eloquii excultissi- " mi, facta est: Marullique poëtæ industriâ mirâ castigatum, non " defuit exemplar, Severo, Monaco Placentino, græce latineque " perdocto, Musarum athletâ, non gravatim offerente. Ex qui- " bus, sicuti Zeuxis, ex quatuor diversis corporibus, unam, et, ut " arbitror, integerrimam, formam Lucretio præstitimus."

Optimæ frugis hæc est editio, et nobis per fidelissimam diligentiam tractata: nec addubitem tamen, aliorum exemplarium testimoniis devictus, quin Pius ad arbitrium, nec admonitis lectoribus, poëtæ contextum plurifariam immutaverit; et, an levibus de caussis hanc sententiam inimiciorem pronunciem, penes alios, perlectis omnibus ac perpensis, sit judicium.

Obertus Gifanius uberibus magis, quam accurate doctis, commentariis, indice tamen philologico perutili, Lucretium instruxit. "Scripturas veterum librorum plus quam octo se perpendisse" jactat, et nactum esse "non paucas emendationes, variasque in "poëtam nostrum lectiones, quas vir doctissimus *Antonius Goldinghamus*, homo Anglus, ex libris calamo exaratis in patriâ "suâ studiose ac sedulo collegerat," uti Gifanius opinabatur. Hoc utcunque sit, limato judicio, sine quo frustra Critice exercetur, destitutus ille vir, diligens quamvis et eruditus, parum contulit, me saltem judice, ex quo Lucretii contextus emendatior evaserit.

Non alius post hos esse videtur editor, qui contextum Lucretianum ad libros scriptos exegerit, præter *Lambinum*, *Creechium* nostratem, et *Havercampum*.

De Lucretio primus istius triumviratûs doctis animadversionibus præclare meritus est; *Lambinum* dico: qui usus est, ut ipsius verba proferam, "in Lucretio restituendo, Romæ quidem tribus "libris MSS. uno Vaticano; altero, qui fuit Gabrielis Faërni; "tertio, quem Scipio Tertius Neapolitanus ei commodato dedit: "Lutetiæ vero duobus, uno Memmiano; altero, Adriani Tur-"nebi libro, ad Bertinianum codicem diligentissime et accura-"tissime usque ad librum sextum duntaxat comparato."

Equidem non is sum, qui virum ingenuis artibus penitius imbutum, et amatoribus Lucretii necessitudine multorum officiorum devinctissimum, fidei sublestioris libenter arguam: nefas tamen esset, et crimen publicum, dissimulare, multa mihi in hoc munere defungendo scrupulum super hac re, manu scriptis scilicet exemplaribus Lambini, non levem injecisse; in quæ lectores ultro occursabunt, et de quibus suum judicium, hactenus submonitos, præstiterit integros exercuisse: res igitur a me relinquitur in medio. Hoc interea de plano nullus dubitaverim affirmare, me neminem

novisse, qui contextum scriptoris cujuslibet, auctoritate membranarum leviter conculcatâ, propriis conjecturis inferciendis, per effusiorem licentiam, atque inconsultam magis temeritatem, passim præfractius vitiatum et deturpatum dederit.

Creechii in Lucretium merita longe inferius jacere, quam quod vulgus soleat existimare, memet habeo persuasissimum. Eum alicubi, ut Gassendi plagiarium, Valckenaërus insimulavit: ea vero utcunque se res habeat, certe iniquior esset, qui laudem, utilibus ejus ad illustrandum Lucretium collectaneis philosophicis acquisitam, cuperet deterere, si modo, quæ citra controversiam sumpserit aliunde, promptiore animo ad auctores primos referre vir ingeniosus ille se paratum ostendisset.

In maximâ parte meritorum *Havercampi* pono, quod codicum Lugdunensium diligentiorem nobis collationem repræsentaverit, et amici sui *Preigeri* nonnullas animadversiones, eruditas illas acutasque, protraxerit in lucem: nam doctissimus editor de penu proprio paucissima, nec ea quidem magni pretii, deprompsit.

Verum enim vero, ne quis, mores meos haud expertus usu, censuræ severioris fortasse postulet, libet *Ernesti* judicium, super hac re in bibliothecâ Latinâ Fabricii factum, vice propugnaculi, subjungere: "Omnino hoc opus suum peritioribus non "valde probavit Havercampus. Inter omnes editores principa- "tus debetur Lambino et Creechio; huic ad intelligendum max- "ime, illi etiam ad criticam rationem. Sed, qui has res recte "tractare possit, is, si suscipere novam editionem velit ἀκριβείᾳ "eâ, quæ hodie peritis probatur, et cujus exempla recentioris "temporis habemus, magnam laudem parare sibi possit. Sed "absit usitata nostris temporibus festinatio, et lucri cupido."

Hæ sunt omnes editiones Lucretii, quantum equidem intellexerim, ope codicum MSS. procuratæ; si modo singularem

excipias, de quâ mox dicetur. Nihil igitur tandem super est, nisi ut exponam, quibus denique novis adjumentis suffultus, quibus præsidiis animatus, ac vallatus, ipsemet ad hoc munus exsequendum, grave profecto, difficile, et ærumnósum! accedere non expalluerim.

Jam decem fere anni lapsi sunt, ex quo Fabri Lucretium emerim, formæ quartæ, quum bibliotheca *Ricardi Bentleii*, qui summi Bentleii voluntatem testamentariam exsecutus est, et magnâ ex parte librorum hæreditatem adiit, auctione publicâ divenderetur. Hujusce exemplaris primæ plagulæ notationem sequentem nescio quis præfixit:

" Hic liber est *Ricardi Mead:* notæ vero MSS. in margine, " sunt magni illius critici Ricardi Bentleii, ex ipsius codice " exscriptæ."

Vir magnus nimirum, inter paucos doctrinæ copiis instructus, sed sagacitate subtiliore, et acutissimi ingenii velocitatibus, quodam modo suis, criticorum omnium, me judice, præcellentissimus, diligenter versaverat Lucretium; sed neque libros manu exaratos, neque vetustius impressos, nullum denique præter unum Fabri exemplare, videtur adhibuisse; quum sæpius imitationes priorum poëtarum margini alleverit, Lambino et aliis jam dudum occupatas, cum locis quibusdam Diogenis Laërtii pervagatis. Animadversiones itaque, quas ille coryphæus criticorum subinde sparserit, non erant severiore judicio perpensæ, secundisve cogitationibus maturatæ; in uno autem atque altero loco per acumen, vere Bentleianum, quasi divinitus vir summus rem expedivit: quæ suo tempore comparebunt; nam supervacaneum esse arbitramur, immorari rebus, in operis decursu lectoris sententiam subituris: quam ubique liberrime de nostris exerceri velimus. Vero quidem simile est, notas plures Bentleianas in Lucretium, et laboriosiores illas atque castigatiores, in manibus adhærere

Ricardi Cumberland; qui ex filiâ est Bentleii nepos, et hæres aviti ingenii certissimus. Aliorum etiam librorum, pretiosissimis avì sui commentariis perscriptorum, solitarius possessor est ingeniosissimus ille vir; quorum usum mihi per alios petenti prorsus denegavit: illaudabili sane specimine caninæ cujusdam malignitatis; quum nec ipse copiis suis uti velit, neque aliis utendas impertiri. Hæc autem non videntur gravius dicta, atque inhumanius, quam res postulat literaria, et ipsa Ratio suffragiis suis comprobabit.

Codicem chartaceum manu scriptum, in folio, nitidissimum, vetustum, et optimæ notæ, quum solus castigatissimis et antiquissimis exemplaribus sæpiuscule consentiat, ex publicâ bibliothecâ mihi Alma Mater, quondam mea, *Academia Cantabrigiensis,* subministravit: opes suas haud invidens eruditis; neque, ut soror ejus *Oxoniensis,* exemplo nimis erubescendo, thesauros Musæos, qui debent, ut aër et sol, omnibus communes esse, propriis parietibus, inclusos dicam, an abditos ac sepultos? in æternum continens. Hic autem codex olim erat Askewianæ bibliothecæ κειμηλιον· unde pretio redemit Academia. Tractationem ejus mihi impetravit amicus meus, semper ac maxime colendus amandusque, Robertus Tyrwhitt: qui me tyrunculum *Collegii Jesu,* abhinc annis quatuor et viginti, rude jam tum donatus, favore suo sponte prosequi non dedignatus est, et etiamnum profecto fovet.

Αυταρ εγω τιμαν τε, και ανθρωπων φιλοτητα,
Πολλων ἡμιονων τε, και ἱππων, προσθεν ἑλοιμαν.

Hujusce exemplaris, quod perfunctorie nimis mihi videbar evolvisse, et inconsulto citius remiseram, ulteriorem usum a doctissimo protobibliothecario, Ricardo Farmer, obtinuit Georgius Steevens, vir ingenio et eruditione pollentissimus, cujus fama mei præconii non indiget; mihi vero nunquam sine et honoris, et amoris, sensu nominandus.

Secundus, mihi collatus, MS. codex in Musæo Britannico servatur; formâ minimâ, membranaceus, pulchre scriptus, seculi xv.

Eadem bibliotheca instructissima mihi tertium exemplare MS. ætatis ejusdem cum priore, suppeditavit, chartaceum, in quarto; qui deficit tamen infeliciter cum versu 232. libri vi. Scatet erroribus scriptionis codex iste plurimis; sed orthographiæ vetustioris præ cæteris omnibus, saltem meis, tenacissimus videtur.

Tertium denique MS. librum, chartaceum, et formâ simili, sed seculi sequentis, eidem bibliothecæ debeo. Recentior est profecto, quam cui tuto, reliquis dissentientibus, confidi possit: nec tamen hic etiam omnino fructu suo caruit.

Sed et alium insuper scriptum librum, de quo nihil cogitaveram, mihi permisit evolvendum vir humanissimus Edvardus Poore, cum promptissimâ benignitate, a laudabilibus in bonas literas affectibus derivatâ. Nimirum manus recentior hunc codicem exaravit; quum vero cujusvis impressi typis libri non sit apographon, sed codicem quemdam MS. certissime in exemplar habuerit, non spernenda est ejus auctoritas, quoties antiquiorum librorum lectionibus in subsidium accedat. Utrum plures sint Lucretii codices MSS. in bibliothecis Anglicis, vel publicis, vel privatis, plane nescio: et caussæ sunt, quâ theologicæ, quâ politicæ, cur nostrates eruditi non sint ad me fovendum, et conatus meos promovendos, nimis propensâ voluntate: has autem, quod impensissime lætamur, ac serio triumphamus, jam jam evanescentes video; ut, exorto sole, matutini rores evaporantur: quod ideo in transcursu monitum volui, ne nimis incuriosi fortassis, aut indiligentioris cujusdam, crimen apud aliquos, calumniis inhiantes, immerito subirem.

Anno M.DCC.LXXXVII. Lucretius impressus est Viennæ ad codicem *Vindobonensem*, curante *Francisco Carolo Alter*, gym-

nasii Vindobonensis professore. "Exstat hic codex membranaceus in bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi, et seculi MD. scripturâ nitet quidem elegantissimâ, sed multis adeo vitiis fedata, ut in calce operis longam satis vitiorum seriem iis hominibus adjungerem, qui codicum MSS. vitiis delectari, verius dicam, nugari, consueverunt."

Scilicet inter illos nugatores, qui scripturam ipsissimam vetusti codicis, sive sincera sit, sive demum vitiosa, fideliter repræsentatam velint, egomet nimis velim nomen profiteri meum: et gratias ago libenter maximas, habeoque, huic *nugatori*, quod *vitia* hujusce codicis notaverit; quum genuinas aliorum librorum lectiones, atque haud dubie Lucretianas, sæpiuscule confirment. Utinam, *συζυγε γνησιε!* somnus tibi, tuum munus exsequenti, non aliquoties subrepsisset; nec commentitias recentiorum emendatorum divinationes loco *vitiorum codicis*, in contextu nimium nimium negligenter, uti vehementer suspicor, reliquisses: quod sane te subinde quidem, quamvis inconsulto forsitan, fecisse, mihi est in omnium longe persuasissimis.

Unum hoc maceror, et doleo tibi, Carole! deesse.

Idem editor non est etiam dedignatus adscribere codicis alterius *vitia*, nugatores criticos ex abundante demereri cupidus. Hicce codex, in eâdem bibliothecâ repositus, continet "fragmenta Lucretii ex libris, ii. iii. et vi. a ver. 749. usque ad finem; et in principio seculi xiv. exaratus videtur."

In brevi notitiâ literariâ de variis editionibus Lucretii, quam professor ille, deliciæ nugatorum, suæ præfixit, mentio facta est exemplaris in bibliothecâ Vindobonensi, *Venetiis* impressi per *Theodorum de Ragazonibus*, anno. M.CCCC.LXXXXV. quam editionem equidem nunquam vidi: sed eo minus hoc infortunium dolendum est, quod expressa sit ad editionem Veronensem, judice professore nostro; quum "multis in locis, atque adeo in lacunis, cum illâ exacte conveniat."

Jam vero, quo melius caveremus, ne moles inutilis editioni nostræ ex prolixis repetitionibus accresceret, et pretium pariter incenderetur; libros illos, qui varietatibus codicum MSS. sint instructi, et ipsos codices tractatos nobis, compendiariis characteribus significandos esse duximus: quorum nunc in ordine ratio reddenda est.

V. ed. literæ designant editionem illam *Veronensem*, de quâ modo, quot habuerim dicenda, dixi.

B. designat codicem *Bodleianum* Oxonii, cujus accuratam atque novam collationem se nactum esse gloriatur Havercampus; nam Creechius prior adhibuerat. Cum hoc codice et editione Veronensi tanta est consensio varietatum, ut valde suspicatus sim dolum aliquem collatoris; neque prius hac suspicione sum solutus, quam ad secundum librum meas animadversiones continuaveram: tum demum vir amplissimus, Gulielmus Jackson, B. D. in Academiâ florentissimâ Oxoniensi prælector Græcæ linguæ doctissimus, cum quo forte fortunâ in bibliopolium quoddam Londinense conveneram, et super hac re sermones cæderem, falsam et iniquam opinionem, isto de codice, non ex vanis rationibus susceptam tamen, me benigniter dedocuit. Re verâ in bibliothecâ Bodleianâ ille codex hodieque asservatur; sed non magnam vetustatem jactat, neque multæ frugis sunt, quæ referuntur, variationes ejus: ideoque non modo minus pœnitet indiligentius recensiti, sed angor levius, inhumanissimas bibliothecæ Bodleianæ leges, omnibus mortalibus, levissimo saltem contactis sapore doctrinarum, odio atque execratione prosequendas, mihi liberam tractationem ejus haud permisisse. Mox, ut augurari soleo, illucescet ille dies, quum doctos homines et literarum penetralia pudebit, se tam diu barbaris hisce conditionibus patienter esse colligatos.—Cæterum, satis saltem constat, exemplari Bodleiano, et editioni dictæ Veronensi, unum codicem, vel ejusdem prorsus familiæ, pro archetypo primitus exstitisse.

G. *Gottorpianum* est fragmentum, Havercampo atque aliis eruditis celebratum, ætatem attingens 800 vel 900 annorum; quod infauste tamen explicit cum versu 454. secundi libri.

P. *Pii* est editio Bononiensis, de quâ supra.

Vind. literæ exemplar *Vindobonense*, modo memoratum nobis, indicant: Q. vero, fragmentum codicis, ibidem declaratum, quod incipit ad lib. ii. ver. 658. interrumpitur ad lib. iii. ver. 614. nec prius de novo exorditur, quam ad lib. vi. ver. 747. devenias; unde ad finem libri continenter pergit.

L. literâ prior liber MS. membranaceus, duorum pulcherrimorum ac vetustissimorum, quondam Isaaci Vossii, qui in bibliothecâ universitatis *Lugduni* Batavorum asservantur, a me designatus est;

M. autem literâ posterior liber: quorum varietates recensuit Havercampus.

O. codex est Domini Poore, supra laudati: prius autem ad paginam quadragesimam volumen hoc progressum est, quam hicce liber mihi in manus venerit.

Ω. Cantabrigiensis liber est:

Δ. Π. et Σ. codices Musæi Britannici, ad ordinem recensionis nostræ, super illis habitæ, in præcedentibus.

Valde laboravi in orthographiâ textûs Lucretiani constituendâ; ut αρχαιοπινη nitorem illum, ac florem ferrugineum venerandæ vetustatis, importunis correctorum manibus passim detersum, in quantum sana grammaticorum priscorum judicia et subinde codicum auctoritas suffragarentur, redaccenderem. Res hæc erat

ostentationis quidem parvæ, sed perquam ærumnosa, et multæ diligentiæ ac industriæ, ut rationes ejus ad liquidum perducerentur, et aliquo tandem modo constarent sibi: sed hæc diligentia et industria, nisi simile negotium fungentibus, non comparebunt tamen. Pro officio nimirum habui multam et ingratam operam in hac re ponere; sed, tantis tenebris hæc tota ratio involuta est, ut malim lectoris ad indulgentiam confugere, quam censuram provocare. Quoties fax librorum scriptorum mihi præluceret, in plurimis haud dubitabam sequi: sed multa sunt adhuc in hac re rectius constituenda; de quibus meo judicio manus trepida non ausa est obsecundare. Quum vero sententiam meam in commentariis super hac disputatione sæpenumero interposuerim, non necesse est, ut in hoc loco tempus teram; itaque ad alia me transferam, cum te ad Vossium demandavero, de hoc orthographiæ negotio scite statuentem, in art. gramm. i. 43. init. atque, prout ingenuum virum decet, commonuero, unam et alteram dictionem esse in primis plagulis aliter, atque in sequentibus, memoriæ vitio, exaratam; quamvis secundas partes ageret impendio viriliter perdiligens inspector operarum; cujus acumini non paginæ solummodo, sed commentationes meæ, tempestivam aliquoties expurgationem debent. Nihil autem dissimulandum duxi, quamvis hæ minutiæ turbam lectorum probabiliter effugituræ viderentur. Libenter sperem, simplicem hunc errorum leviusculorum confessionem editioni meæ convenire; vel plures et crassiores fortasse virtutibus suis redempturæ, nisi parenti suo nimium blandiatur, nihil suis viribus parcenti, ut in manus hominum quam emendatissima veniret.

> Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat:
> Fucati sermonis opem mens conscia laudis
> Abnuit—.

Porro quum Virgilium, poëticæ compositionis artificem absolutissimum, Lucretius noster, ingenio poëtarum Romanorum maximus, (nisi fortassis unius illi de palmâ merito contenderint

luxuriosissimi Nasonis ubertas et amplitudo) magnâ ex parte, quantus est, effecerit; venustis hominibus me rem valde jucundam facturum esse credidi, si Minciani vatis imitationes undique conquirerem, et cum exemplaribus suis apposite commissos specialiter exhiberem. Hanc esse mei laboris partem nullo modo infructuosissimam, ab ostentatione licet longissime remotam, deputare soleo; et amœnissimam futuram hinc institutam comparationem hominibus elegantioris ingenii libenter auguror. In hoc officio multa sunt, quæ diligentiam eluserint doctorum, qui se ad hanc rem ex professo contulissent; et ægre, nisi ex compertis, credi poterat, poësin Virgilianam quam penitus imbuerit, quam medullitus incoxerit, oratio Lucretiana. Hunc autem ex abundanti fructum hac collatione provenisse mihi vehementer gratulor, quod hinc compluscalis ulceribus Virgilii, sanitatis speciem mentientibus, ideoque difficili et periculosâ tractatione, medelam efficacissimam admovere quiverim: unde apud quicquid est hominum venustiorum me gratias ingentes initurum spero, confidoque.

Jam vero, non alius est poëta, in quem licentia criticorum, ingeniis suis temere indulgentium, sævius grassata est, atque in Lucretium; aut quem corruptiorem docti terunt arbitrariis emendatorum interpolationibus. Nos, auctoritati librorum scriptorum, quâ potuimus, et Latini sermonis sinceræ leges sinerent, fideliter obsecuti, et subinde per leviores ex ingenio mutationes, de rationibus ad codicum vestigia religiosissime subductis, timidiuscule progressi, depravationes innumeras profligasse, ac venustates sermonis quam plurimas, demortuas plane conclamatasque, imo deperditas et obliteratas, nobismetipsis saltem videmur resuscitasse. Neque enim interea non opere summo cavebam semper ab illâ temeritate corrigendi, quam vitiosissime usurpari quibusdam Lucretii editoribus animadvertebam; et nolui committere, ut in hac vituperatione inconstantissimus omnium homunculus haberer; et ea reprehensio, quam prioribus haud dubitaveram illinere, in caput proprium denuo recideret.

Cæterum, de commentariis meis, quos multis vigiliis et improbo studio contexui, præcipua mihi felicitas continget, atque propositi, quod animo semper eram contemplatus, tunc demum compos fiam, si rationes sic videbor in notis concinnandis prudenter attemperasse, ut eas nec docti fastidiant, et intelligant tyrones fructuose; atque hinc adeo, sicuti ait ille, utrique rei scienter occucurrerim, ut mederi possim quum satietati, tum ignorantiæ, lectorum. Quantillum denique sit illud, quod indefessâ diligentiâ consequi valuerim, probe scio: nec tamen animi judicium, sacramento literarum liberalium legitime obligati, et humanitatis pleni, reformidem; neque ita sum profecto ab omni laudis appetitione alienus, ut non valde cupiam secundæ aliquid opinionis mihimet acquirere. Lividulos autem censores nostros nihil moror; homines, veris literis aut leviter contactos, aut, quas arripuerint, pravis affectibus dehonestantes: qui doctorum conatus, illis displicentium, ex professo deamant deprimere, et fovendis honorandisque Musarum asseclis nullam operam impertiuntur. Quoties vero cessaverim, et intentionem animi videbor remisisse, mihi vehementer gratulabor, ac cum meis studiis feliciter actum esse existimabo, si, liberalibus atque vere eruditis errores benevole monstrantibus, malignam cavillatorum intemperiem potero lucrifacere.

In universum sane, hoc vel in maximis omnium a memetipso obtinendum esse arbitratus sum, ut ne quid me putem scire, quod nesciam; quæramque semper addiscere, quod ignorem: quum sentiam, minus prodesse perite quid facere, quam obesse perperam fecisse. Nimirum, in his temporum angustiis, nemo debet admiratione commoveri, nedum indignari debeat, si, laboribus suis victitantes, et re familiari artiore vigiliis addicti, nec non (quod rei caput est) inter librorum vetustiorum raram nimis nimis supellectilem tenebricose dispalati; si scilicet, his incommoditatibus pressi districtique, quædam emittant nimium deproperata, neque ad unguem præsectum, quemadmodum vellemus, complanata.

Alia sunt insuper, meas vitæ rationes attingentia, et magnam apud mentes benignas humanitus admissorum excusationem habitura:—de quibus tamen melius tacere puto, quam questibus ambitiosis inaniter indulgere.

Porro, ne me fortassis, ab tali puerili φιλαυτιᾳ remotissimum, lector existimet propriis ingenii fetibus plus æquo delectari, quod eum toties ad *Silvam* meam *Criticam* remiserim; docendus restat, me compertum habere, ex usu literarum maturiore, plurima in istis lucubrationibus inveniri, quæ sint juveniliter temeraria, απροσδιονυσα prorsus, et homine critico indigna; sed quæ in sitientem famæ, rure tamen abditum, et a libris sermonibusque doctorum disjunctissimum, facillime possent cadere: sunt autem rursus plurima rite excogitata, qualia viros harum rerum callentes jucunde morabuntur, et ætatem ferent: ea potissimum, quæ in *Novi Fœderis* monumentis explicandis atque illustrandis occupantur; alibi, nisi fallor, haud temere reperienda: quod serio triumphamus. Non enim ii sumus, qui sacros libros vel cum nobilissimis ethnicorum veterum in eâdem trutinâ velimus ponere, aut eodem studio commentandos, ac meditandos, cordatis saltem hominibus autumemus: πολλȣ γε και δει·

Χρυσεα χαλκειων, ἑκατομβοι' ἐννεαβοιων.

Jam vero, prius libet brevissime disquirere, quam huic præfationi finem ponam, utrum Lucretius noster alia ingenii monumenta quæpiam literis mandaverit, quæ in hoc ævum non perduravere. Certe, eum in animo habuisse de situ et qualitate *sedium sanctarum*, quas numina deorum tenent, de *tenuissimâ* itidem ipsorum naturâ, prorsus intactili, nec admittente tactum utique, nec vicissim exercente;—non perfunctorie disserere, suo ipsius etiam testimonio liquidissime colligitur, in lib. v. verr. 147—158. quum argumentorum propositorum seriem, qui sequitur, versus claudat:

Quæ tibi posterius LARGO SERMONE probabo.

Sed enim an absolverit promissum, et ingens opus, quantivis æstimandum pretii, ruinæ temporum oppresserint; an consilium mutaverit; an rursus id agentem mors intercluserit acerba; nullus equidem de plano affirmaverim. Commentaria sane Serviana, ad Virgil. Æn. vi. 596. suspicionem injiciunt haud levem, hos etiam, quibus fruimur, libros sex De *Naturâ Rerum* aliquâ tenus imperfectos ad ætatem nostram descendisse: de quâ re paucula submonuimus in nostris animadversionibus ad lib. iii. ver. 991. quo se lectores conferant:

——————— *εχθρον δε μοι εστιν*
Αυτις αριζηλως ειρημενα μυθολογευειν.

Aliud carmen, Lucretio relictum, olim exstitisse, Varronis testimonio saltem probabile efficitur; cujus verba, prout leguntur in lib. iv. sect. 3. de ling. Lat. non pigebit adscripsisse: "A quâ "bipartitâ divisione, LUCRETIUS suorum *unius et viginti librorum* "initium fecit hoc:

"Ætheris et terræ genitabile quærere tempus."

Si sanus sit hic grammatici locus, nec nomini proprio scripturæ vitium insideat; quâ voce, quo fletu, tantum literarum infortunium, nullis artibus medicabile, lugebimus? Tempus! vastator omnium; tibi profecto felix, nimium felix, visus est Musarum chorus, hæc si dona propria fuissent; nam Lucretium meum, vel ingenii viribus, vel elegantiâ doctrinæ, cuivis veterum fortiter opposuerim:

——————— quis est crudelior in nos
Te Deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis!

Denique, ob grandissimos operis hujusce sumptus, mihi gravis-

sime incumbentes, prius volumen, ut antecursorem quendam, qui publicam opinionem speculari quiret, et gratiam aucupari, necessum habui præmittere: et actum est profecto de fortunis meis, et editionibus poëtarum veterum per sudores meos in futurum procurandis, nisi sit hoc specimen lautis judicibus liberaliter exceptum: quod sane vel ad omni luxu typographico condecorandum, quo pulchrius veniret elegantibus formarum spectatoribus commendatum, apparatus ne sumptuosissimi quidem cessaverunt. Interea, candide lector, et erudite! indices duo, alter criticus omnium in commentariis notabiliorum uberrimus, et alter locupletissimus verborum, libro sexto subjicientur. Quæ supersunt autem, prelum strenuissime exercent, et paucis abhinc mensibus hoc volumen, Deo favente, insequentur. Vale!

E Musæo meo
prope Londinum,
Novemb. die xx.

TESTIMONIA VETERUM

DE LUCRETIO.

M. T. CICERO,

In epistolis ad Q. Fratrem, ii. 11.

LUCRETII poëmata, ut scribis, ita sunt multis luminibus ingenii; multæ tamen artis.

Sunt, qui negationis particulam *non* post *scribis* inferunt, singularem per audaciam, contra librorum scriptorum fidem: eâdem operâ Ciceronis judicio acerbissimam injuriam facientes, et ingenium Lucretii deprimentes malignissime. Nimirum, opinioni inter criticos receptæ disertissimus togatæ gentis tacitus occurrit; quæ volebat, ingenii vim et artificium scribendi in eodem homine rarissime consociari. Hinc pendet Ovidius, trist. ii. 424.

Ennius, *ingenio maximus, arte rudis.*

Sed neque acutissimam et elegantissimam Tanaquilli Fabri conjecturam, *licita*, vice *ita*, temere contra codices equidem receperim: nam vulgata sunt accurate propria, et connexa.

Non minus igitur Ciceronis ipsius, quam Marci fratris, sententiam favorabilem habemus, tum de nativis ad illuminandam poësin Lucretiani ingenii virtutibus, tum de magnâ solertis artificii pollentiâ, cultuque dicendi limatiore.

CORNELIUS NEPOS,

In vitâ Attici, xii. 4.

Idem L. Julium Calidum, quem, post LUCRETII Catullique mortem, multo ELEGANTISSIMUM POETAM nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere,—in proscriptorum numerum a P. Volumnio—relatum, expedivit.

M. VITRUVIUS POLLIO,

De architecturâ, ix. 3.

Item plures, (qui literarum jucunditatibus instructas habent mentes) post nostram memoriam nascentes, cum LUCRETIO videbuntur, velut coram, DE RERUM NATURA disputare.

P. OVIDIUS NASO,

Amorum, i. 15. 23.

Carmina SUBLIMIS tunc sunt peritura LUCRETII,
Exitio terras cum dabit una dies.

Tristium, ii. 425.

Explicat ut caussas rapidi LUCRETIUS ignis,
Casurumque triplex vaticinatur opus—.

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS,

Elegiarum, ii. 25. 29.

Aut quid LUCRETII tibi prosunt carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.

C. VELLEIUS PATERCULUS,

Historiæ Romanæ, ii. 36.

Quis enim ignorat,—floruisse hoc tempore—auctores carminum, Varronem ac LUCRETIUM; neque ullo in suscepti operis sui carmine (f. *stamine*) minorem Catullum.

L. ANNÆUS SENECA

LUCRETII nostri meminit, sed citra poëseos vel laudem, vel vituperium, de tranquill. anim. sect. 2. et in epist. xcv. cx.

C. PLINIUS CÆCILIUS SECUNDUS

Similem LUCRETII mentionem fecit in epist. iv. 18. ut prior Avunculus ejus, Caius Plinius, in præmissis lib. x. Historiæ Naturalis; quæ tamen suspectæ sunt auctoritatis.

M. FABIUS QUINCTILIANUS,

De institutione oratoriâ, i. 4.

Nec ignara philosophiæ (grammatice potest esse perfecta), cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intimâ quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem ac LUCRETIUM in Latinis; qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt.

Idem ibidem, x. 1.

Nam Macer et LUCRETIUS legendi quidem, sed non ut phrasim, id est, corpus eloquentiæ, faciant: elegantes in suâ quisque materiâ; sed alter humilis, alter difficilis.

Manifestissimum est cuivis contentius intuenti, magnum rhetorem non de

laudibus Lucretii, ut elegantis poëtæ, detrahere voluisse, sed orationem ejus subtiliorem esse, atque τεχνικωτέραν, ut argumentum quoque nimis austerum et exile, quam quæ ubertati, magnificentiæ, et amœnitati, sermonis oratorii consummandis pulchre sint accommodata. Meminit iterum Lucretii scriptor ille fructuosissimus, ibid. iii. 1. viii. 6. xii. 11.

C. CORNELIUS TACITUS,

Dialogo de oratoribus, sect. 23.

Neminem nominabo, genus hominum signasse contentus; qui Lucilium pro Horatio, et LUCRETIUM pro Virgilio, legunt.

P. PAPINIUS STATIUS,

Sylvarum, ii. 7. 76.

Cedet Musa rudis ferocis Ennii,
Et docti furor arduus LUCRETII.

Statius autem potissimum respicit Lucretii lib. 1. verr. 137. 146. 922. Et, ne in sequioris ætatis scriptores, qui Lucretium laudibus extulerunt, evagemur latius, otium nobis fecit immensa Barthii doctrina: cujus nota scilicet ad Papinii locum plura scire cupientibus consulenda est.

Q. SERENUS SAMONICUS,

De medicinâ, ver. 614.

Hoc poterit quartus magni monstrare LUCRETII.

ARGUMENTA.

IN LIBRUM PRIMUM.

IN ipso operis principio Venerem invocat. II. Deinde, a ver. 45. ad ver. 159. libros suos de Rerum Naturâ dedicat Memmio: Epicurum, cujus rationes sequitur, collaudat; ab illius doctrinâ impietatis invidiam amolitur; et hujus et sequentium librorum argumenta breviter proponit. III. Tum rem ipsam aggreditur, docetque a ver. 160. ad ver. 265. ex nihilo nihil fieri, et in nihilum nihil reverti, posse. IV. A ver. 265. ad ver. 329. minuta esse quædam corpora, quæ, licet sub sensum non cadant, mente tamen possunt concipi; et e quibus res omnes componuntur. V. His corpusculis a ver. 330. ad ver. 430. subjungit vacuum, seu inane spatium: et VI. a ver. 430. ad ver. 483. probat nihil esse præter corpus et inane; reliqua autem, quæ videntur esse, ut pondus, calor, paupertas, bellum, &c. esse tantum conjuncta vel eventa, proprietates seu accidentia, corporis et inanis. VII. Docet a ver. 483. ad ver. 528. prima corpuscula esse perfecte solida; ideoque a ver. 528. ad ver. 635. insecabilia esse, minima, (neque enim corpus in infinitum dividi potest) et æterna. VIII. Deinde, a ver. 635. ad ver. 712. refutat Heraclitum, qui ignem, aliosque, qui aërem, aquam, aut terram, rerum omnium principium esse statuerunt. IX. Tum a ver. 712. ad ver. 829. contra Empedoclem demonstrat, res non componi e quatuor elementis. X. Demum, a ver. 829. ad ver. 919. Anaxagoram refellit. XI. Postremo, a ver. 919. ad ver. 1050. docet, universum esse ex omni parte in-

finitum, corpuscula esse numero infinita, et inane nullis terminis comprehendi posse: XII. et a ver. 1050. ad ver. 1110. libri finem, deridet illos, qui existimant, esse aliquod centrum in universo, quo gravia omnia deorsum tendant, dum levia sponte suâ sursum ferantur.

IN LIBRUM SECUNDUM.

I. AD studium philosophiæ, quæ sola lenire curas et animum metu liberare potest, Memmium suum a ver. 1. ad ver. 61. Lucretius hortatur: inde II. de seminum, seu atomorum, affectionibus disputat, quarum prima est motus; moveri semina ex rerum generatione demonstratur: motus vero hic est deorsum: omnia enim semina sunt gravia; cum autem concurrant semina solida, necesse est quoquo versum a se invicem dissiliant; ita quædam semina aliis implicantur, quæ arctius conjunguntur, res duras et densas constituunt; quæ laxius, res molles et raras: quædam autem semina nunquam coalescunt; sed, uti ramenta pulveris in radiis solis videmus, perpetuo motu per inane feruntur, et alia corpora subinde percutiunt et agitant, ad ver. 140. III. Celeritatem motûs seminum deorsum tendentium explicat ad ver. 166. IV. Inde pro more suo quædam scommata contra illos, qui providentiam agnoscunt, intexit, ad ver. 182. V. Tum argumentum repetit, asseritque, omnia corpora deorsum tendere, ad ver. 215. VI. Deinde, semina deorsum tendentia a rectâ lineâ paullulum declinare; nisi enim declinarent semina, nihil unquam, saltem nullum liberum agens, oriretur, ad ver. 293. VII. Demum docet, eodem motu semina jam ferri, quo ab æterno ferebantur; nec quenquam huic opinioni diffidere debere, quia motus non videt, cum ipsa semina percipi non possunt, ad ver. 332. Secunda seminum affectio est figura; docet autem VIII. semina non esse ejusdem figuræ, quædam vero rotunda, quædam

quadrata, quædam lævia, et alia aspera, hamata, &c. fuseque ostendit, quæ figuræ amara, quæ dulcia, quæ dura, quæ mollia corpora, componunt, ad ver. 476. IX. Hanc figurarum varietatem non esse infinitam, semina tamen ejusdem figuræ infinita; nempe rotunda esse infinita, quadrata, &c. ad ver. 580. X. Demum ostendit, res non componi e seminibus ejusdem figuræ; et variis argumentis probat, concreta omnia variarum semina figurarum continere, ad ver. 728. XI. Deinde docet, semina nullas habere qualitates, quas sensibiles vocamus; colorem utique, saporem, frigus, calorem, &c. item, sensu non donari; quamvis res coloratæ, sapidæ, calidæ, frigidæ, et sensibiles, ex iis componantur, ad ver. 1021. XII. Demum, infinita semina per infinitum inane volitantia infinitos mundos constituere, eosque mundos augeri aliquando a seminibus ex infinito delapsis; aliquando etiam, avolantibus in infinitum seminibus, deminui et dissolvi: ut plantæ et animalia nascuntur, adolescunt, senescunt, et ordine suo demum intereunt; usque ad finem libri.

IN LIBRUM TERTIUM.

HACTENUS, duobus nempe superioribus libris, naturam et affectiones, quas dicimus, atomorum, rite explicasse sibi visus est poëta. Nunc quatuor reliquis libris ea, quæ ex atomis istis fiunt, attentius speculatur: atque, uti par fuit, primas detulit partes animæ et animo, de quibus hoc toto libro jam disputat. Hunc autem auspicatur librum ab Epicuri laudibus, quem a ver. 1. ad ver. 94. prædicat primum docuisse, non a deo, sed ex fortuito atomorum concursu, mundum hunc, et omnia fuisse facta; atque inde hominum mentes a deorum, mortis, et pœnarum post mortem, metu liberasse: hoc autem unus Epicurus feliciter perfecit, quod alii philosophi frustra conati sunt. Pauca hæc de Epicuro præfatus, docet a ver. 94. ad ver. 137. animum et animam

partem esse hominis, æque ac pedes, manus, brachia, caput, et reliqua membra, et non habitum vitalem totius corporis, seu omnium partium corporis congruentiam, concentumque, qualem quidam veteres philosophi harmoniam dixerunt. Ne vero minus distincte disputare videatur, dum vocibus *animus* et *anima* promiscue utitur, a ver. 137. ad ver. 161. docet, animum et animam unam quidem rem esse, animum vero præcipuam esse partem, et in corde residere, quippe ibi metus, gaudium, et reliquæ passiones, quæ animum sequuntur, sese ostentant; dum anima, in quâ locomotiva facultas unice sita est, per totum corpus sparsa, ad nutum animi movetur: inde a ver. 161. ad ver. 177. demonstrare conatur, animi naturam esse corpoream: animus enim tangit animam, quam movet; anima autem, corpus; nullus vero, nisi inter corpora, contactus est. A ver. 178. ad ver. 323. docet, corporeum hunc animum componi e seminibus minutissimis quidem, tenuissimis, et maxime rotundis: et, si rem ipsam spectemus, e calore, vento, seu vapore, et aëre; et aliâ insuper re, quæ ex tenuissimis, minutissimis, et maxime mobilibus, seminibus constans, est sensûs principium, et origo: quo modo tamen calor, ventus, aër, et quarta illa res innominata misceantur, explicare se non posse liquido fatetur. A ver. 323. ad ver. 350. asserit, animam et corpus ita conjuncta esse, ut sine utriusque pernicie separari non possint: deinde, a ver. 350. ad ver. 370. non solum animum, sed etiam corpus, sentire affirmat, seu potius totum animal, rem e corpore et animâ compositam: post hæc a ver. 370. ad ver. 417. refutat opinionem Democriti, qui singulas animæ partes singulis corporis partibus appositas et conjunctas esse docuit: et, ut olim affirmavit, animum esse potiorem totius compositi partem, sic ab animo potius, quam ab animâ, vitam dependere, et salutem animalis conservari, asserit. Deinde a ver. 417. ad ver. 841. animos et animas nasci et interire cum corporibus, viginti octo argumentis demonstrare conatur, et transmigrationem Pythagoræ obiter deridet. Demum, a ver. 841. ad ver. 882. mortem nihil esse docet, cum post mortem nihil est mortali animæ timendum;

imo, si anima immortalis (ut Platoni visum est) concedatur, mortem tamen nihil esse, cum anima separata non meminerit, se unquam antea exstitisse. Proinde, ad ver. 906. ridet hominum vanam de sepulturâ solicitudinem: deinde demonstrat, mortem non esse malum, quia mortui non indigent istis bonis, quibus vivi gaudent, neque istis doloribus afficiuntur, qui miseros mortales cruciant, usque ad ver. 943. Vitam etiam ipsam non esse desiderabilem, quippe quæ nihil novi afferat, sed easdem semper voluptates usque ad nauseam subministret, ad ver. 990. Ne vero istæ fabulæ, quas poëtæ narrant, de inferis et pœnis post mortem, terreant mortales, inde ad ver. 1036. omnes illas commodâ interpretatione elevat. Unde, usque ad finem hujus libri, monet, plerosque mortalium inepte et absurde de morte queri; cum sapientissimi hominum, et potentissimi ducum et imperatorum, vim diræ necessitatis senserint: ac docet, ideo mortales vitam solicitam et inquietam agere, quod hanc mortis contemplationem refugiant, et inepte votis omnibus eam vitam expetant, quam aliquando amissuri sunt, quæ nullam novam voluptatem afferat, innumeris vero doloribus et periculis obnoxia reddatur; præsertim, cum vivendo nihil detrahant de tempore mortis, quæ manet omnes in æternum.

IN LIBRUM QUARTUM.

QUA supra libro primo usus est comparatione Lucretius, ut Memmii sui animum tantisper a contentione relaxaret; eâdem hunc librum quartum a ver. 1. ad ver. 26. auspicatur, ut auditorem sibi docilem reddat, et attentum. II. Libri hujus proponit argumentum, quod ex industriâ cum superioribus connectit. Cum enim primo et secundo libro abunde docuerit, quæ et qualia sint rerum primordia, quibus figuris distincta, quo motu ferantur, ac cæteras res procreent, libro vero tertio animæ atque animi natu-

ram fusius explicaverit, merito sane a ver. 26. ad ver. 46. hanc aliam subnectit disputationem, de sensatione tam vigilantium, quam dormientium. Quam disputationem ut ex ordine absolvat, a simulacris exorditur, quorum ope omnem sensationem fieri contendit. Docet itaque, III. a rerum superficie tenuia quædam et subtilissima simulacra mitti, quæ passim per aëra volitant, sigillatim tamen sub visum non cadunt, nisi a speculis, aut aquâ, repulsa, in oculos incurrant, a ver. 46. ad ver. 108. IV. Subtilitatem horum simulacrorum demonstrat, et subinde exiguitatem primordiorum confirmat, ad ver. 129. V. Simulacrorum duplex distinguit genus, alterum eorum, quæ sponte suâ generantur in aëre, qualia nonnunquam videmus fieri in nubibus, modo gigantum, modo montium, aut etiam belluarum, imagines imitantia; alterum eorum, quæ a rerum superficie avolant, quasi tenues rerum exuviæ? et deinde a rerum superficie has exuvias perpetuo oriri docet, et eâ motus celeritate per aëra ferri, ut vel luminis solaris jactum facile superent, a ver. 129. ad ver. 216. VI. Quia visus omnium sensuum primus habetur, ab eo exorditur, quem ex simulacrorum, seu imaginum, incursu fieri docet: interim autem explicat ea omnia, quæ ad visûs caussas spectant; variaque de visu problemata proponit, quæ rite solvit et explicat, a ver. 216. ad ver. 471. VII. Ne vero aliquis ex phænomenis modo explicatis sensus fallaciæ arguat, illorum dignitatem copiose adstruit, a ver. 470. ad ver. 524. Et subinde scepticos, præcipue a ver. 479. refutat: et demum asserit, omnem veritatem fidei sensuum inniti. VIII. His ita de visu disputatis, cæteros sensus aggreditur; ac primum docet, vocem ac sonum corporeas esse imagines, quæ aurem pariter feriant et auditum faciant: vocis naturam atque formaturam explicat. Cur eadem vox percipiatur a multis, rationem reddit; quid sit echo, quomodo fiat, a ver. 524. ad ver. 618. IX. Deinde de sapore, et gustu, de odore, et olfactu, docet; quid nempe sit sapor, quid odor, et cur non ab omnibus sentiantur. Cur cibus idem aliis dulcis, aliis amarus, fiat; cur odor alius aliis sit magis aptus; et vox aliis terrorem

incutiat, quæ alios juvet, saltem non terreat, a ver. 618. ad ver. 725. X. De imaginatione atque cogitatione agit, quas per tenuissima rerum simulacra, seu imagines, quæ in mentem incurrant, fieri pariter ait; inde varia de cogitationibus problemata proponit et explicat; cur, v. g. videamur in somnis videre illos, qui jam mortui sunt: cur simulacra rerum, seu imagines, videantur nobis morari, dum cogitamus ea: cur subito quisque cogitet, quæ lubuerit: cur in somnis cernamus imagines moveri, usque ad ver. 820. XI. A ver. 820. ad ver. 904. docet, linguam, oculos, aures, nares, omnia denique sensationis organa, prius nata esse, quam eorum usum; secus vero in artificiosis rebus, quæ pendent ex prævisâ indigentiâ. XII. De somno et insomniis agit; imprimisque docet, quâ ratione fiat somnus in nobis, et in cæteris animantibus: somniorum varias assignat caussas, et demum ad res venereas delapsus, a ver. 1030. usque ad finem libri, de amore, sterilitate, fecunditate, et aliis omnibus hanc materiam attingentibus, liberius forsan et apertius, quam nonnulli vellent, disputat; sed philosophis saltem, vel in his tractandis, videtur esse indulgendum.

IN LIBRUM QUINTUM.

I. LAUDES Epicuri, cui propter inventam et explicatam philosophiam plus debent homines, quam Cereri, Baccho, Herculi, aliisque divis, quos grati venerantur, ad ver. 55. prædicat. II. Deinde, in ver. 92. proponit totius libri argumentum, cujus partes postea explicat: et III. ad ver. 157. terram, mare, cœlum, solem, sidera, mortalia docet, nec, quod Stoïci putarunt, animata, dei ipsius partes, aut sedem et domicilium deorum esse, quod vulgus existimat, asserit. IV. Ne quis mundum a diis fuisse factum, atque ideo immortalem credat, ad ver. 236. varias rationes congerit, tam a naturâ deorum, quam a vitiis hujus mundi, ductas,

quibus probare conatur, hanc compagem non a diis constitutam, et mortalem esse. V. Ad ver. 417. quatuor elementa, terram, aquam, aëra, ignem, e quibus mundus constat, nasci et interire, et proinde mundum ipsum aliquando incepisse, aliquando etiam periturum, arguit; variisque aliis argumentis confirmat, hanc compagem nec ab æterno exstitisse, neque futuram esse immortalem. VI. Ad ver. 510. agit de primo mundi exortu; et singulis ejus partibus, prout graviores aut leviores sunt, sedes suas et locos assignat. VII. Ad ver. 613. multa de cœli et siderum motibus proponit, at nihil certi decernit: deinde docet, cur terra, cur tota compages, quod corpus grave est, nulli fundamento innixa, pendeat: solem denique, lunam, sidera, metitur; atque illa nec majora nec minora esse, quam nobis apparent, pronunciat. VIII. Ad ver. 770. varias utriusque solstitii, æstivi et hyemalis, caussas reddit; quo modo nox fiat, cur aurora solem præcedat, cur dies et noctes vicissim sese superent, cur luna vultum et figuram variet, cur denique sol ac luna eclipsin patiantur, disputat. IX. Deinde, a cœlo descendens, herbarum, arborum, avium, brutorum, hominum, origines describit. X. Ad ver. 835. monstra quoque, mutila quædam atque imperfecta animalia, nasci concedit; sed Chimæras, Centauros, Scyllas, reliquaque poëtarum portenta, suaviter deridet. XI. Demum, a ver. 922. ad ver. 1090. primorum hominum vires, rudem vitam, cultum, victum, ingenium, mores, domicilia, matrimonia, describit; et docet, unde sermo, voces, et rerum nomina. XII. Tandem, post ignem in terras a fulmine delatum, cultior vita facta est, et victus mollior; pacta et fœdera inierunt homines, agros partiti sunt; et pulcherrimi, aut fortissimi, reges constituti sunt; at brevi, ortâ seditione, respublica emersit, ad ver. 1160. XIII. Inde, ad ver. 1240. disputat de deorum metu, et ortu religionis; quam divinæ naturæ, et caussarum naturalium, ignorantiæ acceptam refert. XIV. Quæ sequuntur, metallorum ortum, primas bellandi artes, artis textrinæ, agriculturæ, musices, et aliarum artium, ortum atque progressum continent, usque ad finem libri.

IN LIBRUM SEXTUM.

PRIMI triginta tres versus hujusce libri continent, tam ipsarum Athenarum, quam Epicuri Atheniensis, laudes. Sequitur ad ver. 95. qualem ab Epicureo philosopho exspectes, argumenti hujus libri explicatio: et de meteoris dicturo primum occurrunt tonitrus, fulgur, fulmen; de quibus diligenter disputat: et demum istos deridet, qui, neglectis caussis naturalibus, ipsum Jovem fulmina jaculari existimant, ad ver. 421. His subjungitur, (nam prester fulmini affinis) a ver. 422. presteris brevis explicatio. Deinde, a ver. 450. ad ver. 533. multa de nubibus et pluviâ; pauca de iride, de nive, vento, grandine, pruinâ, et gelu, disputat. Si terræ motûs caussas velis cognoscere, a ver. 542. ad ver. 606. habes fuse explicatas. A ver. 606. ad ver. 638. de mari poëta disserit: inde ad ver. 710. de Ætnâ. Sequentia, ad ver. 738. Nilo destinantur. Deinde, a ver. 738. ad ver. 840. de Avernis, aliisque terræ tractibus, qui sunt hominibus, cervis, corvis, equis, et aliis, noxii, disputatur. Deinde, a ver. 840. ad ver. 905. de puteis, variisque admirandis fontibus, agit perjucunde. Postea, a ver. 905. ad ver. 1087. Magnes lapis diligentissime explicatur. Postremo, usque ad libri finem, de morbis et peste quædam disserit; quibus subjungit elegantem atque uberrimam sane descriptionem, nec minus eruditam et accuratam tamen, pestis illius, quæ tempore belli Peloponnesiaci Athenas opere maximo vastavit, e Thucydidis historiâ desumptam.

TITI LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.



ÆNEADUM genetrix, hominum divômque voluptas,
Alma Venus! cœli subter labentia signa

De Rerum Naturâ. Imo, T. Lucretii Cari Rerum Natura: τῳ *de* deleto. Ita ipse, v. 336. Ita Ovidii *Tristia*, non *de* Tristibus, &c. Sed hoc videatur esse λειπτοτερον τι και περιεργοτερον: nam ipse *Epicurus* libros suos inscripsit περι Φυσεως: et *Empedocles*, περι Φυσεως των Οντων, libros iii. *Suidas:* et *Ocellus Lucanus*, περι της του Παντος Φυσεως. Sic etiam noster mox, ver. 26. Bentleius. Hæc autem lucem injicient iis, quæ nosmet daturi sumus inferius, ad iii. 15.

Ver. 1. *Æneadûm.* In proclivi fuerat persuasio, ita scriptum esse ad Græcorum terminationem Αινεαδων, quorum imitationem in propriis potissimum nominibus poëtæ Latini solent affectare: præsertim, cum rarissima sit in hac declinatione casûs patrii pluralis contractio. Sed alia docuit, et salubria quidem, Priscianus, lib. vii. p. 731. "Est autem quando "genetivum pluralem quoque per conci-"sionem proferunt, et maxime in compo-"sitis et patronymicis, ut *Graiugenûm*, "pro *Graiugenarum*, Virg. Æn. iii. 550. "viii. 127. *caprigenûm*, ibid. iii. 221. "*omnigenûm*, ibid. viii. 698. Sic *cœli-*"*colûm*, pro *cœlicolarum* (Æn. iii. 21.) "et *trinundinûm*, Cicero pro Cornelio: "*amphorûm*, pro *amphorarum*; et *Æne-*"*adûm*, pro *Æneadarum*, Lucretius in "primo versu:

"*Æneadûm* genetrix, hominum divûmque vo-"luptas."

Sed falli quidem potuisse grammaticum in secundo exemplo nos nulli dubitamus: conferas Plaut. Epid. i. 1. 16. nam alia corradere in re tenui nimis anxii laboris esset.

Ibid. *Æneadûm genetrix.* Ita annales suos auspicatus est Ennius, ut noster hoc opus:

Te nunc, sancta, precor, *Venus*, et *genetrix* patris nostri,
Ut me de cœlo visas, *cognata*, parumper.

Bentleius.

Sed hunc locum Faber ei jam præceperat, ut mihi etiam Ovidium, trist. ii. 262. qui aperte nostrum subsecutus est:

Æneadûm genetrix unde sit *alma Venus.*

Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis,
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum

Hinc proprie imprimis in epig. 85. lib. iii. Anthol. Lat. Burm. ver. penult. scriptum legitur:

> Vina sitim sedent; *natis Venus alma creandis*
> Serviat: hoc fines transiluisse nocet.

Statius forte an huc respexerit, Silv. i. 2. 11.

> Ipsa manu nuptam *genetrix Æneïa* ducit,
> Lumina demissam, et dulci probitate rubentem.

Ibid. *hominum divûmque voluptas.* Hoc de *divis* generaliter potius videtur dictum ad populares de illis opiniones, atque rotunditatis gratiâ, quam quod sit Epicureorum rationibus affine: non ideo ad morosiores orationis proprietates exigendum. Quæ disputavimus autem nuper in nostrâ Silvâ Criticâ, tom. v. p. 49. ad S. Matth. xxviii. 18. super hac locutione, nobis otium excusate facient nunc jam, ad opusculum illud studiosos philologos cum bonâ lectoris veniâ, remittentibus.

Sed totum hoc exordium nihil proximius attingit, aut potentius illustrat, versibus quibusdam, hymnum in eandem Venerem auspicantibus, Homeri dictum; quos certe Carus in oculis habebat:

> Μουσα, μοι εννεπε εργα πολυχρυσου Αφροδιτης
> Κυπριδος, ἡ τε θεοισιν επι γλυκυν ἱμερον ωρσε,
> Και τ' εδαμασσατο φυλα καταθνητων ανθρωπων,
> Οιωνους τε διϊπετεας, και θηρια παντα,
> Ἡ μεν ὁσ' ηπειρος πολλα τρεφει, ηδ' ὁσα ποντος·
> ΠΑΣΙ ΓΕ εργα μεμηλεν ευστεφανου Κυθερειης.

Ita versus ultimus leni medicinâ persanandus est. Vulgo, Πασιν δ' ineptissime undequaque; et contra justas linguæ rationes, prout videbis, si perlegas statim sequentia in isto carmine.

Ver. 2. *Alma Venus:* ut Virg. Æn. i. 618. x. 332. Vetus glossarium: "Alma, κλυτη:" cui conveniret interpretationi mox veniens ver. 41.

> —— petens placidam Romanis, *incluta*, pacem:

et de *sole* quem vocat *almum* Flaccus, carm. sec. Avienus, Arat. progn. dicit, "vis *inclita* solis:" sed invitus accesserim equidem huic glossæ, et subjectas ejusdem libri potius amplectar: "Alma, θρεπτειρα: Almus, ζωδωρος:" ab *alo* scilicet; *genetrici* multo magis commodas. Hinc est, quod non *Venus* tantum, procreatrix rerum et animalium, nominetur poëtis *alma*, sed Juno præterea, *toris* præsidens *genialibus*, cum Tellure *omniparente.*

Ibid. *cæli.* Hæc orthographiâ semper mihi visa est sincerissima, quum *cælum* Latinorum nihil sit aliud quam Græcum κοιλον. Non dissentit Varro de ling. Lat. iv. 3. qui laudat ex antiquis poëtis "*cavum cælum, cava cæli, cæli clypeo;* cavum enim clypeum. Et Ennius item "ad cavationem, cœli ingentes *fornices.*" Vide nos infra, ad iv. 172. Vetus sane glossarium in diversum abit:—"Cælum, ουρανος, τερνος:" a *lævitate* scilicet; cum multis aliis, quorum longa fuerit et inutilis diligentiæ recensio: nisi quod Plinius, nat. hist. i. 4. non sit silentio premendus, cui prius Varronis arrisit etymon. Marius Victor, in gen. i. 64.

> ———————— quas circite vasto
> *Contegit* ætherium, deducto hinc nomine, cœlum:

i. e. *operculo* tegit magno, *concavo*, rotundo: si mentem poëtæ satis assequor, nostram sententiam stabilientis. Confer dicta ad v. 201.

Ver. 3. *mare navigerum.* Nostrum subsequitur Avienus, nitidissimus poëta, et omnino dignus, qui prodeat ornatior et emendatior in manus hominum, or. marit. 638.

> —— in ortu et fonte primo *naviger:*

atque rursus, orb. desc. 631.

> At, quà *navigero* tellus discedit ab *æstu*,
> Innumeræ gentes, populorum examina mille,
> Arva tenent.

Sic etiam, ut alii porro, Sedulius, pasch. carm. lib. iii. de Christo mare superambulante:

> Miratur stupefacta cohors, sub calle pedestri
> *Navigeras* patuisse *vias*.

Ibid. *terras frugiferenteis:* αρουραι πο-

Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt ventei; te nubila cœli,

πυροφόροι, Hom. Il. Ξ. 122. *χθόνα πουλυβότειραν*, Il. Γ. 265. Hesiod. Theog. 531. *φερέσβιον* ut ibidem, ver. 693. Et in his casibus harum dictionum orthographia, *frugiferenteis*, nobis etiam arridet; codices licet, opinor, ut omnes certe nostri, unanimi consensu *frugiferentis* exhibere soleant. Nec immerito sic statuimus, tam propter antiquitatem scripturæ, quam commoditates ejus; quas eleganter exhibuit his versibus Terentianus Maurus, p. 2395. accuratus in primis et perpolitus scriptor:

> Sic *Oveis*, *Plureis*, et *Omneis* scribimus pluraliter:
> Non enim nunc addis *E*, sed permanet sic ut fuit,
> Lector *ut* non singularem nominativum *sciat*,
> Vel sequentem, qui prioris sæpe similis editur.

Ita legimus: vulgo, *et sciet;* tenore orationis minime naturali: *τὸ* vero *et* interpositionem in primo versu, a Putschii editione, quâ solâ utimur, exulantis, adamantinæ metri necessitates postulant.

Denique, voce *frugiferens* non alius fortasse, qui nobis exstant, Latinorum usus est: *frugifer* aliquoties occurrit, ut veteris poëtæ in fragmento apud Martialem, xi. 91.

> Attonitusque legis *terraï frugiferaï:*

quem epigrammatarium nullus equidem laudaverim, auribus suaves sonos magnificosque sannis ita morose prosequentem.

Ver. 4. *Concelebras:* i. e. *uno* tempore, atque *unâ* operâ, hæc omnia, mare, terras, et aëra, frequentas—permeas—incolis—agitas; (vel *confrequentas*, ut loquar cum Prudentio, perist. i. 9.) hæc enim vis est compositæ dictionis in hoc loco; quam Ovidius illustrabit, epist. xv. 11.

> Arva Phaon *celebrat* diversa Typhoïdos Ætnæ:

ut ibid. ver. 57. amor. ii. 16. 37. met. iv. 46. unde infelicissime quidam solicitabant met. ii. 218.

> Et nunc sicca, prius *celeberrima* fontibus, Ide.

Lactantius, vi. 5.—" in *itinere celebrando* " nihil prodest viam nosse, nisi conatus " ac vires suppetant ambulandi." Consulas ibidem editoris Parisini notas.

Tibullus, usus vocabulo, mihi videtur ita corrigendus, eleg. iii. 5. 29.

> At vobis Tuscæ *celebrantur flumina Nymphæ:*

quæ planior est et rectior locutio: vulgo, *numina lymphæ*. Variare dictionem Carus voluit, ad ii. 346. et interpretis quasi in se munere defungi:

> Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
> *Concelebrant*, circum ripas, funteisque, lacusque;
> Et, quæ *pervolgant* nemora avia, pervolitantes:

ubi videas notata. Unum igitur sunt *concelebrant* et *pervolgant*, ad auctoris saltem nostri mentem.

Ibid. *per te genus omne animantum Concipitur*. Euripides, Hippol. 447.

> Φοιτᾷ δ' ἐν αἰθέρ', εισι δ' ἐν θαλασσίῳ
> Κλύδωνι, Κυπρις· παντα δ' ἐκ ταυτης ἐφυ.

Sic legendum: *εισι* incedit. BENTLEIUS. Et provocat vir summus ad Ovid: fast. iv. innuens haud dubie ver. 91. ubi *Veneris almæ* potentia laudibus effertur in carmine nonnihil, opinor, ingenio Lucretii debente:

> Illa quidem totum dignissima temperat orbem;
> Illa tenet nullo regna minora deo:
> Juraque dat *cælo*, *terræ*, *natalibus undis;*
> Perque suos *initus* continet *omne genus*.
> Illa deos omnes (longum enumerare) creavit;
> Illa satis caussas, arboribusque dedit:
> Illa rudes animos hominum contraxit in unum,
> Et docuit jungi cum pare quemque suâ.
> Quid *genus omne* creat *volucrum*, nisi *blanda voluptas?*
> Nec coëant pecudes, si levis absit Amor.

Hæc apertissima loci totius Lucretiani imitatio, et potissimum verr. 4. et 6. *ἀποσπασμάτω* propositi, confirmant suspicionem meam, quam constructio impeditior et invenustior semper animo ingerebat, non sine sensu manco nimium, de corruptelâ secundum versum Lucretii insidente; quam sic judicem tollendam esse:

> Æneadûm genetrix, hominum divômque voluptas,
> Alma Venus! cœli *sub te* labentia signa;
> Quæ mare navigerum——:

i. e. " sub tuâ potestate jacent cœlum et " ignes ætheris; tuâ, inquam, quæ con- " celebras, non cœlum tantummodo, sed mare etiam et terras." Et nisi quis saga-

Adventumque tuum: tibi suaveis dædala tellus
Submittit flores; tibi rident æquora ponti,

cior probabilius aliquid extuderit, atque receptæ scriptionis literis proximius, quod vix speres, hæc emendatio in portu navigat. Nobis adspirat Halieuticon fragmentum, ver. 4.

Cœptantem, *Venus alma*, fove! Ne staret inerti
Machina mole vacans, *tibi* primum candidus *Æther*
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo:
Te fecunda sinu *Tellus* amplexa resedit,
Ponderibus fundata suis:—tu fetibus auges
Cuncta suis: totus pariter tibi parturit orbis.

Neque abnegat suffragium Phornutus, de nat. deor. cap. 24. Καλειται δε ἡ Αφροδιτη Πανναυτια, δια το κρατειν τῳ ουρανῳ, και εν τῃ γῃ και θαλασσῃ, την δυναμιν αυτης θεωρεισθαι. Jam vero non intempestiva accesserit pars fragmenti ex Euripide, quam conservavit Stobæus, ecl. phys. cap. xii. et Athenæus, xiii. 8. quum credibile sit hujus nostrum haud immemorem fuisse:

Την Αφροδιτην ουχ ὁρᾳς ὁση θεος;
Αλλ' ουδ' αν ειποις, ουδε μετρησειας αν,
Ὁση πεφυκε, κἀφ' ὁσον διεξερχεται—. κτλ.

Est autem Œdipi fragm. xvii. ed. Musgrave.

Ver. 5. Proportio sermonis et concinnitas figuræ mihi persuasionem incutiunt, ob verbum *visit* utique, Lucretii manum posuisse:

——— visitque exortum *limina* solis.

Subacto judicio lector quivis perpendat committatque ea, quæ nuper disputavimus ad Virg. Æn. vi. 829. editionis nostræ. Haud his ipse dissentit Lucretius, ii. 577.

Quem puerei tollunt, *visentes* luminis *oras*.

Neque Claudianus, de laud. Stil. ii. 63.

——— vitæque, et *lucis*, in ipso
Limine—.

Quibuscum Manilius conspirat, i. 581.

——— fugientis *limina solis*.

Nec facit nihil jam ventura vox, *lumine*, nimis celeri recursu, ver. 9. nec nihil optimorum librorum varietates, *lumine*, G. L. M. et *numina*, V. ed. subæratum aliquid sonantes.

Ver 6. *ventei*. Hic præfanda quædam oportuerit, ut aures lectoris deprecer, de hujusce scripturæ novitate, se quidem locupletissimorum testium sententiis nullo negotio defensuræ. Viam nobis sternat P. Nigidii luculentissima suffragatio, hominis in disciplinis doctrinarum omnium præcellentis, et auctoritatis maximæ, apud A. Gellium, xiii. 25. "Si *hujus amici*, "vel *hujus magni*, scribas, unum *i* facito "extremum: sin vero *hi magnei*, *hi amicei*, casu multitudinis recto, tum ante *i* "scribendum erit *e*; atque id ipsum faci"es in similibus." Plura de hac re sparsim leguntur apud veteres grammaticos, quorum locum in Putschii collectaneis convenientissimum chartis meis alleveram, sed falsis numeris paginæ, adeo ut e manu penitus sit elapsus. Librarii scriptores, omnia suorum temporum pronunciationi temere accommodantes, germanæ antiquitatis vestigia passim obscuravere: infra tamen, ver. 231. V. ed. B. L. M. plane dant *ingenuei*: videas etiam Scaligeri ad Catullum initia notarum. Olim ad tertium usque casum in *i* declinationum aliarum se propagavit hæc scriptura, ut abunde notum est: quum vero nulli distinctioni commodæ inde consulatur, non idonea satis apparet caussa illius eatenus retinendæ. Qui vero de Nigidio modo memorato, et, omnium consensu, dotibus ingenii cumulatissime instructo, plura velit scire, is adeat, moneo, Rutgersii var. lect. iii. 16.

Quinetiam, codex noster Δ. versum, vocibus transpositis, ad hunc morem exhibet:

Te, Dea, te *venti fugiunt*.

Cæterum, docte monuit Preigerus, qui ad mensuram notarum ejus de Lucretio bene meritus est, Claudianum huc respexisse, de nupt. Hon. et Mar. 184.

——— *adventu Veneris* pulsata recedunt
Nubila; clarescunt puris *Aquilonibus* Alpes.

Ver. 7. Quod comparet in codd. B. L. M. *Adventuque tuo*, non est, mihi crede, quod existimabant editores, diversa

Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
Nam, simul ac species patefacta est verna diei,

lectio, sed germanissima vetustatis incorruptæ scriptio, pro *Adventumque tuom* ad solitam brevitatem, *adventūque tuō*, data. Nobis in operis decursu sæpius illucescet tenebris erumpens hujusce scintillula veritatis.

Ibid. *dædala tellus:* i. e. omni artificio florum, frugum, et arborum, se pingens et exornans:—rerum omnigenarum cum varietate suavissimâ speciosa artifex, creatrixque. Adsit vero Calpurnius, ecl. ii. 20.

——— illis etiam certantibus ausa est
Dædala nectareos *apis* intermittere flores:

imitatus nempe versum notissimum Maronis, geo. iv. 179. Qui vero *telluri* hoc epithetum affixerit, si nostrum excipias, nondum reperio; dum tamen vox ipsa tam Græcis scriptoribus, quam Latinis, passim frequentatur.

Jam vero, quum de *floribus* tantummodo agatur, *dædala* sit simpliciter *picta;* nam *dædalam*-*Circen* Virgilii sic repræsentat Valerius, Arg. vii. 211.

Sic, ut erat, mutata deam; mentitaque *pictis*
Vestibus et magicâ *Circen* Titanida virgâ.

Hesiodus, Theog. 878. *γαιαν ανθεμοεσσαν.*

Ver. 8. *Submittit flores.* Homeri locus obversabatur nostro, ad Il. Ξ. 347. ubi unum ex Veneris Lucretianæ officiis habes, non infimum illud, neque instrenue, mehercule! neque rursus injucunde, exercitatum:

Τοισι δ' ὑπο χθων δια φυε νεοθηλεα ποιην,
Λωτον θ' ἑρσηεντα, ἰδε κροκον, ἠδ' ὑακινθον,
Πυκνον και μαλακον,

Et imbecillius ad rem non facit, etiam venustate parum cedens, Hesiodus, dum Veneris natales canit, ad Theog. 194.

Εκ δ' ἐβη αἰδοιη καλη θεος· ἀμφι δε ποιη
Ποσσιν ὑπο ῥαδινοισιν ἀεξετο.

Interea, circa Lucretii locum volitabat mens Propertii, i. 2. 10.

Adspice, quot *submittat humus* formosa *colores:*

et Calpurnii, ecl. viii. 32.

Hic cantare libet: virides nam *subjicit* herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne:

uti vere et eleganter castigavit Barthius. Porro, hæc imitatur etiam Manilius magno cum successu ad iii. 652. edit. Bentleii, qui minus feliciter ad locum novare voluit:

Tunc primum miti pelagus consternitur undâ,
Et varios audet flores emittere tellus.
Tunc pecudum volucrumque genus per pabula læta
In Venerem partumque ruit; totumque canorâ
Voce nemus loquitur, frondemque virescit in omnem.

Et mirum fuisset sane, si prorsus inobservatos præteriisset tanto cultu, tot gratiis, versiculos magistri Virgilius. Sed non præteriit, horumce citra controversiam memor, ad ecl. iv. 23.

Ipsa tibi blandos *fundent* cunabula *flores:*

et in prioribus, verr. 18—21.

Submittit igitur valet, exquisitiore sensu, "e gremio mittit—*de sub* solo facit "pullulare—extrudit;" ut in Anthol. Lat. Burm. lib. iii. epig. 255. de Jove in bovem verso:

Nunc erat a torvâ *submittere* cornua fronte.

Occurrit etiam in hoc sensu *subdere*, ad ejusdem Anthol. lib. iv. ep. 106. quod sic fateberis probe lectum esse, atque interpunctum:

Si *fructus* proprio *subdat* de germine *tellus*,
Si *referat* sparsis debita seminibus;
Nascentur tumulo formæ nova messis, honores,
Et lepor, et suavis *germen amicitiæ*.

Vulgo, *subdit*, et *reparat;* nullo sensu: ac *formæ*, *nova messis;* ut *formæ* sit in primo casu plurali, inscite: et *gramina nequitiæ*, quod toto epitaphii scopo refutatur, bellissimi, Jupiter! et gravissimi. Alcimum etiam Avitum, iv. 299. transeuntes emendabimus:

Nudati colles, spoliatæ robore sylvæ;—
Pelion immensas *summittit* vertice quercus.

Vulgo insulsissime legitur, *cum mittat.*

Ibid. *tibi rident æquora ponti:* "emollitis nempe fluctibus ad placidissimam "usque et hilarissimam crispitudinem; "ita complanatâ superficie et διαχεομενη, "ut *niteat* pontus, lucis splendore non

Et reserata viget genitabilis aura Favonii;
Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque

"confuso ac deperdito, sed pure reflexo; "tibi visæ gratulabundus:" nam γιλᾳν est *splendere;* ut Romanis etiam *ridere:* adeas Hom. Il. T. 362. Horat. od. iv. 11. 6. nam cui non dictus est hic Hylas? Hinc capias Æschylum, Prom. vinct. 90.

———————ποντιων τε κυματων
Ανηριθμον ΓΕΛΑΣΜΑ:

eum quibus editores pulchre contulerunt Catullum, lxii. 273. de maris undis molliter crispatis:

Quæ tarde primum, clementi flamine pulsæ,
Procedunt; leviterque sonant plangore *cachinnei.*

Apollonidas non intempestivus aderit; cujus corruptissimum epigramma apud Brunck. analect. in notis ejus, p. 159. secundo disticho sic emaculandum esse dixerim:

Αιρει δ' αμφι σε ΠΟΝΤΟΣ, ὑπο Ζεφυροιο πνοησιν,
Αφρον ὑπερ νωτω κυανεω, ΓΕΛΑΣΑΣ.

Accedat Leonidas Alexandrinus, epig. 28.

Ουδ', ει μοι ΓΕΛΟΩΣΑ καταστορεσει ΓΑΛΗΝΗ
ΚΥΜΑΤΑ, και μαλακην φρικα φερει Ζεφυρος,
Νηοβατην μ' οψεσθε———.

Et Euripides, fragm. incert. 208.

Ακυμαντος δε ΠΟΡΘΜΟΣ εν φρικη ΓΕΛΑ!

Suaviter etiam Oppianus, hal. iv. 334.

ΚΥΜΑΤΟΣ ακροτατοιο ΓΕΛΩΣ ιθι χερσον αμειβει.

Hinc pendet elegantia Catulli, lxii. 67. quem alii secuti sunt in hoc usu dictionis.

Omnia quæ, toto delapsa e corpore passim,
Ipsius ante pedes *fluctus* salis *alludebant.*

Abesse non debet his deliciis poëtici sermonis Rutilius, itin. ii. 13.

Adridet placidum radiis crispantibus *æquor:*

qui sibi in proposito habuit Virgilium æmulari, loci hujusce felicissimum interpretem, Æn. vii. 9. nam verbum verbo videtur respondere:

——*splendet tremulo* sub *lumine pontus.*

Heliodorus, Æthiop. lib. v. init.—λειω πνευματος εκ γης προσπνεομενω, κυμα χθαμαλον ὑπετρεχε τε, και οιον ΠΡΟΣΕΓΕΛΑ, τη πρυμνη. Sed ex hoc materiæ pelago enatandi tempus est, ne lector nimietate mecum obruatur.

Ver. 9. *nitet diffuso lumine cœlum.* Confer iii. 22. et Homerum, Il. Θ. 554.

———ουρανοθεν δ' αρ' ὑπερραγη ασπετος αιθηρ.

Nostrum saltem Prudentius videtur respexisse, contra Symm. ii. 830.

——— solis radius colluminat omnes
Diffuso splendore locos:

et versum suum hinc Silius formavit, xii. 638.

Purgatusque *nitet*, discussis nubibus, *æther.*

Unde eruerit Pius *numine*, parum liquet: mendosam esse scripturam, id satis liquet vel cæcutientibus. Nescio quis, Anthol. Lat. Burman. i. 72. 63.

Ut tamen inlæsos Paphiæ servetis amores,
Vincula sic mixtis caute constringite ramis,
Ne *diffusa serat* per frondes *lumina* Titan.

Sic reponendum: nam vulgari solet, *ferat.* Ipse Carus, ii. 211.

——— et *lumine conserit* arva:

ubi nos videndi sumus, et locus Avieni ad iii. 1057. Huc etiam spectant, utpote ejusdem prorsus argumenti, versus non insuaves in eâdem Anthologiâ, vi. 89. 26. de *Venere;* quos sibi communicatos non ægre feret lector sapore lauto contactus:

Adrident late toto revolantia mundo
Sidera, blandito dominam venerata sereno.
Ipsa levi residens curru, mitissima divûm,
Ventilat adflatu cœlum, Zephyrisque remissis
Mulcet agros, lenique *satis* adremigat aurâ;
Protinus ut liquidum Phœbi jubar ore *reclusit*,
Progressamque deam docuere elementa favendo.

Male Burmannus conjectat *blanditu* in secundo versu. Et *satis*, i. e. *segeti*, de meo dedi pro mendoso *astris. Adremigat satis* nempe: quo non potuerat elegantius. Rescripsi quoque *reclusit*, vice *recussit;* et vere, ni fallor.

Ver. 10. *species verna diei.* Animum advertat lector conversionem rectæ constructionis summo opere Lucretio affectatam, *species verna diei*, vice *species diei verni*, vel veris: ut Propertius, iii. 20. 28.

Librorumque tuos, docte Menandre, *sales:*

pro *tuorum librorum sales.* Hæc formula minus percepta doctis viris incussit

Significant initum, perculsæ corda tuâ vi.
Inde feræ pecudes persaltant pabula læta,

mendi persuasionem; frustra. Plura dabimus super hac re inferius, ad ver. 475. et simile exemplum videas ad Ovid. met. xv. 214. Porro, V. ed. *simulas*, pro *simul ac*.

Ver. 11. *genitabilis*. Sic omnes uno consensu nostri. Avienus, orb. desc. 377.

Altera pulsatur *genitabilis* ore *Favonii*:

Idem in Arateis, ver. 1833.

Solers Natura, et rerum *genitabilis* ordo:

et in alio loco ibidem, quem proferemus tamen infra, sub ver. 180. quo se lectores conferant. Arnobius, lib. iv. p. 146. Lucretiani sermonis indefessus assectator: "Quis est enim, qui credat, si modo agnoscit ac percipit, vis istius potentiæ quæ sit,—*genitabiles* habuisse partes Deum—?" Varro, de ling. Lat. iv. 3. "Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc:

"Ætheris et terræ *genitabile* quærere tempus."

Habent autem G. V. ed. B. L. M. *genitalis*: quam tamen varietatem breviori scripturæ imputandam dixerim, quæ nullo negotio in hujuscemodi verbis turbas ciet. Tacitus, ann. xv. 44.—"*exitiabilis* superstitio rursus erumpebat:" sed duo codices habent *exitialis*. De similibus confusionibus, vide Oudendorpium, Apul. met. procem. p. 9. Quod, si *genitalis*, sincera sit lectio, sequens *aura* depravata est, ut ex violatis metri legibus bene manifestum. Hinc, si gravissimorum MSS. ponderi obsequendum arbitreris, non illepide reposueris profecto ad hunc modum:

Nam, simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget, *genitalis* cura Favonii—.

Hoc scilicet constructionis ordine: "Simul ac species verna diei, genitalis Favonii cura, patefacta est, et viget reserata:" i. e. illud ver, *quod curant et fovent* Zephyri. Virgilius, geo. ii. 263.

——— optima putri
Arva solo: id *venti curant*, gelidæque pruinæ.

Cura sane, pro *aura*, voluit Horatio suo inferre, ad od. ii. 8. 24. sed infelicissimo exemplo, Bentleius. Verum enim vero, ut sæpissime permutantur *ora* et *aura* in libris omnibus, (vide ad verr. 40. 74.) ne quid dissimulem, scripsisse Lucretium non verear tandem contendere:

Et reserata viget genitabilis *ora* Favonii.

Hoc mihi persuasit Avienus, orb. desc. 1140.

——— Inde *Favonii*
Quà *plaga fecundis* alit *aspros fructibus* agros,
Barbara montivagos tellus extendit Erembos.

In Maittairii vero collectaneis versus secundus sic exhibetur nobis:

Qua plaga *fœcundos* alit *almos fluctibus* agros:

longe corruptissime, si audiendum sit exemplar, Dionysium dico, ad ver. 963.

Λυπρων εργοπονων παραφαινεται υδας Ερεμβων.

De contractione *aspros*, consulas Sidon. Apoll. ii. 419. xxii. 131. Virg. Æn. ii. 379. Stat. Theb. i. 622. Prisc. perieg. 481. Sic *aspretum*—*aspredo*—*aspretudo*. His admoniti, scriptorem ingeniosissimum, Palladium Rutilium Taurum, in libro de insitione, ver. 67. emendabimus:

Castaneæ, septos *aspro vallamine*, fetus
Exuit, et placido pondere mutat onus.

Vulgo, *velamine*: vide nos ad iv. 591. De pyro nimirum loquitur poëta.

Ibid. *reserata aura Favonii*. Hunc locum, sed non ita presso pede, instituerat maximus Mantuanus, ad geo. iv. 51.

——— pulsam hyemem sol aureus egit
Sub terras, *cœlumque æstivâ luce reclusit*.

Haud minus elegantem in hac materie se præstitit Valerius Flaccus, i. 655.

Emicuit *reserata dies*, cœlumque resolvit
Arcus, et in summos redierunt nubila montes.

Ubi cupientibus hanc figuram exemplis aptissimis illustratam adeunda sunt, quæ Weitzius et Burmannus doctissimo labore congesserunt.

Ibid. *viget aura*: ut rursus infra, iii. 284.

——— *ventus*, et *aër*,
Et calor, inter se *vigeant*—;

Et rapidos tranant amneis: ita, capta lepore,
[Inlecebrisque tuis omnis natura animantum]

et hinc menda e Silio tollenda est, Pun. xii. 7.

> Dum Rhipæa *vigent* Aquilonis flamina:

vulgo, *rigent;* quæ vox ibi inepta est, nec minus ad i. 588. ubi eandem medicinam fecerim:

> Thracius hos Boreas scopulos, immitia regna,
> Solus habet; semperque *vigens*, nunc litora pulsat,
> Nunc ipsas alis plangit stridentibus Alpes.

Ver. 12. Hunc locum, et alium, ii. 991. Statius expressit. *Venus* loquitur:

> Quas ego non gentes, quæ non face corda jugavi?
> Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
> Non renuere greges: ipsum in connubia Terræ
> Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.

BENTLEIUS.

Ut etiam Calpurnius, ecl. xi. 26.

> Cerva marem sequitur, taurum formosa juvenca;
> Et Venerem sensere lupæ, sensere leænæ,
> Et, genus aërium, volucres, et squamea turba,
> Et montes, silvæque: suos habet arbor amores.

Cæterum, ut id moneam, etsi serius, vel illud *aëriæ volucres* non præteriit inadspectum idem Virgilius, ad ecl. iii. 69.

> —— *aëriæ* quo congessere *palumbes*.

Hos secutus est Manilius, i. 237.

> *Aëriæque* colunt *volucres:*

et alii. Hinc suavissime noster Popius:

> Or fetch *th' aërial eagle* to the ground.

Ver. 13. *initum:* M. *initium;* sed V. ed. Δ. Π. *nutum;* errore facillimo, et prorsus inutiliter. Receptæ lectionis sinceritatem monstrat Ovidii locus, fast. iv. 91. ad ver. 4. jam allatus.

Ibid. *perculsæ.* Creechius dedit post alios quosdam *percussæ,* sed invitis libris scriptis; et certe suadent aliud omnes nostri. Κέλλειν utique est ταχέως τρέχειν, auctore Etymol. mag. in voce Νωχελής: et *percellimur*, cum agitatio quædam violentior, vel lætitiæ vel timoris, membra omnia percurrat, et concutiat. Sed ne desideres Lucretii peritiorem interpretem, quam se præstitit Virgilius; qui sic videtur enarravisse vim dictionis *perculsæ*, in geo. iii. 250.

> Nonne vides, ut *tota tremor pertentet* equorum
> *Corpora*, si tantum notas odor adtulit auras?

In re prorsus simili, Thomsonus noster, celebrans itidem amores avium, Lucretianæ dictionis potestatem assecutus est, et efficaciâ cum felicissimâ quidem repræsentavit:

> And *shiver* every feather with delight.

Jam vero paratior accesseris ad percipiendam Sophocleæ phraseos venustatem, quam si centum scholiastarum commentarios evolvisses, ad Ajac. 693. Ἔφριξ' ἔρωτι: quæ verba sic transtulit conditor Thebaïdos, i. 493. sane quam feliciter:

> ———— *lætus*que *per artus*
> *Horror iit.*

Compares cum his nostrum, iii. 28. 29. Idem Statius ulteriorem operam navabit nobis ex ejusdem poëmatis v. 445. Mantuani vestigiis, ut semper, diligenter inhærescens:

> Ergo iterum Venus, et tacitus *corda* aspera *flammis*
> Lemniadum *pertentat amor.*—

Fructuose restituatur etiam hæc eadem vox Senecæ, Thyest. 822.

> Trepidant, trepidant pectora, magno
> *Perculsa* metu.

Vulgo, *percussa;* minus efficaciter et tempestive minus: sed non est cujusvis tenuiores discrepantias verborum subtiliter discernere. Valerius Maximus, i. 8. 3. ext.—"inopinati monstri *perculsa* "conspectu:" quam lectionem summo cum judicio vindicat Torrenius, omnino consulendus. Nimirum, haud raro eveniet vel *percuti*, vel *percelli*, ita loco convenire, ut nemo prudentior confidenter ferat judicium: sed memineris tamen illud proprie significare, "in quâdam par- "te corporis ictum pati;" hoc autem, "membris omnibus commoveri." Vide Bentleium, ad Horat. epod. xi. 2. non per omnia tamen satis accurate disputantem.

Ver. 14. *feræ pecudes* lectio est librorum omnium, tam manu scriptorum, quam typis excusorum; sed Bentleio non injuriâ suspecta: nam rarissime consociantur hæc vocabula; et passim inter se opponuntur *pecudes* et *feræ* apud universos, et

Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique, per maria, ac monteis, fluviosque rapaceis,

solutos metri legibus, et inclusos. Unde lubenter obsecuturus eram Bentleio scribenti:

Inde feræ *et* pecudes—;

atque suscitanti, ver. 164.

Armenta, atque aliæ *pecudes;* genus omne *ferarum;*

cui poterat subjecisse, v. 1057.

Cum *pecudes* mutæ, cum denique secla *ferarum:*

et Virgilium, geo. iv. 223.

Hinc *pecudes*, armenta, viros, genus omne *ferarum:*

cum Statio denique, ut finiam, Theb. x. 141.

Illius aura solo *volucres*, *pecudes*que, *feras*que,
Explicat.

Adeas etiam nostrum, iv. 1191. v. 229. Sed emendationi Bentleianæ, quam seorsim egomet extuderam, præcipuam auctoritatem conciliare videbatur Mantuanus, ad geo. iii. 242. quoniam sit locus ille ex professo, uti satis liquet, ad imitationem Cari nostri compositus:

Omne adeo genus in terris, hominumque, *ferarum*que
Et genus æquoreum pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt:

ubi perlegas quæ diximus in editione nostrâ, loco Maronis explicando unice inservientia: nam admonendus restas, *feras* per se pro omnibus animalibus probissime usurpari, vel vicissim *pecudes:* adeas ii. 1080. Stat. Theb. i. 339. ne sim nimius in infinitâ re. Hinc enim vero fortassis fuerit, cui non displicebit aliud tentamen nostrum, et minore cum dispendio receptarum literarum excogitatum:

Inde *fere* pecudes persaltant pabula læta:

generaliori sensu τῷ *fere*, quali nempe noster ad ii. 370.

Ad sua quisque *fere* decurrunt ubera lactis.

Ennius apud Nonium, voce *pulvis*, iii. 157.

Jamque *fere* pulvis ad cœlum vasta videtur.

Sed, rationibus omnibus accurate subductis, nihil in Lucretio demutem; nam Bentleiana divinatio Martialem, ad spectac. xxi. etiam corrigendum postularet:

Affuit immixtum *pecudum* genus omne *ferarum:*

huic autem facto se Ovidius opponit, met. x. 143. de eodem Orpheo verba faciens:

Tale nemus vates attraxerat; inque *ferarum*
Concilio, medius turbæ, volucrumque sedebat:

sic enim locus iste legi debet, atque interpungi; videas me ad Silv. Crit. ii. p. 16. Tertullianus, in libro de judicio Domini, ver. 66.

Sub ditione dedit terras, *animis*que volantum
Pennatûm genus, *et pecudum* genus omne *ferarum*,
Et genus æquoreum, et deformia monstra natantum.

Ita rescribo ex conjecturâ, pro

——————— *animas*que volantum,
Pennatûmque genus: pecudum——;

quæ non capio: *animis* vero, *auris;* vide Lucret. v. 237. 1229. Hilarius in genesi, ver. 11.

Gens hominum, *pecudes*que *feræ*, mille atque volucres,
Et quæ per liquidos discurrunt agmina campos,
Omnia per temet.

Sed in his Hilarii versibus, pro "*mille atque* volucres," rescribi jubeo:

—— pecudesque feræ, *mollesque* volucres.

Marius Victor, in gen. i. 119. emendationi fidem dabit:

Hinc *volucres* quoque, *molle genus*, traxere vigorem.

Ibid. Vulgo, *persultant:* Π. *persaltant*, antiquiore formâ; atque, opinor, vere: quum usitatum nostro sit vocalem simplicium verborum in compositis non mutatam dare; quod, qui eum triverint, fatebuntur. V. ed. *persultans;* et mox *aranis*, pro *amneis*.

Ibid. *persaltant pabula.* Avienus in Arateis sub finem non incommode comparabitur, in tenui materie poëta minime contemnendus:

Et, si *persultans* aries lascivius *herbas*
Adpetat, aut sese subtollant saltibus hædi—.

Ver. 15. *rapidos amneis.* Virgilius, Æn. xi. 297.

——————— saxa morantur
Cum *rapidos amnis*.

Unde quivis videat Livium esse corrigendum, ad xxii. 5.—"motum terræ, qui "multarum urbium Italiæ magnas partes

Frundiferasque domos avium, camposque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Eeficis, ut cupide generatim secla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,

" prostravit, avertitque cursu *rapidos amnes*, mare fluminibus invexit." Et conjecturæ meæ suffragantur codices emendatissimi. Vulgo, *rapido.* O! duras aures Drakenborchii, quibus haud impingeret ingratus vocalium istarum intolerabilis hiatus!

Ver. 16. Versus extra controversiam adulterinus et insititius, quem non agnoscunt P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. neque quivis alius, opinor, codex: ideoque, ut rejiculum omnino, uncinis circumscriptum voluimus. Alibi non adhibuit vocabulum *illecebris* Lucretius; nec tamen multum velim huic argumento attributum. Egomet hercle nihil omnium liquidius perspectum habeo, quam occasionem corruptelæ. Coram oculis ponamus sincerum locum:

———— ita capta lepore
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.

Librarius nempe non potuit concoquere illud *quamque* serius, et extra ordinem suum, veniens.

Atqui eandem constructionem jam dedit poëta ad iii. 1052.

Denique, *Democritum* post quam matura vetustas
Admonuit memorem motus languescere mentis,
Sponte suâ leto caput obvius obtulit ipse.

Rectum scilicet fuerat *Democritus:* et tantilla res vel acutissimo Bentleio fraudi fuit. Quid autem? si et alterum exemplum apposuero in re pervulgatissimâ, veniamne concedet lector? Terent. And. prol. 2.

Id sibi negotii credidit solum dari,
Populo ut placerent, *quas* fecisset *fabulas.*

Inserviet etiam nobis alter locus ipsius Cari, huic simillimus, ii. 318.

Lanigeræ reptant *pecudes*, quo *quamque* vocantes
Invitant herbæ——:

et mox veniens, ad ver. 171.

Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest *quoiusque:*

i. e. "*quidque* enascitur, ubi ejus est materies."

Ver. 17. P. B. et Ω. pro *quo quamque* dant *quocunque:* frustra. Unde vero Pius habuerit suum *quodque* versûs 15. pro *capta*, nullus dixerim.

Ver. 18. *fluviosque rapaceis.* Maro, geo. iii. 142.

———— *fluviosque* innare *rapacis.*

Seneca, Phœniss. 71.

———— heic *rapax torrens* cadit.

Conferas Avien. orb. desc. 432. Hos æmulatus est Orosius, ut qui poëtarum locutiones exquisitas studiosissime compilaverit: hist. ii. 6. et locum dabimus sincere scriptum, et explicitum: " Nam unum " regiorum equorum, candore formâque " excellentem, transmeandi fiduciâ per" suasum, quâ per *rapacem alveum* offen" si vado vortices attollebantur, abreptum " præcipitatumque *merserunt:*" vortices nempe. Editur vulgo, *merserat:* nam fucum fecit librariis et editoribus vox *vortices* extra rectum ordinem constructionis posita; quod nuper vidimus et Lucretii commentatoribus evenisse. Priscianum excitabo, in periegesi, ver. 779.

———— nam latior intus,
Sangarii *rivis fluvii* vicina *rapacis.*

Vulgo, *ripis;* sed ita esse reformandum ad emendationem meam, vel solus Dionysius ostenderet, ver. 811.

Εὐρυτέρη γεγαυῖα, παρ' ὕδασι Σαγγαρίοιο·

a quo fidissimus omnium interpres ne latum quidem unguem soleat evagari; ut omittam morem scriptoris peculiarem, qui ad ver. 210. similiter habet *flumen fluvii*, et ad ver. 522. *rivi amnis.* Eidem non alia medicina facienda est ad ver. 909.

Hujus ad auroram *rivis* devolvitur altis
Tigris, *aquâ* superant quem flumina nulla *rapaci.*

Hanc etiam correctionem exemplar Græcum flagitat, ver. 984.

Τὸν δὲ μετ', ἐς αὐγάς, ποταμῶν ὠκιστος ἁπάντων,
Τίγρις ΕΫΡΡΕΙΤΗΣ *φέρεται·*

Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum neque amabile quidquam;
Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de RERUM NATURA pangere conor

ευρρειτης nempe, *plenus—violens—altus*, fluvius: vide me ad Soph. Philoct. 491. fluvius autem *altis ripis* est aquâ tenui fluvius, et infra situs; adi Virg. Æn. xii. 752.

Et observet lector, ad Carum rediens, *το monteis* respicere sæviorum pecudum genus, et *το campos virenteis* vicissim mitiorum, in ver. 14.

Ver. 19. *domos avium*. Virgilius, geo. ii. 209.

> Antiquasque *domos avium*:

atque adeo de quietibus omnium animalium. Exemplo sit Valerius Flaccus, ut vindicem et illustrem, Argon. ii. 73.

> Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes
> Albet ager; motisque truces ab ovilibus *ursi*
> Tuta, *domos*que, petunt.

Miror subdubitare Burmannum de voce *albet*: vide nos de Stat. Theb. x. 370. infra, ad vi. 1234. sed maximos æstus ciet dictio *motis*, in quâ expediendâ nihil promovent Heinsius et Burmannus. Tu interpreteris velim *motis, se moventibus*; e somno scilicet se excutientibus ad primam lucem, quæ exterret nocturnas feras: mediæ vocis reflexo sensu, quam proprietatem nobis contigit primis probe percepisse, et multoties asseruisse atque vindicasse.—De scripturâ vero *Frundiferas*, vide ad ver. 119.

Ver. 20. *incutiens per pectora amorem*: solitâ constructionis inversione pro, *incutiens amore pectora*; i. e. percellens: vide nos ad ver. 13. et ad Eurip. Herc. fur. 67.

Ver. 23. *Nec*: Π. *non*. Idem *diei*, pro *dias*: et, vice *oras*, Π. et Σ. *horas*.

Ibid. *in luminis oras*. Ennius, ann. i.

> Tu produxisti nos intra *luminis oras*.

Et similiter Maro sæpius, et omnes alii, tam pedestres, quam numeris inclusi; ut molestum fuerit atque insulsum congerendis exemplis immorari.

Ver. 24. Hæc quodam modo Comicum referunt, ad Plutum, ver. 144.

> Και, νη Δι', ει τι γ' εστι λαμπρον, και καλον,
> Η χαριεν ανθρωποισι, δια σε γιγνεται.

Cæterum, ex infinito locorum numero Veneris delicias in libris veterum collaudante, instar omnium sit suavissimum Nossidos epigramma; cujus dulcissimæ puellulæ effatis lubentissime subscribo, et deosculor lepores:

> Αδιον ουδεν ερωτος· ερωτος δευτερα παντα
> Εστιν· απο στοματος δ' επτυσα και το μελι.
> Ταυτα λεγει Νοσσις· τινα δ' α Κυπρις ουκ εφιλασεν,
> Ουκ οιδε τηνας ανθεα ποια ροδα.

Ver. 25. *scribundis*: Π. et Σ. *scribendis*; sed audiendus est Priscianus, lib. i. p. 552. "Apud antiquissimos, quoties-"cunque *nd* sequuntur in his verbis, quæ "a tertiâ conjugatione nascuntur, loco *e*, "*u* scriptum invenimus; ut *faciundum*, "*legundum*, *dicundum*, *vertundum*; pro "*faciendum*, *legendum*, *dicendum*, *ver*-"*tendum*."

Hunc vero Lucretii locum imitatus est Gratius, in ipso limine cynegeticôn, ita certissime rescribendus; ut ipse partim eram conjectando assecutus:

> Post *alii*, propiore viâ, *meliore profectu*,
> Te sociam, Ratio! rebus sumpsere gerendis.

Quæ sunt venustissima. Vulgo legitur in editis, *aliâ—meliusque profecti*; odiosâ cum scabritie orationis, et structuræ. Porro, V. ed. *studio*.

Ver. 26. *Rerum Naturâ*. Auctor Ciris, in versibus quantivis pretii, et quos magniloqui Maronis superbissimum judicium nullo modo dedignatum esset, ver. 36.

> Tali te vellem, juvenum doctissime! ritu
> Purpureos inter soles, et candida lunæ
> Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
> *Naturæ rerum* magnis intexere chartis.

Cicero de finn. i. 19. "Nisi autem *rerum* "*natura* perspecta erit, nullo modo pote-"rimus sensuum judicia defendere."

Memmiadæ nostro; quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus:
Quo magis æternum da dictis, Diva, leporem.
Ecfice, ut interea fera mœnera militiaï,
Per maria ac terras omneis, sopita, quiescant.

Ibid. *pangere:* ut Ennius prior apud Cic. Tusc. dispp. i. 15.

Adspicite, O! ceives, senis Ennii imaginis formam.
Heic vostrûm *panxit* maxuma *facta* patrum.

Unde plures illis succedentium. Totius orationis color mihi haud levem persuasionem incutit, hanc vocem redonandam esse Silio, ad Pun. xii. 389. quamvis plene sciam receptam lectionem suo loco esse probatissimam, et optimis scriptoribus frequentatam:

Non equidem innumeras cædes, totque horrida *facta*,
Sperarim tanto digne pro nomine rerum
Pangere, nec *dictis* bellantum æquare calorem.

Vulgatum *pandere* de rebus minus cognitis, et ab intelligentiâ populari reconditioribus, rectius usurpatur. Nec mirum est poëtam, de Ennio dicturum, Ennianam dictionem adhibuisse. Hæ voces librariis permutantur etiam ad Seren. Sam. de med. 1.

Ver. 27. *Memmiadæ:* i. e. Memmio, familiâ Memmiorum oriundo; ut iii. 1047.

Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ.

Ibid. *tu, Dea, voluisti excellere:* ut de Antonio Musâ epigramma Virgilio ascriptum, ver. 5.

Cui *Venus* ante alios, Divi, Divûmque sorores,
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona.

Ver. 28. *Omnibus ornatum rebus.* Homeri vestigiis insistere videtur, ad Odyss. Δ. 725.

Παντοιης αρετησι κεκασμενον εν Δαναοισιν.

Unde refellendi sunt, qui ex ruderibus cod. G. *ora latum*, eradere volunt *prælatum*, vel *altatum*, Gratiis renuentibus. His autem Lucretii versibus facile dixerim mentem Silii intentam esse ad Pun. xv. 456. neque locum elegantem huc uberius tralatum, et scriptum distinctumque emendatius, lector lepidus damnaverit:

Magnum Dardaniæ, Læli, decus; omnia felix
Cui Natura dedit, nullo renuente deorum.
Ille, foro auditus cum dulcia *solveret* ora,
Æquabat Pyliæ Neleïa mella senectæ:
Ille, ubi suspensi patres, et curia vocem
Posceret, ut cantu, *mulcebat* corda senatûs.

Vulgo, *ducebat;* nec absurde prorsus: sed Virgilii vestigia Silius indefessus legit. Sic autem Æneïdos divinæ conditor, Æn. i. 153.

Iste regit dictis animos, et *pectora mulcet*.

Addas Æn. vii. 33.

Adsuetæ ripis volucres, et fluminis alveo,
Æthera *mulcebant cantu*.

Porro, liquidissimus est atque numerosissimus hic Cari nostri versus; et elisionem illam in medio quarti pedis, sane perjucundam, impensissimo cum affectu amplexus est, et æmulatus, Maro.

Ver. 30. *Ecfice ut.* Hoc sincerum esse, et ab ipsius poëtæ manu, nego equidem, ac pernego. Ocyus reponas.

Ecfice, *at* interea.

Vinculum constructionis ad molliorem seriem verborum impendio flagitatur; neque dubium est, quin exquisitior structuræ forma librariis scriptoribus imposuerit. Pariter Ovidius, fast. iii. 683. omisso *ut:*

Effice, Dii studio similes *colamus* in unum.

Apuleius, met. i. p. 31. "Effeci, sequatur:" ubi videas Oudendorpium; nam, in pervulgatâ re, et omnibus vel puerulis notissimâ, quid operosis opus est exemplis? Vide nostrum, vi. 231. et notata nobis ad ii. 1003. et ad Virg. Æn. v. 59. Inveniemus, in opere decurrendo, Lucretium minime abhorruisse ab hac ellipsi. Qui legere volebant *Et face*, morbum quidem deprehenderunt, sed remedio erant infelices.

Ibid. *mœnera:* P. Ω. *munera;* V. ed. B. Σ. *monera.* Locum citat Lutatius ad Stat. Theb. iii. 295. ubi lectum invenio "fera *mœnia;*" ut putem, pro *munia*,

Nam tu sola potes tranquillâ pace juvare
Mortaleis: quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devictus volnere amoris:
Atque ita, suspiciens tereti cervice repostâ,

quod fortasse genuinum. Sic Lucanus, v. 8. "belli *munia*:" ut etiam Sallustius, Tacitus, Livius i. 42. ad cujus etiam xxxvi. 31. consuli potest de his vocabulis Drakenborchius. Dictys Cretensis, i. 16. ipsissimis verbis:—"ad *munia militiæ* festinarent." post Tacitum, ann. xv. 11. Similiter variant libri ad ver. 33.

Ver. 31. *sopita*. Dictys Cretensis, v. 10. "Ita, *sopito* jam exinde *bello*, passim "uti quisque partium voluerat, nunc "Græci cum Trojanis, rursusque hi apud "naves, amice agere."

Ver. 32. Ad l. c. Statii, ubi vetus enarrator nostrum laudat, Lucretianos versus sibi imitandos poëta sumpsit ad hunc modum:

O! mihi bellorum requies, et sacra voluptas,
Unaque pax animo; soli cui tanta potestas
Divorumque hominumque meis occurrere telis
Impune, et mediâ quamvis in cæde frementes
Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextrâ.

Preigerus etiam locum Papinii excitavit.

Ver. 33. Voces *belli fera* desunt in Π: et hic codex pro *qui sæpe* in sequente versu dat *persæpe*.

Ver. 35. *Rejicit:* V. ed. B. L. Σ. Ω. *Reficit;* Δ. autem *Refficit:* non omnino male, quum *in gremium* bene steterit pro *in gremio;* vide Silv. Crit. v. p. 31. et infra, ver. 250. sed lectionem vulgatam malim, facile detortam ex *Reicit*, vel *Reiicit*, in alteram: et favet Lutatius, ad l. c. Statii. Porro, *rejicere in gremium* efficacissima est locutio, et vividius depingit festinationem et aviditatem Martis se in Veneris gremium e belli tumultu abripientis, et quasi *jaculantis*. Florus, i. 14. qui floribus poëticis amat suam orationem conspergere:—"in "confertissima *se* hostium tela *jaculatus*." Tempestivus etiam obveniet Terentius, And. i. 1. 109.

Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum, flens, quam familiariter.

Cæterum, huic loco supervenient satis commoda illustratio versus quidam in Martem, Anth. Lat. Burm. i. ep. 26. ad incudem meam revocandi, ut politiores exeant:

Sic tibi, post pugnas, et pastos sanguine campos,
Amplexus *tribuat*, vincli secura, Cythere!
Tu cristâ galeâque rubes; tu, pulcher in ære,
Incutis *in vultum* radiantia lumina ferro:

i. e. præstringis oculos splendoribus radiantibus ab armorum ferro. Vulgo, *tribuit*, et *e vultu*.

Ibid. *devictus*. Ita G. V. ed. B. P. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. ut quæ venia τῷ *devinctus* concedenda sit, non equidem discerno. Poteras sane interpretari *devinctus* per *impeditus*, ut apud Macrobium, Sat. vi. 4. Furius, si sit locus integer, ut est perelegans:

Ille, gravi subito *devinctus vulnere*, habenas
Misit equi, lapsusque in humum defluxit, et armis
Reddidit æratis sonitum.

Et Statius fortassis huc faciat, Theb. ix. 567.

Sidoniisque simul *nectebat vulnera* Mavors.

Nam minus convenit, ob vocem *volnere* in Caro, Virgilii locus, Æn. viii. 394. quamvis hinc expressus sit:

Tum pater *æterno* fatur *devinctus amore:*

et ibi variant itidem codices. Saltem consentientibus libris haud videtur eundum obviam. Eâdem de caussâ, τὸ *vulneris* nempe interjecti, ad aliam lectionem asserendam non Apuleius facit, met. ii. p. 98. satis cæteroquin tempestivus: "Serit blanditias; invadit spiri- "tum; *amoris* profundi pedicis æternis "alligat." Ita distinguendum. Similiter, p. 217. "Adjuro per dulcem istum ca- "pilli tui nodulum, quo meum *vinxisti* "*spiritum*." In transitu emendabo Tibullum, i. 1. 55.

Pascit amore avidos, inhians in te, Dea, visus;
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.

> Me retinent *victum* formosæ vincla puellæ.

Vulgo, cum putidissimâ locutionis cognatæ congerie, *vinctum*. Maro, ecl. x. 69. "Omnia *vincit amor*." *Vulnere victum* vero legas apud eundem, Æn. x. 842. xii. 640, 943.

Denique, scriptor in Anth. Lat. Burm. i. 72. 77.

de Martis et Veneris amoribus, Lucretium videtur respexisse, adeoque nostram lectionem firmat:

> Ecce furens, post bella, deus, post prælia, victor
> *Victus amore* redit.

Ver. 36. *tereti cervice:* secundario vocis sensu, pro *flexili—fluido*, ὑγρῷ: vide nos ad ii. 596. iv. 592. et alibi plus semel: nam propria potestas dictionis, *lævi*, vel tenuiter et equaliter rotundato, potius Venerem attingeret, quam amasium ejus durum ac robustum. Non negligenda est imitatio Mantuani, lucem his injiciens: Æn. viii. 633.

> ——— illam, *tereti cervice* reflexam,
> Mulcere alternos, et corpora fingere linguâ:

quæ tamen Ciceronis ex Arateis, omni genere poëticarum venerum florentissimis, juraveris eum potius hausisse, sub initio fragmentorum:

> Obstipum caput, et *tereti cervice reflexum*,
> Obtutum in caudâ majoris figere dicas.

Grotius dedit *in caudam*. Quam infeliciter! Anne aliter Ovidius, fast. iv. 317?

> Submissoque genu, vultus *in imagine* divæ
> Figit—.

Aut etiam Virgilius, Æn. xii. 70? ut poëtæ centies libentius: unde non dubitem ad hanc normam exigere Avienum, Arat. 424.

> ———flexo jacet illic crure, minaces
> *In terrâ figens oculos*.

Nec minus est idem Maro opportunus, ad Æn. xi. 622. de agrestibus et fortibus bellatoribus verba faciens:

> Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
> Clamorem tollunt, et *mollia colla* reflectunt.

Interpretis officio in Lucretium fungetur Manilius, i. 334. de serpente ophiuchi:

> Respicit ille tamen, *molli cervice reflexus*,

Et opportunam operam navabit Suidas, in voce ῥαδινη, nescio cujus laudans versiculum:

> Ω ποδες, ω κνημαι, ω τη 'ΡΑΔΙΝΟΙΟ ΤΡΑΧΗΛΟΥ.

Cæterum, optime admovit Preigerus Ovidium, met. x. 558. ubi laudant Lucretium interpretes:

> Inque sinu juvenis positâ cervice, renidens,
> Sic ait: ac mediis interserit oscula verbis.

Silius etiam in cumulum veniat, ut castigetur, ad Pun. vii. 322.

> ——— ingens, clipeo *cervice repostâ*,
> Inter equos, interque viros, interque jacebat
> *Rapta* manu spolia, et rorantia cæde, Maraxes.

Ita interpunxeris emendate, et caste scripseris. Vulgo, *capta;* sed Virgilio Silius oculos suos nunquam demovet; et ita ille, geo. iii. 32.

> Et duo, *rapta manu*, diverso ex hoste tropæa.

Ver. 37. *Pascit visus.* Cicero, Philip. xi. 3. "—in ejus corpore lacerando at-" que vexando, cum animum satiare " non posset, *oculos paverit* suos." Justinus, xxi. 5. de exsule Dionysio: "—quod " emere non poterat, *oculis devorare:*" ubi plura de hoc loquendi genere interpretes. Noster iterum, ii. 419.

> ——— *oculos* quei *pascere* possunt:

et, nostri memor, Claudianus, in Rufin. i. 164.

> Illecebris capitur, nimiumque elatus *avaro*
> *Pascitur intuitu:*

prælatâ tamen reflexæ significationis voce, *pascitur* nimirum, pro *se pascit;* unde scelus piaculare, in proprietatem Latinæ linguæ admissum, ad Anthol. Lat. Burm. iv. 48. negotio nullo tollas. Sed integram proferamus inscriptionem, grata lectoribus facturi, cum sit purissimæ suavitatis, et omnino dignissima, quæ manum emendatricem jam nunc subeat:

> Optime, mutasti vitam cum morte, Sabelli;
> Vita sed est potius morte secuta tuâ:
> Nunc etenim vivis, nunc *in felicibus* ævum
> Ducis, ab humanâ conditione procul.
> Nunc et, in excelsâ cœli regione locatus
> Cum Superis, nectar *poscis*, et ambrosiam.

Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas

Ita distinctum oportuit, et rescriptum. Codices *et felicibus*, vel *fidelibus*, pro quibus dederunt editores *et felicius;* male, quum nullus sit comparationi locus, si prior vita fuerit isto nomine indigna. Hæc est mens scriptoris: " Mutasti vitam, " Sabelli, cum morte. Vitam dixi? Imo, " vivere nunc demum incipis; nec vivere " tantummodo, sed in rebus etiam beatis " vivere; et pro dignitate tuâ nectar pos- " cere."

Vulgo, *pascis:* fedissime. Horatius, sat. ii. 8. 82.

Quod sibi *poscenti* non dentur pocula.

Sed est in tritissimis dicendi formulis. Qui vero ad Silium, Pun. iii. 202.

——————— ardua quæ sit,
Scitatur, pestis; terrasque urguentia membra
Quo ferat, et quoenam populos *deposcat* hiatu:

cum Heinsio rescriberet *depascat*, apertæ loci ipsius proprietati vim inferret, et omnes veneres imaginis extingueret, me saltem judice; ut audiendus sit potius hac vice acutissimus ille Romanorum poëtarum emendator, quam auscultandus.

Denique, Virgilius est Lucretio pro more committendus, ad Æn. i. 464.

——————— *animum* picturâ *pascit* inani:

et Martialis, ix. 60. 2.

Inspexit molles pueros, *oculis*que *comedit.*

Ibid. *inhians.* Idem scriptor in Anthol. Lat. modo memoratus, hæc ibidem imitatus est:

Ille, inter flores, furti velamina, tectus,
Spectat hians Venerem, *totus*que ardore tremiscit.

Ita castigandum pro *toto;* nam Maronem exprimit, ad geo. iii. 250.

Nonne vides, ut *tota tremor* pertentet equorum
Corpora———?

Ver. 38. *Eque:* V. ed. *Atque:* et pro *pendet*, Ω. *pendent.* Illud autem *Atque* Veronensis editionis error videtur operarum, errore suo felicium fortasse, pro *Aque;* ut Virgilius, Æn. iv. 79.

——————— *pendet*que iterum narrantis *ab ore.*

Hujusce versûs non expalluit imitationem Q. Curtius, iii. 6. 10. " Rex, inquit, " semper quidem *spiritus* meus *ex te* " *pependit;* sed nunc vere, arbitror, *sa-* " *cro* et venerabili *ore* trahitur:" i. e. per te solum vivo semper, sed nunc potissimum; ut vix videar ipsum aëra vitalem haurire, nisi per tuum os. Hinc est quod addat statim: " Servatus a me, " vitam mihi dederis:" quasi dixerit, " Si " tuum spiritum efflaveris, unâ efflabis " meum." Et eadem est Lucretii interpretatio.

Quid autem? puto rescribendum esse in Lucretii versu *oris*, pro *ore:* quum et explicatior videatur hæc scriptura, et magis poëtico colore. Huic favet suspicioni versus nescio cujus recentioris in Anthol. Lat. Burm. i. 72. 19. hinc exasciatus:

Ite, precor, Musæ; dum Mars, dum blanda Cythere,
Imis *sucta* trahunt suspiria crebra medullis,
Dumque intermixti captatur *spiritus oris:*
Carmine *dulciloquo* Vulcani vincla parate.

Vulgo, *doctiloquo*, et *ducta:* ταυτολογῶς. Ordo est: " Trahunt ex medullis sus- " piria, quæ suguntur invicem." Noster, iv. 1187.

Et tenet *adsuctis* humectans oscula labris.

Adde, in priorem emendationem, epig. 74. ibidem:

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.

Ver. 39. *corpore:* Σ. *pectore*, quas voces solent librarii confundere; sic ut videntur etiam commutatæ in Statii Achill. i. 228.

Ipsa dehinc, toto resolutum *corpore*, Achillem
(Qui pueris sopor) Æmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas.

Libri, *pectore;* nec male suo tempore, sed omnium membrorum resolutioni vix apte satis. Ovidius, met. x. 368. ubi videndus est Burmannus:

——————— curasque, et *corpora* somnus
Solverat.

Addas Sedulium, v. 350.

——————— Judæis constat ademptum,
Quem nos devoto portamus *pectore*, Christum.

Nonnulli libri habent *corpore.*

Ver. 40. *Circumfusa:* i. e. te circumfundens: ut Maro, Æn. ii. 383. de mediæ vocis Græcorum potestate:

Funde, petens placidam Romanis, incluta, pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Possumus æquo animo; nec Memmii clara propago
Talibus in rebus conmuni deesse saluti.
Quod super est, vacuas aureis mihi, Memmius, et te,
Semotum a curis, adhibe veram ad rationem:
Ne mea dona, tibi studio disposta fideli,

Inruimus, densis et circumfundimur armis:
"nosmetipsos utique circumfundimus." Pulchre, atque apposite, Achilles Tatius, vi. init. Αλλα μοι, φιλτατε, σωζοιο, και την εσθητα ταυτην φυλαττε μνημην, εμοι δε την σην καταλιπε, ὡς αν εχοιμι ενδυσαμενη ΣΟΙ ΠΕΡΙΚΕΧΥΣΘΑΙ.

Ibid. *suaveis loquelas Funde.* Maro, Æn. v. 842.

——— *fundit*que has ore *loquelas*:

Pressius autem Focas grammaticus imitatus est, loquens de Virgilio, in Anthol. Lat. Burm. ii. 186.

Lata cohors apium subito per rura, jacentis
Labra favis texit, *dulces fusura loquelas*.

In eâdem Anthologiâ, v. 149. de Philomelâ:

Et suavi liquidum gutture *pande* melos.

Certissime rescribo, *funde*: quæ venustas ex Græcarum elegantiarum fontibus emanavit. Sic Hesiodus, opp. et dd. 581.

——— ηχετα τεττιξ,
Δενδρεῳ εφεζομενος, λιγυρην καταχευετ' αοιδην·

et rursus de eâdem cicadâ, scut. Herc. 397.

Και τε πανημεριος τε και ηῳος ΧΕΕΙ ΑΥΔΗΝ.

Hinc emacules hymnum in Apollinem, Homeri dictum, ad ver. 185.

——— τοιο δε φορμιγξ
Χρυσεου ὑπο πληκτρου καναχην ΧΕΕΙ ἱμεροεσσαν·

vulgo, εχει· confer Lycoph. 5. nostrum iv. 579, 583. In hac figurâ noster Popius quam feliciter αποτολμᾳ·

Is it for thee the linnet *pours his throat?*

Hinc elegantissime, ut solet, Arnobius, lib. v. p. 185. "Nonne millies optati-"us fuit elinguem fieri atque mutum, "atque *scaturiginem* istam *vocis* amit-"tere, quam Deorum nominibus res ap-"pellare turpissimas?" Nec minus Prudentius, peristeph. x. 552.

Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes ut perdat *loquacitas*
Sermonis *oras*.

Ita emendandum; ut *oræ* vulneris: aperturæ scilicet, unde ebulliebat sermo. Vulgo, *auras*: sed passim turbant in his dictionibus librarii: ut non probe notum est nemini, qui has literas vel labris primoribus attigerit. His adjungatur Sedulius denique, iii. 63.

Et voci patefecit iter, nexuque soluto,
Muta diu, *placitas effudit* lingua *loquelas*.

Sic fortasse legendum, pro *tacitas*.

Ver. 41. *Funde petens*: Π. *Fonde petes*: et verissime, ut opiner, illud *Fonde*.

Ibid. *placidam pacem*. Virgilius, Æn. i. 249.

——— Nunc, *placidâ* conpostus *pace*, quiescit.

Ver. 43. *nec*: sic L. M. Π. vulgo *neque*; et ordinem exhibent verborum Δ. et Π. meis saltem auribus jucundiorem:

Possumus æquo animo; *Memmii neque* clara propago.

Pro *nos*, V. ed. *eos*.

Ver. 44. Cogitabat fortasse de hoc loco Flaccus, in exordio epistolæ ad Augustum:

——— in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

Et post hunc versum veniunt ver. 57. et sequentes quinque, in V. ed. Δ. Π. Σ. et Ω. quæ mihi suspicionem sponte obortam firmant, male eosdem mox esse interpolatos, quum teneant in secundo libro stationem longe commodiorem, ac plane suam.

Ver. 45. *Memmius*. Ita P. V. ed. Π. Σ. Ω. ut noster infra, verr. 412, 1051. Vulgo legitur, *Memmiada*. Δ. autem omittit voces *et te*, et sic ordinat integrum versum:

Intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
Nam tibi de summâ coeli ratione deûmque
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam;
Unde omneis natura creet res, auctet, alatque;
Quoque eadem rursum natura perempta resolvat:
Quæ nos materiem et genitalia corpora rebus
Reddundâ in ratione vocare, et semina rerum

> Quod super est, quæso, vacuas mihi, Memmius, auris;

sic ut recoquitur etiam in Σ. Cæterum, Δ. vice τȣ *Semotum* sequentis versûs, habet *Semotim:* quod magnam præ se fert veri speciem, quum sit adverbiorum ita terminantium seges uberrima Lucretio: " Acervatim, adumbratim, articulatim, blanditim, catervatim, contemptim, filatim, generatim, gravatim, insertim, juxtim, membratim, minutatim, mixtim, moderatim, particulatim, propritim, pedetentim, raptim, summatim, tractim, turmatim, viritim." Et operæ pretium fuerit animadvertere, quam speciosi versus evadant, ad hunc codicem compositi:

> Quod super est, *quæso*, vacuas mihi, Memmius, aureis,
> *Semotim* a curis, adhibe veram ad rationem.

Ex illâ autem familiâ adverbiorum, modo numerosius recensitâ, superest aliud, apud Anthol. Lat. Burman. lib. iii. epig. 199. quod sic melius confirmatum contexentibus lexica commendamus. Quum vero poëmatium sit haud vulgaris elegantiæ, dabimus altius repetitos versus, et non nihil sinceriores:

> Semper munditias, semper, Basilissa, decores,
> Semper compositas arte recente comas,
> Et comtos semper cultus, unguentaque semper
> *Mollia* solicitâ *promta* videre manu,
> Non amo: *neglectim*, mihi se quæ comit, amica
> Se det, inornatâ simplicitate *valens*.

Locum videas; nam fateberis sententias ita dispositas in editis, ut turbetur clausularum respondentium concinnitas. Pro *mollia*, vulgo *omnia;* pro *promta* etiam, *comta*, illepidâ repetitione; et pro *valens*, *valet*. Propertius, iv. 6. 5.

> *Costum molle* date.

Denique, pro *Semotum*, scriptum est in Π. *Servorum*.

Ibid. *vacuas aureis:* ut Plautus, Trinum. prol. 11.

> ——— date *vacivas aureis*, dum eloquor.

Ver. 50. *Disserere:* Δ. *Deserere.*— Porro, *disserere* valet, varias doctrinas *spargere:* de quâ metaphorâ consulas Silv. Crit. sect. cvi. et tom. v. p. 107. Apposite A. Gellius, v. 1. init. " Quum philosophus, inquit, hortatur, monet, suadet, objurgat; *aliud*ve quid disciplinarum *disserit*:" i. e. spargit in auditores suos. Propriæ significationis exempla suppeditant ex Varrone et Columellâ lexica vulgaria. Hinc cum quarto casu purissime adhibuit vocem Terentianus Maurus, p. 1389.

> Si tam *tenues res* tibi sic *dissero* versu,
> Vitem ut tenebras.

Dictys etiam Cretensis, i. 3. " Expugnatam quippe domum regis, eversumque regnum, et *alia* in talem modum singuli *disserebant*." Qui mox ad cap. 11. sic variat locutionem: " *Disseminatâ* jam per universam Græciam *famâ*, omnes Pelopidæ in unum conveniunt."

Ibid. *Disserere incipiam*. Virgilius, geo. i. 5.

> Hinc *canere incipiam*.

Ibid. *primordia pandam*. Idem, Æn. vi. 723.

> Suscipit Anchises, atque ordine *singula pandit*.

Ver. 52. *Quoque*, solus Seneca, ep. 95. alii, *Quove:* vide ii. 63. *resolvat:* P. et V. ed. *resolvit*.

Ibid. *perempta resolvat*. Similiter Maro, nostri comes individuus, geo. iv. 301

Adpellare suëmus, et hæc eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
[Omnis enim per se divôm natura necesse est
Inmortali ævo summâ cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
Nam, privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.]

——————— plagisque *perempto*
Tunsa per integram *solvuntur* viscera pellem.

Ver. 53, 54. *genitalia corpora—semina rerum.* Idem Maro, ibid. ii. 324.

Vere tument terræ, et *genitalia semina* poscunt.

Hæc autem, cum *Vacui* doctrinâ, erant e Democriti thesauris Epicuro prompta; nam de illo sic Diogenes Laërtius luculenter, ix. 44. *Δοκει δε αυτῳ ταδε· Αρχας ειναι των ὁλων ατομους, και κενον.——Και τας ατομους δε απειρους ειναι κατα μεγεθος και πληθος· φερεσθαι δε εν τῳ ὁλῳ δινουμενας, και οὑτω παντα τα συγκριματα γεννᾳν, πυρ, ὑδωρ, αερα, γην.*

Ver. 55. *usurpare:* i. e. vocare—nominare—nuncupare. Cicero, in Timæi fragmento, cap. xi. "Deinceps Jovem atque "Junonem, reliquos, quos fratres inter se, "agnatosque, *usurpari* atque *appellari* "videmus." Idem de offic. ii. 11.—"quem C. Lælius, is, qui sapiens *usurpa*"*tur*, fregit." Ennius apud Nonium, voce *Tumulti:*

Quid hoc hic clamoris? quid tumulti est? *nomen*
qui *usurpat* meum?

Sic, opinor, scribendus est et ordinandus versus, ut qui sit iambicus tetrameter *ακαταληκτος*. Columella, v. 6. 11.—"tabu"lata instituenda sunt: hoc enim *nomine* "*usurpant* agricolæ ramos truncosque pro"minentes."

Ver. 56. *quod:* Π. *quidem:* error a *quom* manavit, interpretatione *του quod*, brevius et indistincte scriptâ.

Ver. 57. Alienum locum occupant haud dubie hi sex versus, et abesse dicuntur quibusdam libris tum manu scriptis, tum editis recentioribus: certe non hic leguntur in V. ed. Δ. Π. Σ. Si in hac statione revera posuerit poëta, ita est capienda, non satis sequaciter continua, sermonis series, et potestas argumenti: "Ex "illis, inquam, primis corporibus fiunt et "exoriuntur omnia; non ex artificio deo"rum ducunt originem, ab humanis rebus "longe longeque sejunctorum, pace fru"entium immortali, nec se terrenis ullâ "tenus immiscentium." Erat etiam sententia Bentleii, intrusos esse huic loco, nullâ cum tempestivitate, memoratos versus. Et margini MS. Ω. manus vetustior hæc illevit: "Hi sex versus ex secundo "libro in hunc locum translati sunt, non "poëtæ operâ, sed scriptorum ignoran"tiâ."

Ver. 63. *feda.* Isidorus, origg. i. 26. "*Fedus*, quod est deformis, per *e* solam "scribendum: *fœdus*, quod est pactum, "cum *œ* diphthongo scribendum:" quibus astipulatur Beda de orthographiâ, apud Putschii collectanea, p. 2335.

Ver. 64. *Religione.* Literam non geminamus in similiter compositis per omnem Lucretium, antiquiori consuetudini morem gerentes. Fabius, instt. orat. i. 7. "Semivocales non geminare, diu fuit "usitatissimi moris." Adeo ut neutiquam sit audienda Donati opinio in Terent. And. prol. 25. ad quem, si tanti sit, te recipias.

Hæc orthographia non geminatæ literæ fefellit librarios ad Homeri hymn. in Cer. ver. 7.

Ανθεα τ' αινυμενην, ῥοδα, και κροκον, ηδ' ια καλα,
Λειμων' αμαλακον:

quæ vetus erat scriptura, posterioribus in

Humana ante oculos fede quom vita jaceret
In terris, obpressa gravi sub Religione;
Quæ caput a cœli regionibus obtendebat,
Horribili super adspectu mortalibus instans;
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem neque fana deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure conpressit cœlum; sed eo magis acrem

αμμαλακον mutata; i. e. *αν μαλακον:* sed inscite literas scribæ diviserunt; unde error ortus est *Διμωνα μαλακον:* qui non latuit Ruhnkenium.

Porro, Prudentius in loco cultissimo, contra Symm. i. 514. ob oculos habuit Lucretium:

Tunc primum, senio docilis, sua secula Roma
Erubuit: pudet exacti jam temporis; odit
Præteritos fedis cum religionibus annos.

Ver. 65. *regionibus:* V. ed. B. *religionibus.*

Ibid. *cœli regionibus.* Maro, geo. ii. 269.

Quin etiam *cæli regionem* in cortice signant.

Arnobius, adversus gentes, phrasim pro more arripuit: lib. vi. p. 195.—"in summis *cœli regionibus* degere."

Ibid. *obtendebat:* i. e. caput coram oculis mortalium exhibebat, et quasi in os ingerebat. Antiquitus, pro *ostendebat*, præpositione non eliquatâ ad voluntatem literæ sequentis: nam se inscitissime dederunt lexicographi atque editores, qui in duas voces ivere fissum *τα ostendo* et *obtendo*. Lactantius, iii. 27. dat *ostentabat;* nec male.

Ver. 66. *instans:* quasi parata esset involare, et arripere, viribus desertos, et omni præclusos fugæ; sic ut illi Virgiliano Liguri evenit, Æn. xi. 702.

——— se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse, neque *instantem* reginam avertere, cernit.

Ver. 67. *Graius:* V. ed. B. Δ. Π. Σ. *gnarus:* frustra; nam semper oberrant in propriis nominibus exarandis librariorum calami: vide ad ver. 724.

Ibid. *mortaleis oculos.* Quasi dixerit: "Quamvis esset æque mortalis, atque "illi, quos tanto opere Religio terreret, "non dubitavit tamen obtueri, ac fortiter "obsistere, nullo duce, et exemplo nullo." Virgilius, Æn. iv. 277.

Mortalis visus medio sermone reliquit:

et similiter ibid. ii. 605. Pedo Albinovanus, Anth. Lat. Burm. ii. 121. ver. 20.

Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortales oculos.

Sulpicius Severus, i. 33. "Poscente autem Moise, ut Dominum in majestate "propriâ videret, responsum, Formam "Dei *mortalibus oculis* perspici non posse:" ubi, ut in Lucretio, antithesis sedulo notanda est, *mortalium* oculorum et speciei *immortalis.*

Ibid. *tollere.* Nonius, p. 199. a. legit *tendere;* quod primo aspectu cuivis idoneo elegantiarum arbitro arridere possit. Noster, iv. 326.

Sol etiam cæcat, contra si *tendere* pergas:

ubi nos videndi. Similiter Virgilius, Æn. ii. 405.

Ad cœlum *tendens* ardentia *lumina* frustra:

qui locus maxime huc facit, omni ex parte conveniens et germanissimus. Gellius de Regulo, vi. 4.—"adversus ictum solis "oppositum continebant, atque *intendere* "in cœlum *oculos* cogebant." Hoc insuper favorem dictioni Nonianæ conciliat, quod veri videatur similius librarios scriptores mutaturos exquisitiorem dictionem *tendere*, et multo minus obviam, in *tollere*, quam vicissim: neque velim negligatur erudita Bentleii nota ad Horat. epist. i. 1. 28. qui tamen ad od. i. 3. 18. me deterret ab aliquo novando, libris non addicentibus. Hoc etiam facit Germanicus, quem

Inritât animi virtutem, ecfringere ut arta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
Processit longe flammantia mœnia mundi;

dixerim, ob similitudinem sententiæ, Lucretium in animo habuisse, sub suorum ingressum Arateorum:

> Nunc vacat *audaces in cœlum tollere vultus.*

Ad illustrationem vero Lucretii Alcimus Avitus operam egregiam navabit, iv. 220.

> Cum subito, clausis foribus, *tamen* aliger intrat,
> Conspicuus, claro resplendens nuncius ore.
> Horrescit, visu tanto perterritus, heros;
> *Mortalis*que *oculus* personam ferre supernam
> Vix valet; et pavidi *detorquent* lumina vultus.

In primo versu vulgo legitur *tunc*, quamvis *tum* in eâdem periodo statim præcesserat: mendose. Error erat facilis ex scripturâ breviore. Et ultimo versu, *detorquent*, pro *detorquet*, scripsimus; tam elegantiâ sermonis, quam proprietate, castigationem nostram deposcente.—In ver. 68. V. ed. *absistere.*

Ver. 69. *neque.* Sic V. ed. B. P. et Ω. alii *nec:* et tertium *nec* omittit Π. Neque potui non admittere egregiam Bentleii emendationem *fana* pro *fama*, nude ascriptam, et indefensam, sui exemplaris margini, quis enim temere dixerit legitimum sonare phrasem *fama deûm?* Quam vero pronus error fuerit exscriptoribus, quivis extemplo videat. Lucretius ipse appositissime, ad v. 73.

> Et quibus ille modis divôm metus insinuarit
> Pectora; terrarum qui in orbi sancta tuetur
> *Fana*, lacus, lucos, aras, simulacraque divôm.

Ubi tamen editio princeps, per eandem corruptelam, *fama* exhibet.

Ibid. *minitanti murmure.* Iisdem vocibus usum video Marcum Tullium in Arateis; et eleganter quidem, ut omnia ubique, ille mortalium eloquentissimus:

> Nec metuunt canos *minitanti murmure* fluctus.

Gemello sermone Flaccus, od. ii. 1. 17.

> Jam nunc *minaci murmure* cornuum
> Perstringis aures.

Ver. 71. Hanc constitutionem versûs, quam ex auctoritate librorum dederim, proprium acumen ingenii prius expediverat. Verborum ordinem præbent G. B. L. M. Δ. Π. Σ. solus Σ. conjecturam firmat, *effringere* scribens pro *confringere;* quam tamen necessariam reddidit codicum modo memoratorum ratio. In P. V. ed. Δ. Π. Σ. ordo est verborum, *Irritât virtutem animi:* Ω. *irritant.* Terentius, Adelph. i. 2. 8. phrasem *effringere claustra portarum* stabilit:

> *Fores effregit*, atque in ædes irruit
> Alienas.

Idem facit Seneca, Herc. fur. 47.

> *Effregit*, ecce! *limen* inferni Jovis.

Livius, xxiii. 32. "Nec minore intus vi, "quam foris, *portæ effringebantur.*" Plautus, Amphit. iv. 2. 6.

> ——— Pene *effregisti*, fatue, *foribus cardines.*

Tacitus, ann. i. 21. "Adcurritur ab uni-"versis; et, *carcere effracto*, solvunt vin-"cula." Petronius, cap. 78. "Itaque "vigiles, qui custodiebant vicinam regio-"nem, rati ardere Trimalchionis domum, "*effregerunt januam* subito." Q. Curtius, iv. 5. 17. "Quumque, *portâ effractâ*, "cohors Macedonum intrâsset." Videas Lucan. vi. 574.

Mihi videor discernere caussam ordinis verborum, qui in libris obtinet. Librario cuidam, non indocto prorsus, inciderat cogitatio, finalem *t* vocis *inritât* melius sustineri eâ cæsurâ potuisse, quæ in tertii pedis primâ syllabâ longe usitatiorem locum habet, et agit validissime. Porro, pro *ut*, Δ. *et;* et in versu sequente *cuperet* G. B. L. *caperet* Π. Priscian. x. vulgatis consentit: et l. vii. habet *fedi* ad ver. 86. quod serus moneo.

Ibid. *Inritât animi virtutem.* In hac sublimi descriptione elaborandâ, nullus equidem dubito, nostrum in oculis habuisse leonis Homerici imaginem, ad Il. Υ. 168.

> ——————— περὶ τ' ἀφρὸς ὀδόντας
> Γίγνεται, ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ στένει ἄλκιμον ἦτορ.

Atque omne inmensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quâ nam sit ratione, atque alte terminus hærens.

Ουρῃ δε πλευρας τε και ισχια αμφοτερωθε
Μαστιεται, ἑε δ' αυτον εποτρυνει μαχεσασθαι.

Inritât autem contracte pro *inritavit*, ut videtur; et sic iterum noster in vi. 586.

——— quas exitus hicc' animai
Disturbât urbeis.

Ver. 73. *vivida vis animi:* quam Arnobius, lib. v. p. 179. vocat *ingenii vivacitatem*, et ipse aliter nominavit supra *acrem virtutem animi*. Virgilius, Æn. xi. 386.

——— Possit quid *vivida virtus*,
Experiare licet.

Pro vivida, Π. *vividas*, errore crasso.

Ver. 74. *flammantia mœnia mundi:* i. e. flammas ætherias, quæ vallant mundum. Loco lucem impertient optimi versus Manilii, i. 149.

Ignis in *ætherias* volucer se sustulit *oras;*
Summaque complexus *stellantis* culmina *cœli*,
Flammarum vallo naturæ *mœnia* fecit.

Ita legendum detexeram cum Bentleio. Longe aliud est *ætheriæ auræ;* illæ nempe, quibus vescimur et vivimus mortales; ut Virg. Æn. i. 546. Noster, vi. 86.

Quæ supra caput *ætheriis* cernuntur in *oris*.

Manilius Ovidium secutus est, met. i. 26.

Ignea convexi *vis* et sine pondere *cœli*
Emicuit, *summâ*que locum sibi legit in *arce*.

Ex hoc autem Lucretii versiculo non nihil stilus Papinii libavit, in silv. iv. 3. 156.

Ibis, quâ vagus Hercules, et Evan,
Ultra sidera, flammeumque solem,
Et Nili caput, et nives Atlantis:

ubi fortasse falsi fuerint librarii scriptores, et reponere debemus,

Ultra sidera, flammeumque *callem;*

ob manifestissimam per omnem locum Maronis imitationem, Æn. vi. 795.

——— super et Garamantas et *Indos*
Proferet imperium. Jacet *extra sidera* tellus,
Extra anni *solis*que *vias*, ubi cœlifer *Atlas*
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divûm; et Mæotia tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia *Nili*.
Nec vero *Alcides* tantum telluris obivit.

Hilarius etiam in genesim, ver. 77. non est huic Lucretii loco alienus, et ad hunc modum emendatus legi debet:

Igneus ille jubar præcelso vertice tollit,
Ore rubens patulo: *cœli* per *mœnia* fertur,
Astrorum ductor, mundi vigor atque *elementûm*.

Vulgo legitur, *elementa;* nec puncta probe disponuntur. Porro, pro *mœnia*, Σ. *lumina;* et pro *mundi*, Δ. *mondi*.

Ver. 75. *omne:* G. V. ed. L. Σ. *omnem*.

Ibid. *peragravit mente*. Cicero, de finn. ii. 31. " Hæc non erant ejus, qui innu" merabiles *mundos*, infinitasque regio" nes, quarum nulla esset ora, nulla extre" mitas, *mente peragravisset*." Et satis liquet ex orationis serie, huc oculos et Horatium convertisse, ex epist. i. 14. 9.

——— tamen istuc *mens animusque*
Fert, et avet spatiis *obstantia rumpere claustra*.

Ibid. *mente animoque*. Hâc etiam tenus sequi voluit magistrum Mantuanus, Æn. i. 304.

——— In primis regina quietum
Accipit in Teucros *animum, mentemque* benignam.

Ver. 76. *refert nobis victor*. Lambinus optime: " Ego *referre* hoc loco sic acci" piendum puto, ut apud Virg. Æn. iv. " 614.

" Egregiam vero laudem et *spolia* ampla " *refertis:* pro *reportare;* ut sit translatio " a re militari." Atque ad eundem modum, ut par erat, olim Pius.

Ver. 78. *Quâ nam:* G. P. V. ed. B. Δ. Π. Ω. *quantum*.

Ibid. *terminus hærens*. Mantuanus, Æn. iv. 614.

Et sic fata Jovis poscunt, hic *terminus hæret*.

Hinc autem vim suam ac proprietatem mutuatur vocabulum *hæret;* quod agrorum termini, seu lapides fuerint, sive arbores, solo infigerentur, et *inhærerent*.

Ver. 79. *pedibus subjecta*. Credibile est Virgilium convertisse animum in hanc magnificam Epicuri laudationem e geo. ii.

Quâ re Religio, pedibus subjecta, vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.
Illud in hiis rebus vereor, ne forte rearis
Inpia te rationis inire elementa, viamque

490. qui locus Lucretiano non cesserit sublimitate:

> Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas;
> Atque metus omnis, et inexorabile Fatum,
> *Subjecit pedibus*, strepitumque Acherontis avari.

Ver. 80. *Obteritur pedibus.* Sublimis est imago victoris, hosti domito insultantis, et superbe calcantis subjacentem. Maro, Æn. xii. 356.

> Semianimi *lapso*que supervenit; et, *pede collo Impresso*, dextræ mucronem extorquet.

Ovidius, met. viii. 425.

> Ipse, *pede imposito*, *caput* exitiabile *pressit*.

Vide plura in Silv. Crit. i. p. 102. Habet Ω. *opperitur*.

Ibid. *nos exæquat victoria cœlo.* Hinc, ignarus quid codices præciperent, propriis viribus mendosam Manilii lectionem profligaveram, ad ii. 542.

> Artis ut ingenio divina potentia surgat,
> *Exæquent*que *fidem cælo* mortalia corda:

i. e. "ut persuasio et scientia mortalium "æquis passibus comitentur cœlestium "signorum vim atque demonstrationem." Nam Carum videtur æmulari phrasis.

Ver. 81. *hiis:* ita nostri codices exhibent tantum non constantissimo consensu: quam orthographiam, ut vetustiorem, quo minus sequi debeamus, quam in *Dii* et consimilibus, nihil equidem caussæ valeo discernere. Vide ad v. 350.

Ver. 82. *rationis inire elementa:* sic *inire rationem*, Ter. Phorm. et Cic. in epist. Virgilius, Æn. v. 846.

> Ipse ego paullisper pro te tua *munera inibo*.

Ibid. *elementa:* i. e. principia—initia—primordia: forte an ab ελυμος, σπερμα: ut *semina* noster, ver. 54.

Ver. 83. *Indugredi:* sic optimi aliorum et ex nostris, mutatione literarum factâ, quod præpositionibus solitum est in compositione; nam rectum fuerat *Endogredi*, ab ενδον communi, vel ενδοι Dorum. Noster alibi *endo* per se, ut Ennius haud vice simplici. Sic εν passim mutatur Romanis, *in* scribentibus. Vide Festum, vv. "*Endoitium*, initium:" et sequentibus. Agnoscit etiam orthographiam nostram Valerius Probus, sic exhibens versiculum sub finem lib. 1. gramm. instit. quod notandum:

> *Indugredi* sceleris; quod contra sæpius *illa*—.

Ipse Lucretius alibi clare *indupediri*, et *indupedita* plus semel. Germanæ antiquitatis specimen conservare voluit Juvenalis, x. 138.

> ———————— ad hoc se
> Romanus, Graiusque, ac barbarus *induperator*
> Erexit:

Ciceronem secutus, de div. i. 48. in vitioso versu:

> Omnibus cura viris, uter esset *induperator*:

et nostrum, iv. 964. Huc referas etiam vocabula *indipiscor*—*indigena*—et *indago*.

"*Indupero*, επιταττω:" vetus glossarium. Idem: "*Endo*, ενεις· εζωσμενοι εν πολε-"μῳ." Quæ nihili sunt. Scribe divisim: εν, εις: i. e. "Endo nunc potest εν, nunc εις: "quæ præpositiones utique sæpius convertuntur; ut dicimus εζωσμενοι εν πολεμῳ, "vice εις πολεμον." Hoc voluit glossographus; et probo cum judicio. Si plura velis de his vetustatis reliquiis, adeas quæ supersunt legum regiarum atque decemviralium, verbo, de quo agitur, et inde compositis, abundantium. Ante vero quam dictionem hanc missam faciamus, operæ pretium fuerit Ennium corrigere et supplere, annal. vi.

> Ut primum, tenebreis abjecteis, *indalbabat*
> *Orta* dies.

In fragmentis Ennii vulgatur *inalbabat*.

Ibid. *sceleris quod:* Π. *sceleri quia;* P. *sceleris quin*.

Ibid. *illa*. Sic G. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω.

Quidam male, *olim*. Noster, ii. 633.

Indugredi sceleris; quod contra sæpius illa
Religio peperit scelerosa atque inpia facta.
Aulide quo pacto Triviaï virginis aram
Iphianassaï turparunt sanguine fede

———————— qui Jovis *illum*
Vagitum in Cretâ quondam obcultasse feruntur:

et ad v. 813. similiter locutus est poëta:

———————— quod omnis
Inpetus in mammas convertitur *ille* alimenti.

Avienus, Arat. phæn. 182. ad morem Ciceronis, qui frequentat hanc formam sermonis in Arateis:

———————— post quam *ille* novercæ,
Insaturatæ odiis, *serpens* victoris ab ictu
Occubuit.

Ibidem, ver. 1125.

Ultima, cæruleo producens æquore puppim,
Illa micat, maloque tenus sese exerit, *Argo*:

ubi, ob *malo*, scripserim *erigit*; ut Virgilius, Æn. v. 487.

Ingentique manu *malum* de nave Seresti
Erigit.

Conferas insuper de voce *ille*, ad quam redeo, Æn. xii. 5. et interea emendabo Valerium Flaccum, vi. 527.

Barbaricâ chlamys ardet acu, tremefactaque vento
Implet equum; *quali ille rotis it* Lucifer *albis*,
Quem Venus inlustri gaudet producere coelo.

Vulgo legitur, *qualis roseis it* Lucifer *alis*: portentose satis: vide Silv. Crit. v. p. 79. Dictys Cretensis, iv. 15. "Ceterum, "sibi eo leviorem dolorem esse, quòd non "in certamine, neque in luce belli, Achil-"les interfectus esset; quo fortiorem non "*putâsse* quidem quemquam existere "nunc, vel in præteritum, excepto uno "*illo* Hercule." Sic legendum: editi, *optâsse*. Et sæpè scriptores utuntur *idem* pro *ille*; ut Statius, Theb. vi. 857.

Jam dudum ætherias *eadem* reditura sub auras.

Utriusque formulæ non rara exempla legentium oculis incurrent.

Ver. 84. *scelerosa atque inpia*. Vocem priorem adhibuere et Lucilius et Afranius, apud Nonium; Apuleius, met. x. Arnobius, lib. vi. p. 189.—"tanquam *impias* "geramus et *scelerosas* mentes:" et alibi. Lambinus laudat Terent. Eun. iv. 3. 1. Varr. de ling. Lat. lib. v. *Peperit* vero, intulit—patravit; ut Maro, Æn. vi. 435.

———————— qui sibi *letum*
Insontes *peperere* manu.

Ver. 85. *Triviaï*: Π. *Triviæ*: et post hanc vocem, Π. Σ. Ω. interponunt *ad*: nec sane de nihilo videntur hoc in se admisisse pulchri codices. Attende modo, quanto venustior evadat locus, si ad hanc scripturam levi castigatione accommodetur, ut nominativus efficax Religio dominetur totam per periodum:

Aulide quo pacto, Triviaï *ad* virginis aram,
Iphianassaï *turparit* sanguine fede
Ductores Danaum *delectos*, prima virorum.

Ubi nihil vim patitur præter dictionem *delectos*; quum constet hæc emendatio τῷ *turparunt* uno tantummodo ductu calami. Sed de hoc tentamine viderint lectores, et in primis, quibus alii codices manu scripti suppetunt.

Ibid. *Triviaï virginis*. Ita Mantuanus, Æn. iv. 511. qui locus neque Lambinum latuit:

Tergeminamque Hecaten, tria *virginis* ora *Dianæ*.

Ver. 86. *Iphianassaï*: V. ed. *Iphianassaio*; Ω. *Iphianasseo*, cum Δ. et Σ: et fortassis vere. Idem volebat Π. cum suo *Iphianasso*.

Ibid. *turparunt sanguine*. Vetus poëta laudatus Tullio, ad T. qq. iii. 19. præclaro carmine:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis *aram sanguine turpari*.

Virgilius, Æn. x. 832.

Sanguine turpantem, comptos de more, capillos.

Sistatur his insuper Silius Italicus, xi. 139.

———————— victor ut idem
Lydia Romano *turparit* stagna *cruore*.

Sic reponendum dico; nam omnia exemplaria habent *turbarit*. Idem xii. 17.

Ductores Danaûm delecti, prima virorum:
Quoi simul infula, virgineos circumdata comptus,
Ex utrâque pari malarum parte profusa est;

Mæonios Italo *sceleravit* sanguine fluctus:

et ibid. ver. 697. *fœdare lacus;* quæ consimilia sunt. Nec aliter censuerim de Senecæ Œdipo, ver. 177.

Bis *turpatam sanguine* Dircen.

Vulgo, *turbatam:* sed de hoc loco minore pertinaciâ contenderim, quam de Siliano, quum hic scriptor se totum ad Virgilii imitationem composuerit. Par hallucinatio somniculosi scribæ Statium quoque crimine inhonestissimæ κακοζηλίας traduxit, ad Theb. x. 311.

Proturbat mensas dirus liquor: undique manant,
Sanguine permixti, calices.

Barthio submorose stomachanti ad vocabulum *proturbat*, quis harum elegantiarum idoneus arbiter succensuerit? Ocius labem fedissimam eluas reponendo,

Perturpat mensas dirus liquor.

Neque tibi sit terriculo dictionis novitas, quum ἅπαξ λεγομένοις opera Papinii scateant; non tam suo seculo inauditis et ex propriâ incude, quam ob literarum Latinarum naufragium solitariis. Idem poëta in nobilissimâ parte Thebaïdos, xii. 410. vocabulum hujusce familiæ sibi revocatum vult:

Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui, *turpatus* adhuc et sanguine decolor, ibat:

i. e. decolorante sanguine fedatus. Vulgo, *turbatus:* sed indubitata est hæc emendatio propter statim præcedentem ver. 407.

Vicino *turbata* die.

Ver. 87. *prima virorum.* De hac formulâ, ex Græcorum penu petitâ, diximus ad Eurip. Herc. fur. ver. ult. Dictys Cretensis, v. 7. "Circumspicientes, laudan- "tesque *præclara operum* civitatis ejus." Feliciter audet Statius, Theb. xi. 350. Sophocleo more:

——————non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror: te *cuncta* rogant; hic plangimus *omnes*.

Et opportune Faber monet Ovidium, amor. i. 9. plane suum ex hoc Lucretiano expressisse: "*Summa ducum* Atrides:" ver. 37. Pessimo autem consilio in quibusdam editionibus subdistinctum video post *Danaûm.* Maro, ecl. iv. 34. ubi ad epicam majestatem surgit, et quasi præludit Æneïdi divinæ:

Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.

Ver. 88. Nec flores horumce quoque versuum non delibavit diligentissima Maronis discursitatio, ad geo. iii. 486.

Sæpe in honore Deûm medio *stans* hostia, *ad aram*,
Lanea dum niveâ *circumdatur infula* vittâ,
Inter cunctantis cecidit moribunda *ministros*.

Ibid. *comptus:* i. e. cultus—ornatus. Festus de verbb. vett. "*Comptum* Afrani- "us pro *ornatu* et *cultu* posuit." Glossarium vetus: "*Comptus*, καλλώπισμα." Claudianus, de vi. cons. Honor. 525.

——————*vestes*que, et *cingula*, *comit*
Sæpe manu.

De hac re Dictys Cretensis, i. 21. "In- "terim, virginem Ulysses et Menelaus "cum Calchante—sacrificio *adornant.*" Atque haud ægre crediderim, poëtam nostrum in hujusce descriptionis ornatu perficiendo fructûs aliquid decerpsisse ex celeberrimâ Timanthis tabulâ, quam laudat Quintilianus, ad institt. orat. ii. 13. et Plinius, nat. hist. xxxv. 36. 6. qui sunt lectoribus adeundi. Similem tabellam nominatim laudat Æschylus, Agam. 249. hunc ipsum Iphigeniæ mactatum deflens:

Πρέπουσα δ', ὡς ἐν γραφαῖς.

Ver. 89. Latinitatem hujusce loci non attigerunt editores; nec miror, quum crediderim rationes ejus neutiquam illis perspectas esse: et nimis omnes proni sumus dissimulare, atque silentio prætervehi, quæ sunt supra nostrum acumen posita. Structuram sane orationis sic egomet expediverim, ad hunc ordinem verborum: "In- "fula profusa est ex utrâque malarum, "pari parte:" i. e. æquâ utrobique mensurâ, ita ut hinc et illinc ad amussim dependeret, justâ longitudinis proportione.

Ibid. *profusa est.* Hæc figura, ex

Et mœstum simul ante aras adstare parentem
Sensit, et hunc propter ferrum celerare ministros,
Adspectuque suo lacrumas ecfundere civeis;

Homerèo leporum fonte profluens, post venientium omnium poëtarum irrigavit areas: Il. E. 734.

ΠΕΠΛΟΝ μεν ΚΑΤΕΧΕΥΕΝ ἑανον πατρος επ'
ουδει,
Ποικιλον—

Hinc mihi videntur Servius et Heynius minus poëticam interpretationem impingere Virgilio, ad ecl. viii. 64.

——— *molli* cinge hæc altaria *vittâ*:

i. e. fluxâ—pensili; quamvis non is sum, qui negaverim *laneam* fuisse: sed invenustior est hæc ratio, crassiorque. Idem, Æn. vii. 488.

Mollibus intexens ornabat cornua *sertis*.

Confer Ovid. fast. v. 340. Cæterum, Schutzio neutiquam manus dederim, huc obtorquenti versum Æschyleum in Agamemnone, qui est numero 247 suæ editionis; quum vittæ in sacrificiis, nî fallor, *albæ* fuerint, non *croco* tinctæ: neque mihi non liquidissime constat istum locum circumferri depravatum.

Ver. 90. *Et:* Π. *ut.* B. *stare*, pro *adstare*.

Ibid. *ante aras adstare.* Hoc etiam regimen suum fecit magni magistri non minor discipulus, Æn. iii. 150.

——— visi *ante oculos adstare* jacentis.

Ver. 91. *celerare*. Hanc editionis Bononiensis lectionem, longe longeque signatiorem, atque loci scopo convenientiorem, cupidissime arripio, lubentissime amplector: et quam facili lapsu, propter scriptionis brevitatem, in vulgatiorem lectionem, *celare* scilicet, nostra deflueret, quis non videt statim, et agnoscit? τὸ *celare* utique magis est poëtæ excusantis atque extenuantis scelus, quam omnibus ingenii viribus, et verborum amarissimâ malignitate, graviter incendentis. Quid? quod probabile fiat ex iis, quæ sub ver. 88. contulimus, obnupto capite stetisse Agamemnona (confer Eurip. Iph. Aul. 1550.) neque cultrum videre quisse, etiam si minus huic rei ministri providissent: sonitus vero *celerantium* ferrum, atque acuentium, quos demum horrores excitaret patri? Virgilius, Æn. i. 656.

Hæc celerans, iter ad navis tendebat Achates.

Neque insuper absurdum est suspicari, mendosam interpretationem τὸ *propter*, quod *juxta—prope*—valet, aliquid promovisse, et propagasse, quam impugnamus, dictionem. De hoc autem erroris genere, quem gignit ita elapsa vocis syllaba, ut relicta pars etiam per se probam vocem faciat, monui ad Silv. Crit. ii. p. 3. et error est sane e maxime genuinis orthographiæ contractioris fructibus. Non alio mendo Silius Italicus maculatur, ad Pun. ii. 465.

——— sedet acta medullis
Jam dudum, atque inopes penitus coquit intima pestis.
Est furtim lento miseris *sudantia* tabo
Viscera, et exurit siccatas sanguine venas
Per longum *celerata* fames.

Vulgo, *durantia*, quod non leviter torsit criticos, se undique vertentes, et expedientes nihil. Noster Lucretius, vi. 1145.

Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine.

Videas etiam ad v. 1128. Et *celerata* utique, pedetentim properata, atque in diem gradatim ingravescens, ad ipsam rei veritatem. Quid vero cum *celata* feceris in hoc loco, voce improbe intractabili? Mihi post Heinsium in animum venerat *celerata*, vice *celata*, ad Sil. It. xvii. 92. sed nihil ibi novatum velim. Adi Drakenborchii notam.

Ver. 92. *lacrumas ecfundere.* Virgilius, Æn. iii. 312.

Hector ubi est? dixit: *lacrumasque effudit*.

Hæc autem, eandem narrans rem, sic aliter expressit Naso, met. xii. 30.

——— castumque datura cruorem,
Flentibus ante aram stetit Iphigenia *ministris*.

De scripturâ vero antiquiore *ecfundere*, vide mox ad ver. 126.

Muta metu, terram, genibus submissa, petebat:
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem:
Nam, sublata virûm manibus, tremebundaque, ad aras

Ver. 93. *Muta metu:* ut Maro, Æn. ix. 341,

> Molle pecus, *mutum*que *metu*.

De illâ Æschylus etiam dicit, Agam. 249. *προσεννεπειν θελουσα πατερα:* apud tragicum vero non *metus* impediit, sed ministrorum violentia, et involutio vestimentorum.

Ibid. *terram submissa petebat.* Idem conditor Æneïdos, iii. 93.

> *Submissi terram petimus.*

Ibid. *genibus submissa:* vide locum Ovidii ad ver. 36. Silius, Pun. xv. 146.

> Tum vero capere arma jubent, *genibus*que salutant
> *Submissi* augurium.

Similiter Plinius, N. H. xi. 108. "Hac "de caussâ, inter initia pasci, nisi *sub*-"*missis genibus*, non possunt." Q. Curtius, iv. 6. 20. "Linqui deinde animo, et "*submitti genu* cœpit:" ubi videndus est Gronovius. Hæc autem non adeo me commovent, ut non putem longe elegantiorem, atque adeo præferendam, nostri codicis Δ. scripturam:

> Muta metu, terram, *genibus subnixa*, petebat.

Certe minus pervulgata vox est, neque adeo non minus obvia librariorum importunis solicitationibus. Nullo etiam negotio subindicare possumus probabilem progressum corruptelæ; *subnixa*, *subnisa*, *submissa:* quo quid proclivius, atque usitatius? Qui triverunt veteres libros MSS. nihil duri in hac oleâ reperient. Livius, xliv. 9. 6.—"stantibus primis, secundis "submissioribus, tertiis magis et quartis, "postremis etiam *genu nixis*." Apud eundem, iv. 42. 5. "—ubi *subnixus* et "fidens innocentiæ animus esset?" Sed nonnulli codices exhibent *submissus:* vide Drakenborchium.

Marius Victorinus de fratribus Machabæis, ver. 131. quem, punctis rectius ordinatis, et facili emendatione, sic restituam:

> At juvenis tacito mittebat murmure vocem:
> Oranti similis, palmas tendebat in altum;
> *Subnixo*que *genu*, matris figebat in ore,
> Quâ licet, aspectum; corpus *quia* turba tenebat.

Vulgo, *qui:* sed locus ad Virgilium in Æn. ii. 406. clarissime exprimitur. His accedat Cicero, in Arati phænomenis:

> Ἐν γονασι vocitant, *genibus* quod *nixa* feratur.

Juvencus, hist. evang. lib. iv.

> Tunc, *genibus nixi*, regem dominumque salutant
> Judææ gentis.

Avienus in primis, Arat. phæn. 185.

> ——— sic membra, *genu subnixa* sinistro,
> Sustentasse ferunt.

Hæc igitur dicit Lucretius; "Iphigeniam "toto corpore prosterni, in terrâ devolu-"tam, nisi quod genibus solis subniteretur, atque submoveretur solo."

Porro, in hac supplicis puellæ descriptione, crediderim poëtam nostrum tinxisse calamum in Æschyleos fontes, ad Agam. 236.

> Λιτας δε, κληδονας πατρωας,
> Παρ' ουδεν, αιωνα τε
> Παρθενιον, εθεντο δη
> Φιλομαχοι βραβης.

Ver. 94. *in tali tempore.* Græci dicunt *εν ταυτη τῃ ὡρᾳ:* in his angustiis—in hac *calamitate:* super quâ phrasi, quæ nos disputavimus ad Silv. Crit. iv. p. 98. haud nullo cum profectu fortasse perlegas: quibus alia cumulavimus fructuosa ad tom. v. p. 59. operis ejusdem, ut de hac re jam nunc otiari sit permissum. Aliter Virgilius, Æn. ix. 210.

> ——— quæ multa vides *discrimine tali:*

sed redit ad exemplar suum, ibid. xi. 303.

> ——— non *tempore tali*
> Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.

Vide ver. 547. infra.

Ver. 95. *patrio:* Π. *patriæ:* et pro *donarat*, P. B. V. ed. *donaret;* Π. vero, *dominaret;* et idem, vice *regem*, dat *regens*.

Ibid. *princeps.* Ita Virgilius, Æn. v. 833.

> *Princeps* ante omnes—Palinurus.

Deducta est; non ut, solemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo;
Sed, casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis,

Plures editores opportune contulerunt Euripidem, Iph. Aul. 1220. quem noster exprimere volebat:

Πρωτη σ' εκαλεσα πατερα, και συ παιδ' εμε.

Ver. 96. Hæc sunt ex Æschylo adumbrata, Agam. 239.

Φρασε δ' αοζοις πατηρ, μετ' ευχαν,
Δικαν χιμαιρας, ὑπερθε βωμου,
Πεπλοισι περιπετη,
Παντι θυμῳ προνωπη
Λαβειν αερδην.

Ibid. *virûm:* "quibus utique vel oculo "usurpari fuerat indecorum virgini; ne "dum constringi manibus." Hæc est vocis efficacia.

Ver. 97. *Deducta est:* e *thalamo* scilicet *superiorum* ædium, in quo virgines inclusæ procul ab hominum conspectu vitam degebant: unde pendet fortasse το *inceste,* ver. 99. Maro, Æn. vi. 397.

Hi dominam Ditis *thalamo deducere* adorti.

Et proprium est in hoc negotio vocabulum; Terent. Hec. i. 260.

——— *uxorem deducit* domum.

Tibullus, iii. 4. 31. ita fortasse castigandus:

Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras, *flore* rubente, genas:

ætatis nempe flore tunc primum colores purpureos aperiente. Vulgo, *ore.* Quamvis res sit notior, quam quæ multis se illustrari poscat, neque injucundus nec intempestivus superveniet poëtarum pater, Il. Σ. 492:

Νυμφας δ' ΕΚ ΘΑΛΑΜΩΝ, δαΐδων ὑπο λαμπομεναων,
ΗΓΙΝΕΟΝ ανα αστυ· πολυς δ' ὑμεναιος ορωρει.

Ver. 98. *Perfecto posset:* II. *Proferto si posset:* corruptissime.

Ibid. *claro hymenæo:* i. e. alto—undique audiendo: ορθιῳ, ΛΑΜΠΡΩ. Virgilius, Æn. v. 139.

Inde, ubi *clara* dedit sonitum *tuba*—.

Demiror equidem Lambinum; qui tamen iis est in Lucretium et literas humaniores meritis, ut nunquam sit sine honore nominandus; et, sicubi caligaverit, dormitans habendus est Homerus.

Ibid. *comitari:* passive, ut Ovidius, trist. iii. 7. 47.

Ingenio tamen ipse meo *comitor*que, fruorque.

Ver. 91. *casta:* ut apud Euripidem Achilles, super hac ipsâ hostiâ Dianam invocans, Iph. Aul. 1574.

Δεξαι το θυμα τοδ', ὁ γε σοι δωρουμεθα,—
Αχραντον αἱμα καλλιπαρθενου δερης.

Inceste vero, utpote humana victima, eaque modis indignissimis crudeliter atque indecore habita.

Ver. 100. *Hostia mactatu.* Horatius, od. i. 19. 16.

Mactatâ veniet lenior *hostiâ.*

Ibid. *mactatu parentis.* Æschylum pressis vestigiis Lucretius insequitur, ad Agam. 233.

Ετλα δ' ουν θυτηρ γενεσθαι θυγατρος,
Γυναικοποινων πολεμων αρωγαν,
Και προτελεια ναων.

His concinit Sophocles, Elect. 532.

Εστ' πατηρ ούτος σος, ὁν θρηνεις αει,
Την σην ὁμαιμον μουνος Ἑλληνων ετλη
Θυσαι θεοισιν:

et Euripides, Iph. Aul. 1176. ab aliis jam adhibitus:

Απωλεσε σ', ω τεκνον, ὁ φυτευσας πατηρ,
Αυτος κτανων, ουκ αλλος, ουδ' αλλῃ χερι.

Porro, vocabulum *macto* deorum sacris dedicatum est; unde Ovidius, in loco longe pulcherrimo et affectuum tenerorum refertissimo, epist. Did. ad Æn. 113.

Occidit internas conjux *mactatus* ad *aras,*
Et sceleris tanti præmia frater habet.

Ver. 101. *classi:* G. *classe;* II. *classis.*

Ver. 102. *Tantum malorum!* In similia epiphonemata solet erumpere Virgilius; ut Æn. iii. 415.

Exitus ut classi felix faustusque daretur.
Tantum Religio potuit suadere malorum!
Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, desciscere quæres.
Quippe et enim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vortere possint,
Fortunasque tuas omneis turbare timore.

> *Tantum* ævi longinqua valet mutare vetustas!

Auctor Ciris, ver. 445.

> ——— *tantum* solam vidisse *malorum*.

Ver. 103. Obscurior locus, et in quo vix deprehenderis filum subtilius argumenti. Quantum equidem valeam dispicere, ita concipienda est poëtæ mens: "Etiam tu ipse, moribus ornatus, ingenio "pollens, et excultus scientiæ disciplinis, "ad omnem viæ flexum conaberis effu- "gere veritatis vim, larvalibus religioso- "rum fabulis devictus; nam multæ sunt, "et vitæ rationes universas ab imo fundo "turbare efficaces, adeo ut bene beateque "vivere nullo modo liceat. Quid mirum? "quum in crassissimâ caligine ignorantiæ "versentur homines, a veræ philosophiæ "luce longissime dissiti: quam in me "suscipiam depromere et diffundere, si "modo præceptis meis aurem velis pati- "entem commodare: id, quod te maxime "decebit."

Ibid. *quovis:* G. *quodvis;* V. ed. Ω. *quoquis.*

Ver. 104. *desciscere:* Δ. *desistere.*

Ibid. *Terriloquis dictis vatum.* Locum ipsum perstrinxit Virgilius, extimuit locutionem, ad Æn. v. 524.

> Seraque *terrifici* cecinerunt omina *vates.*

Vetus glossarium: "*Terro*, πτοω, πτυρω:" et, "*Terricrepus*, βαρυβρομος." Hinc fluit *perterrefacio* Terentii, And. i. 1. 142. ut *terrificus* Maronis, cum *perterricrepo* nostri, vi. 128. Claudianus, de laud. Stil. i. 109.

> ——— *terrisonus* stridor venientis Alani:

nam Heinsio conjectanti *ferrisonus* ecquis obtemperabit sobrius? Adde Sidonium Apollinarem, v. 414. ad imitationem Claudiani propensissimum:

> At tuba *terrisono* strepuit grave rauca fragore;
> Responsat clamor lituis, virtusque repente,
> Ignavis vel *parta*, furit.

Ita legendum; non *parva:* ut in Æneïde, vi. 89.

> ——— Alius *Latio* jam *partus* Achilles,
> Natus et ipse deâ.

Ver. 105. Bentleius in margine sic constituebat versum:

> Quippe etenim *qui* multa tibi *confingere possunt:*

temerariâ quidem manu usus, neque pro solertissimi artificis acumine ac prudentiâ. Virgilius, geo. i. 176.

> *Possum multa tibi* veterum præcepta referre.

Ibid. *tibi fingere Somnia.* Maro, ecl. viii. 108.

> Credimus? an, qui amant, ipsi *sibi somnia fingunt?*

Pro *et enim*, V. ed. *æternum.*

Ver. 106. *vortere.* Ita semper scribimus, ne color ille αρχαιοπινης rubiginis, quo, procul dubio, venerandum hoc poëma primitus ubique enitesceret, Lucretio nostro nimis deflorescat. Vestigia hujusce orthographiæ passim manent hodieque, vel ipsorum exscriptorum stupore non obstante, in dictionibus *vortex* et *devortium.*

Ver. 107. *turbare timore.* Sic etiam Mantuanus, Æn. xi. 401.

> ——— Proinde omnia magno
> Ne cessa *turbare metu.*

Ver. 108. *nam si:* V. ed. Ω. *jam si:* et pro *certam*, P. V. ed. B. *certum.*

Ver. 111. *restandi:* i. e. resistendi. Ovidius, fast. ii. 749.

> ——— melioribus, Ardea, *restas,*
> Improba.

Silius Italicus, vi. 15.

Et merito: nam, si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliquâ ratione valerent
Religionibus atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim, quæ sit natura animaï;
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur;

——— tuus ille parens decora alta paravit
Restando adversis.

Hæc autem hausta sunt ex illis Epicuri, quorum reliquias tradidit nobis Diogenes Laërtius in x. 81. *Επι δε τουτοις όλως άπασιν, ἐκεινο δει κατανοειν, ότι ταραχος ὁ κυριωτατος ταις ανθρωπιναις ψυχαις γινεται—ἐν τῳ αἰωνιον τι δεινον και προσδοκᾳν, και ὑποπτευειν, κατα τους μυθους.*

Ver. 112. *pœnas timendum.* Ad hanc formulam constructionis, Græcis celeberrime frequentatam, se Varro composuit, de re rust. iii. 16. fin. "*Colligendum eas* "in vas aliquod." Et Silius Italicus, xi. 562.

Nunc pacem orandum, nunc improba fœdere rupto
Arma reponendum, et bellum exitiale cavendum,
Auctor ego:

qui locum vulgatissimum Maronis sibi imitandum sumpsit, Æn. xi. 230.

——— alia arma Latinis
Quærenda, aut *pacem* Trojano ab rege *petendum:*

uti scribitur castissime, et nos edidimus. Hæc autem videtur esse constructio, si res in elementa sua resolvatur, et suppleatur orationis series: "Quoniam timendum "*est futuras esse* pœnas æternas in morte." Haud aliter statuerim de Virgilii geo. i. 160.

Dicendum et quæ sint duris agrestibus *arma:*

i. e. "Dicendum *est* arma *etiam ea*, quæ "sint agrestibus." Vix videntur autem ejusdem rationis, quæ, a communibus constructionis formulis satis abhorrentia, protulit Gellius, atque ad examen revocavit in i. 7. Atticarum Noctium, quas lector adeat, multiplici doctrinâ suaviter conditas.

Ver. 114. *insinuëtur:* i. e. se insinuet; ut Propertius, iii. 7. 28.

Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni
Tempore tam faciles *insinuentur* opes.

Apuleius, metam. sub finem: "Adest "tibi dies, votis assiduis exoptatus, quo— "per istas meas manus piissimis sacrorum "arcanis *insinueris.*"

Porro, huic loco opportunissime Lambinus Arnobium admovit, lib. i. "Quid sit "sensus, quid anima? Advolaritne ad "nos spente, an cum ipsis sata sit et pro- "creata visceribus? mortis particeps de- "gat, an immortalitatis perpetuitate do- "nata sit?"

Ver. 115. *dirempta.* Proponit *perempta*, temerariâ satis atque puerili conjecturâ, Creechius, ut qui poëtæ scopum neutiquam attigerit. Hanc autem habent efficaciam verba, si recte expediantur, ut elucescat argumenti nitor: "Et, *quoniam* "*sit* dirempta (i. e. divulsa atque separata "a consortio corporis), *ideo* simul intereat "nobiscum, et intercidat: nam in con- "fesso est separatim corpus inveniri, "quum putrescat; et mox probaturus sum, "mutuas opes sibi præstare corpus ani- "mamque; ita ut alterum sine altero ne- "queat permanere:" confer iii. 324—351. *Rationem* igitur complectuntur voces *morte dirempta;* et *conclusionem* rursus, *simul intereat nobiscum.*

Cæterum, potestatem dictionis bene declarabit Cicero, Tusc. dispp. i. 29. et unâ operâ mentem Cari illustrabit egregie: "Quod cum ita sit, certe nec secerni, "nec dividi, nec discerpi, nec distrahi "potest (animus): nec *interire* igitur.

Et simul intereat nobis cum, morte dirempta,
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas;
An pecudes alias divinitus insinuet se,

"Est enim *interitus* quasi discessus, et "secretio, ac *diremptus* earum partium, "quæ ante interitum junctione aliquâ "tenebantur."—Sic legendum: vulgo, *direptus;* sed illud suadet Lucretius.

Ver. 116. Ipsissimas voces Ennii procul dubio nobis exhibet Lucretius; sed viri venerabilis monumenta, longe pretiosissima, et æternum deflenda doctis quum Latinæ linguæ principiis explicandis utilissimam operam navassent, nobis invidit ætas πανδαματωρ. Supersunt tamen naufragii reliquiæ huc probabiliter pertinentes. Apud Nonium habemus voce *Specus.*

Inferûm *vastos specus:*

et apud Varronem de L. L. vi.

Acherusia templa alta *Orci*, salvete, infera:

quæ luxata videntur et inconcinna; neque laborem sane luserim in iis coagmentandis cum fragmento, non aliunde, ut putem, distracto, quod nobis conservavit Romanæ pater eloquentiæ, in Tusc. dispp. i. 21. sic distinguendum, scribendumque:

Acherusia templa alta, *Orci* pallida,
Lethæa, nubila, obsita *tenebreis*, loca.

Ibid. *vastas lacunas.* Quam locutionem sic visum est Mantuano variatam dare, ad Æn. vi. 296. in præcellentissimis majestate versibus:

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus *huic* cæno *vastâ*que *voragine*, gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Ita reponendum censeam pro *hic:* et facillimus erat lapsus ab antiquiore scripturâ *heic* ad nostram emendationem.

Ver. 117. *pecudes alias:* nam et homo *pecus* est, Horatio saltem teste, sat. i. 3. 100.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe *pecus*—:

ne plures testes citem; nam forte commodius capias τι *alias pecudes*, ut laxe elatum pro simplice *pecudes*, ad morem gemellæ phraseos in S. Lucæ evangelio, xxiii. 32. και 'ΕΤΕΡΟΙ δυο κακουργοι: quem locum, nisi nostri plus æquo nobismetipsis blandiantur fetus, haud inscite et indocte illustravimus in Silv. Crit. v. p. 74. sed de hoc incorruptius ferant judicium eruditi. Similiter Miltonus noster, Par. amiss. ii. 678.

——————— God and his son except,
Created thing nought valu'd he, nor shun'd:

ubi in Bentleii notâ frustra Bentleium quæras.

Ibid. *divinitus:* i. e. "ex legibus æter-"næ circumductionis, divinâ ratione con-"stitutæ:" unde Pythagoras, metempsychoseos doctrinam proferens apud Ovid. met. xv. 143. de se profatur ad hunc modum:

Et, quoniam *Deus* ora movet, sequar ora moventem
Rite *Deum*—.

Ver. 118. *Ennius ut noster cecinit.* Fragmentum loci, quem facile conjeceris in animo fuisse poëtæ nostri, per Ciceronis manum ad nos devenit, Acad. ii. 16. "At, cum somniavit (Ennius), ita nar-"ravit:

"———— visus Homerus adesse poëta."

Et Ennianum deliramentum non illepide sugillat Persius, vi. 10.

Cor jubet hoc Ennii, post quam destertuit esse
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo:

Horatium, ut adsolet, secutus, epist. ii. 1. 52.

Ibid. *primus:* adeo ut Nævium dramatum conditorem, rudi normæ sermonis scribentem propiora, non videatur poëtis annumerasse superbius Lucretii judicium, quod suo suffragio cumulavit auctoritas Horatii, sat. i. 4. 48.

Ibid. *amœno Helicone:* i. e. arboribus dense consito, si audiendum modo sit glossarium vetus: "*Amœnus*, συσκιος τοπος, συνηρεφης:" quibus non dissident Horatiana illa, od. i. 12. 5.

Aut in *umbrosis Heliconis oris:*

nec Manilius, i. 4. Carum imitatus:

Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per genteis Italas hominum quæ clara clueret.

——— prisoasque novis *Helicona* movere
Cantibus, et, viridi nutantes vertice, *sylvas*.

Ver. 119. *ex Helicone:* V. ed. Ω. *ex licone:* quasi solitæ aberrationis in propriis nominibus tenaces, etiam notissimis ac planissimis.

Ibid. *perenni frunde:* quam vocat Plinius, nat. hist. xvi. 33. *æternâ fronde;* ex arbore scilicet, cujus folia per anni totius vices florent, nec pallida, nec decidua. *Frunde* vero antiquitus, ut supra, ver. 19. *frundiferas*, et Ennius, ann. v. "silvaï "*frundosaï*." Sosipater Charisius, lib. i. p. 105. "*Frus*, hujus *frundis;* quod sic ab "Ennio est declinatum ann. vii. Rares- "cant *frundes*, non *frondes*." Velius Longus, de orthograph. sub init. "Unde "in multis etiam nominibus variæ sunt "scripturæ; ut fontes, *funtes;* frondes, *frundes*." Nec mirum, si accipiendum sit etymon Varronis, de ling. Lat. iv. 26. "Fons, unde *funditur* e terrâ aqua vi- "va." Hos autem ἀρχαϊσμοὺς, ut erat sperandum, passim obliteravere librarii scriptores; orthographiam venerandæ antiquitatis eâ, quæ apud suos æquales invaluerit, per constantissimam pervicaciam ac summam inscitiam mutantes. Vide plura ad ver. 722. Viri doctissimi, Vossius et Oudendorpius, vere restituerunt Cæsarem de bell. civ. iii. 58. "etiam *frus* ex "arboribus deficiebat:" quam dictionem in vulgatæ lectionis prolixitatem, *fructus* dico, pronissimâ manu librarii extensum irent. Ut vero ad propositum revertar, vel inscriptiones lapidibus incisæ, vestustam orthographiam fidelius tradentes, locupletissimæ manent testes, quantam in hac provinciâ grassationem sibi permiserint exscriptorum natio.

Ver. 120. Vox *hominum* abest a V. ed. et vice *clueret*, Π. *relucet*.

Ibid. *genteis Italas hominum* dixit noster per inversionem poëticam, sibi frequentatam, pro *genteis Italorum hominum:* de quâ formulâ videas Bentleium infra, ad vi. 1063. nos ad Mosch. id. ii. 121. et quæ adnotabuntur ad ver. 475. hujusce libri. Sic Virgilius, Æn. xii. 199.

*Vim*que deûm *infernam:*

pro "vim deorum infernorum:" ubi pro spe meâ variant in voce *infernam* codices. Et judicari potest additamentum supervacaneum prorsus τὸ *hominum* in versu Lucretii, ut in hoc Suetonii loco, iii. 61. "Nullus a pœnâ *hominum* cessavit dies; "ne religiosus quidem, ac sacer." Ubi receptam lectionem tuetur Oudendorpius, et fortassis erudite atque prudenter; non possum tamen quin existimem vocabulum, de quo agitur, caudam ibi trahere ineptissime, et exquisitum scriptorem ita constituisse ab initio periodum: "Nullus a "pœnâ *omnium* cessavit dies:" i. e. ne quidem unus: quod venustum fuerit, efficaxque. Nostrum denique imitari voluit Sidonius Apollinaris, xxii. 178. rariore adoptandâ locutione:

Cum, *populis hominum* glandem linquentibus olim,
Fulvâ fruge datâ, jam secula fulva perirent.

Nec tamen lauto lectori tædium, ut puto, creem, si locum Silii, ubi hæc formula fefellit Heinsium, probe constitutum dedero, Pun. vi. 336.

——— nubes subito cum densa Laconum
Saxosis latebris intentum ad prælia circum
Funditur, et *Pœna* insurgit *vis* sæva *virorum*.

Ordo est: "Nubes funditur *ex* latebris "circum intentum." Vulgo, *intento;* (i. e. *intentom*, nî fallor) cassâ constructione. Heinsius, *Pœnûm;* quam conjecturam locus Lucretii refellit. His etiam Priscianus in periegesi, ver. 659. committetur, tam quod locus elegantioribus accenseri possit, quam ut leviusculam emendationem nobis acceptam referat:

Hunc tamen, immenso torrentem flumine, vertit
In glaciem Boreas, horrendo flamine sævus.
Heu! miseros homines, habitant qui finibus illis,
Aëre *damnatos* tristi, nimioque rigore;

Et si præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra;

Quo pereunt pecudes pariter *populi*que *virorum*,
Nî propere linquant sua rura furentibus *auris*.

Vulgo, *damnati*, cum exsecrabili quâdam κακοφωνιᾳ· et *Euris*, versu secundo contra stante, et luculentissimis verbis Dionysii, ver. 678. non minus renuentibus:

——————— λιπουσι δε γαιαν ΑΗΤΑΙΣ
Χειμεριαις.

Ibid. *quæ clara clueret:* i. e. κλυει, ut ad hanc phrasim exacte loquebantur posteriores, " quæ *audiret* clara." Glossarium vetus: " *Cluor*, δοξα." Ennius apud Nonium voce *cluet:*

Per genteis esse *cluebat* omnium miserrimus:

audiebat nempe—nominabatur: unde *inclytus* illustris. Plautus, Trinum. ii. 2. 28. qui et alias vocabulum adhibuit, non prorsus rarum, vel priscis vel serioribus:

——— dum vivit, victor victorum *cluet.*

Hinc, nî fallor, castigandus est Ausonius in epistolis, xvi.

—— Nam consul *æternus* cluet:

vulgo, *æternum.* Nec minus erat in usu contracta forma *cluo*, κλυω, conjugationis tertiæ, ut supra in Plauto, quam *clueo*, secundæ. Exemplum sistatur e Prudentio simplex, cath. ix. 807.

Dexter in parentis arce qui *cluis* virtutibus:

i. e. polles; ut in Anth. Lat. i. epig. 73.

Voce Thalia *cluens* soccis, Dea comica, gaudet.

Ejusdem Anthologiæ epig. 144. lib. ii. hoc admonitum vocabulo, maculâ penitius imbutâ non pigebit eluisse, ver. 11.

Hos inter, juvenile *decens*, sed honore senili,
Bisseno celsus, Symmache, fasce *cluis.*

Vulgo, *decus;* constructione nullâ. Nostra emendatio venustatis est exquisitissimæ.

Ver. 121. *Et si præterea.* Quasi dixerit poëta: " Quanquam, ut erumpat a " me in immortalem virum vera vox, vix " sibi constare videatur Ennius, aut sal" tem nugas effutire, cum fabulis de se" dibus inferorum commiscens doctrinam " Pythagoream metempsychoseos, et effi" gies hujuscemodi commentus, quæ ne" que verbis describere, neque animo " comprehendere, cuivis facile est." His autem non intempestive apposuerim committendam Mæonidis vanitatem, ad Od. Λ. 600.

Τον δε μετ' εισενοησα βιην 'Ηρακληειην,
Ειδωλον· αυτος δε μετ' αθανατοισι θεοισι
Τερπεται εν θαλιης, και εχει καλλισφυρον 'Ηβην:

quæ J. Cæsaris laudibus plenissime accommodavit Naso, fast. iii. 701. ubi Vesta loquitur:

Ipsa virum rapui, *simulacra*que nuda reliqui:
Quæ cecidit ferro, Cæsaris *umbra* fuit.
Ille quidem, *cœlo positus*, Jovis atria servat,
Et tenet in magno templa dicata foro.

Ibid. *templa:* i. e. altas cavernas: vide notata ad ver. 1013. et ii. 28.

Ver. 122. *edens:* V. ed. *ædens:* unde non inconcinne coneris sic refingere:

Et si præterea tamen esse Acherusia *templa*
Ennius æternis exponit versibus; *ædem*,
Quo neque permanent animæ—.

Malim tamen equidem duos, qui sequuntur, versus pro Ennianis capere; nisi credibilius sit Lucretium respicere distichon a Cicerone conservatum, ad Tusc. dispp. i. 16. Bentleio acutissime emendatum, et cujus priorem ipse sponte ad eundem modum castigaveram:

Unde animæ excitantur, obscuræ umbræ, aperto ostio,
Alti Acheruntis, fuso sanguine, mortuorum imagines.

Sed cæcissimis cæcior sum, si non adhuc pede deficiat versus prior; quod demiror Bentleium latuisse. Sic redintegrem sane egomet:

Unde animæ excitantur, obscuræ umbræ, aperto *ab* ostio.

Tum demum trochaïci pedibus rectis stabunt: et, quum libri consentiant in "*falso* " sanguine," forte an scripserit Ennius, "*falsi* sanguine:" i. e. *privati* sanguine. Virgilius, Æn. vi. 401.

——————— licet ingens janitor, antro
Æternum latrans, *exsanguis* terreat *umbras.*

Sed quædam simulacra, modis pallentia miris:
Unde, sibi exortam, semper florentis Homeri
Conmemorat speciem lacrumas ecfundere salsas

Imo, rebus, ut fit, inter scribendum, aliâ alii, lucem accendentibus, ita scripsit Ennius:

——— *cassæ* sanguine, mortuorum imagines.

Cicero, de divin. ii. 64. cochleam describens:

Terrigenam, herbigradam, domiportam, *sanguine cassam*:

et Avienus, orb. desc. 602. haud invenuste:

Hic quondam Python, transactus arundine membra,
Sanguinis et *cassus*, prolixa volumina solvit.

Atque hæc emendatio versus Lucretii, ad Ennianum distichum compositos, propius attingit.

Ver. 123. *permanent:* G. Π. Σ. Ω. *permaneant;* P. *perveniant.* Sed *permanant* unice venustum est, et tenuissimis fluidisque imaginibus impendio conveniens. Ita noster, iii. 699.

Permanare animam nobis per membra solere

Ovidius, ex Pont. iii. 3. 93.

——— ille est tenues *dilapsus* in auras:

et Lucanus, iii. 35.

——————— sic fata, refugit
Umbra, per amplexus trepidi *dilapsa* mariti.

Ver. 124. *simulacra modis pallentia miris.* Hæc totidem verbis integra transtulit in usus proprios Mantuanus, geo. i. 477.

——— et *simulacra, modis pallentia miris*,
Visa sub obscurum noctis.

Claudianus in Rufin. i. 128.

——————— *simulacra* coloni
Pallida, defunctasque vident *migrare* figuras.

Pro *migrare*, quidam codices, *mugire*. Lego:

——— defunctasque vident *mutire* figuras.

Confer Virg. Æn. vi. 492. Hor. od. ii. 1. 21. cui Flacci formulæ multa similia obversantur.

Ver. 125. *semper florentis:* αιθαλης, ut sertum, quo coronatur, foliis non deciduis; vide supra ver. 119. i. e. *æterni.* Ovidius, ex Pont. ii. 10. 13.

Tu canis *æterno* quicquid restabat *Homero.*

Et *ex orto, vel ex ortam*, edidit Pius.

Ver. 126. *speciem:* ειδωλον—membranam—corticem—effigiem: vide iv. 34—46. Claudianus, laus Seren. 110.

Quâque datur, *fratris speciem* tibi reddit *adempti.*

Ibid. *effundere:* sic L. M. Δ. Π. Σ. Ω. nonnulli *et fundere* dedere: P. *cui fundere.* Maro, Æn. x. 465.

——————— *lacrumas*que *effudit* inanis.

Porro, probabiliter judicat Havercampius illud *et fundere* merum esse αρχαϊσμον orthographiæ, leviter vitiatum pro *ecfundere:* quod scriptum volui. In minoribus codicum literis vix possibile est *t* et *c* distinguere. Vide Cortium ad Sallust. Jug. xiv. 11. Sed has scripturæ vetustioris formas caligine crassissimâ mersit importunitas et indiligentia scribarum.

Ibid. *lacrumas salsas:* i. e. τα πικρα δακρυα Homeri, Od. Δ. 153. vide Silv. Crit. iii. p. 131. Et simile finxit de Agamemnonis ειδωλῳ poëta, ibid. 390.

Κλαιε δ' ὁ γε λιγεως, θαλερον κατα δακρυον ειβων.

Ver. 127. *Cæpisse et:* G. V. ed. B. M. Π. Σ. *cæpisset;* P. *cæpisset et.*

Ibid. *rerum naturam.* Paullo aliter Virgilius, geo. ii. 483.

——————— *naturæ* adcedere *partis:*

et inferius ibid. ver. 490.

——————— *rerum* cognoscere *caussas.*

Ibid. *rerum naturam expandere.* Maro, Æn. vi. 267.

Pandere res altâ terrâ, et caligine, mersas.

Exemplum compositi *expandere* in translato sensu non invenio: unde haud absurde suspicari liceat, solenne vocabulum poëtæ, *exponere* dico, hic esse rescribendum.

Quum vero loqueretur Mæonides, et lacrimas effunderet, intelligendus est inde ostendere voluisse Ennius, non imagina-

Cœpisse, et rerum naturam expandere dictis.
Quapropter, bene quom superis de rebus habenda
Nobis est ratio; solis lunæque meatus
Quâ fiant ratione, et quâ vi quæque gerantur
In terris; tunc, cum primis, ratione sagaci,

riam prorsus atque evanidam fuisse hanc defuncti speciem. Quorsum vero lacrimas effunderet Homerus? An miserias istius illætabilis regionis deflens? ut Achilles prior, Od. Λ. 488.

Βουλοιμην κ', επαρουρος εων, θητευεμεν αλλῳ
Ανδρι παρ' ακληρῳ, ᾡ μη βιοτος πολυς ειη,
Η πασι νεκυεσσι καταφθιμενοισι ανασσειν.

Ver. 128. *superis de rebus:* quas ad hunc modum explicatius declaravit ad v. 85.

——————— rebus in illis,
Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris.

Ver. 129. *solis lunæque meatus.* Virgilius, Æn. vi. 850.

——————— *cæli*que *meatus*
Describent radio:

et Lucanus etiam, ix. 6.

——————— terras inter, *lunæque meatus.*

Ovidius insuper, met. xv. 71.

——————— quâ *sidera* lege *mearent.*

Denique, cum multis aliis, Cicero, Arat. progn. init.

Ut cum *Luna means* Hyperionis obficit orbi.

Ver. 130. *gerantur.* Sic omnes nostri, et aliorum, codices, cum vetustis editionibus: sed audacter intrusit, et exemplo pessimo, Lambinus, citra necessitatem, *το genantur* vulgarium editionum. Neque a meâ sententiâ Bentleii judicium discessit. Summo opere nugatorium agerem, si in tali re disquirerem per scriptores auctoritatum cumulum: sufficiat igitur Nasonianum singulare, met. xii. 62.

Ipsa, quid *in cœlo rerum*, pelagoque, *geratur*,
Et tellure, videt; totumque inquirit in orbem.

Quâ vi vero Mantuanus etiam, in materiâ simili versatus, geo. ii. 479.

Unde tremor terris, *quâ vi* maria alta tumescant.

In hoc autem operis propositi breviario, non attingit Lucretius libri primi secundique disputationes: quæ proinde pro postulatis quibusdam sunt habendæ, ad doctrinas capitaliores, hic recensitas, itineri sternendo potissimum inservientibus.

Ver. 131. *tunc:* sic libri præstantissimi: sed, quum in *tum* et *tunc* perpetuo codices inveniantur variare, rem, titivilitii haud æstimandam, et ipsi consulens et lectoribus, silentio præteribo, contentus optimorum exemplarium auctoritatem sequi. Mihi sane versus sic castigatus placeret magis:

In terris; *tunc, in* primis, ratione sagaci—.

Et, si fides Havercampo, quidam MSS. dant *in primis;* sed quos velit, plane nescio.

Ver. 132. *constet:* Π. Σ. *constat;* contra tenorem temporum, qui servandus est incorruptus.

Ver. 134. *Terrificet:* editiones duæ cum Bodleiano codice *Terrificent:* et mehercule illi numero unitatis, si attentius inspexeris, aliquid inest durius, quam quod facile castioris vir judicii concoxerit. Versui sic reformato non offenderem:

Et *quâ re*, nobis vigilantibus obvia, menteis
Terrificent—:

i. e. " et quam ob caussam terriculamenta " illa simulacrorum visibus nostrarum " mentium obversentur." Lector nasu- " tus judicet.

Ibid. *morbo adfectis:* ut Terentius, Hec. iii. 3. 5.

——————— alio suspicans
Morbo me visurum *adfectam.*

Sed rarissime plenam phrasim poëtæ saltem exhibent. Propertius, ii. 21. 1.

Jupiter, *adfectæ* tandem miserere *puellæ*,

Ibid. *somnoque sepultis.* Hic ita Lambinus: " Ex Ennio:

" Nunc hostes, vino domitei, *somnoque sepultei:*

Unde anima atque animi constet natura, videndum:
Et quæ res, nobis vigilantibus obvia, menteis
Terrificet, morbo adfectis, somnoque sepultis;
Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obitâ quorum tellus amplectitur ossa.

" sic et Virgilius, Æn. ii. 189.

" Invadunt urbem, *somno* vinoque *sepultam*."

Cæterum, mavult Bentleius, "somnove:" id tamen vix memoratu dignum videri possit, nisi quod nolim prætermittere vel levissimam tanti viri suspicionem.

Ver. 135. *Cernere:* B. *cernimur.* Pro *uti*, V. ed. Π. Ω. *ut:* et B. *audire coramque:* offensus utique positione, quam hic obtinet *το que*, non ingratâ Lucretio, ut ut auribus magis fastidiosis insequentium poëtarum minus jucundâ. Vice *coram*, V. ed. *coronam* exhibet.

Ibid. *Cernere coram.* Maro, Æn. ii. 538.

——— qui nati *coram* me *cernere* letum
Fecisti.

Ver. 136. *Morte obitâ.* Infrequentior hæc est nominis ac verbi consociatio. Similiter autem Terentius, And. i. 3. 18.

Is *obiit mortem:*

ubi sic Donatus: " Plene dixit, quod nos " *obiit* tantum. Virgilius (Æn. x. 641.):

" *Morte obitâ* quales fama est volitare figuras."

Nonnulla congessit exempla Drakenborchius ad Sil. Ital. ii. 574. nobilissimum locum, Venere Gratiisque elaboratum, et dignissimum sane, qui, politus meâ castigatione, nativis honoribus effulgeat:

Felix, Murre, necis, patriâque superstite felix!
At nos, Sidoniis famulatum matribus actas,
Post belli casus, vastique pericula ponti,
Karthago aspiciet victrix: tandemque, *supremâ*
Nocte obitâ, Libyæ gremio captiva jacebo.

Vulgo, *supremum.* Mantuanus autem, quem in his versibus ter saltem imitatus est Punicorum scriptor, haud aliter ad Æn. vi. 513.

—— ut *supremam* falsa inter gaudia *noctem*
Egerimus, nosti.

Gremio autem Telluris, ut quæ maternis affectibus in sinu foveat, et ulnis complectatur; sic ut in loco coram posito Lucretius. Prior Silio, vates idem divinus, non immemor magistri, Æn. v. 31.

— quæ Dardanium *tellus* mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ *gremio complectitur ossa.*

Sed in hac elegantiâ commendandâ quis mollissimum Meleagrum æquiparavit? epig. cix. Brunck. analect.

Αλλα σε γειναμεναν, ΓΑ παντροφε, τον πανοδυρτον
Ηρεμα σοις ΚΟΛΠΟΙΣ, ΜΑΤΕΡ, ΕΝΑΓΚΑ-
ΛΙΣΑΙ.

Plinius autem, nat. hist. ii. 63. et locum coram nobis, et eum, qui mox veniet ad ver. 252. cum ii. 997. illustrat felicissimâ convenientiâ. " Sequitur Terra, cui uni " rerum naturæ partium, eximia propter " merita, cognomen indidimus maternæ " venerationis. Sic hominum illa, ut " cœlum dei: quæ nos nascentes excipit, " natos alit, semelque editos sustinet sem" per: novissime, *complexa gremio*, jam a " reliquâ naturâ abdicatos, tum maxime " ut mater, operiens." Vetus inscriptio in Anthol. Lat. Burm. lib. iv. ep. 334.

Diva, precor, *Tellus*, *alvo complectere*, sancta,
Ossua, quorum in hoc nomina sunt lapide.

Ita interpungimus, ut redeat *sancta* ad *Tellus;* et rectius fortasse, quam in editis.

Ausonium denique in transitu emaculatum dabimus, Id. vi. 14. huc facientem:

Omnia quæ, lacrimis et amoribus anxia mœstis,
Exercent memores, *obitâ* jam *morte*, *dolores;*
Rursus in amissum revocant*que* heroïdas ævum.

In vulgatis legitur *doloris*, et abest *que.* Multus est in hac locutione Tacitus, ut qui fuerit colore poëtico sermonis studiosissimus affectator, et in primis amantissimus Virgilii.

Ver. 137. *animi:* V. ed. B. Π. *animus:* cui non favet variationi vel v. 98. vel similis Virgilii structura, ad Æn. iv. 96.

Nec me adeo *fallit*, veritam te mœnia nostra—,

Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta
Difficile inlustrare Latinis versibus esse;
Multa novis verbis præsertim quom sit agundum
Propter egestatem linguæ, et rerum novitatem:

Porro, dat etiam Σ. *fallunt:* frustra.

Ibid. *obscura reperta:* i. e. "doctrinas "subtilissimas, quas e reconditioribus Na- "turæ penetralibus deprompserunt Græci "philosophiæ *repertores;*" quâ voce usus est ad iii. 1049. in carmine divinitus cælato:

Adde *repertores* doctrinarum, atque leporum.

Ver. 138. *inlustrare:* i. e. non tantum in novam atque inopem linguam transferre, verum etiam tenebricosas illas disciplinas ita luce perfundere, ut evadant clariores. Horatius, art. poët. 448.

——— parum claris lucem dare coget.

Sub initio Academicorum Marcus Tullius:—"sum ingressus res eas, quas tecum "simul didici, mandare monumentis; "*philosophiam*que veterem illam, a So- "crate ortam, *Latinis literis inlustrare.*"

Ver. 139. *Multa quom sit agundum.* De hac sermonis formulâ satis dedimus ad ver. 112.

Ver. 140. *egestatem linguæ:* "quum "Romanorum ingenia has philosophiæ "partes non accesserint, et verborum copia "non aliunde veniat, quam ex repetitis "virorum doctorum disputationibus, ad "multiplices obortas cogitationes decla- "randas undique vocabula disquirentium, "atque conformantium." Seneca, epist. LVIII. "Quanta *verborum* nobis pauper- "tas, imo *egestas,* sit, nunquam magis "quam hodierno die intellexi."

Cæterum, in editionibus ad hunc modum locus exhibetur, aspectu prorsus indecoro, citra necessitatem:

Difficile inlustrare Latinis versibus esse,
(Multa novis verbis præsertim quom sit agendum,)
Propter egestatem linguæ, et rerum novitatem.

Viam nos inivimus speciosiorem, ut hæc demum sit argumenti series, et clausularum nexus: "Scio difficile esse res tam "obscuras in linguâ Latinâ dilucide ex- "ponere; præsertim, cum sermonis ino- "pia et ipsarum rerum novitas me redi- "gant ad dictiones inauditas hactenus, "atque ideo ab hominum communi in- "tellectu remotiores, procudendas."

Ver. 141. *sperata:* Π. *spreta* Ob commutationem eam, de quâ ad ii. 2. dedit fortasse noster:

Sed tua me virtus tamen, et *spectata* voluptas
Suavis amicitiæ:

nam satius videtur arbitrari, voluptates amicitiæ, diu jucundissimo commercio perceptas, impulisse ad has vigilias laboriosas, quam gaudiorum futurorum spem; quasi diffidere posset amici sui studio ac constantiæ, nisi ulterius amorem ejus cumulatis officii testimoniis, atque eis quidem ærumnosis, demereretur. Virgilius, Æn. vi. 687.

Venisti tandem? tuaque, *spectata* parenti,
Vicit iter durum pietas?

Decernant autem pro arbitrio de hac emendatione lectores lauti: saltem æmulatur idem summus vates hunc locum ad Æn. viii. 130.

Sed tua me *virtus,* tua terris didita fama,
Cognatique patres, et sancta oracula divom,
Conjunxere tibi:

ad quam normam credibile est, vel ex hoc Lucretii loco, versus istos castigandos esse, atque ordinandos: conferas velim, si te non pigeat, meam Silv. Crit. iv. p. 189.

Ibid. *voluptas Suavis amicitiæ.* Epicuro scilicet, ut in omnibus, consentiens; de quo sic Diogenes Laërtius, x. 148. Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Quam γνώμην sic ornatu magnifico suæ orationis convestivit Cicero, Acad. i. 20. "Restat locus, huic dispu- "tationi vel maxume necessarius, de A- "micitiâ;—de quâ *Epicurus* quidem ita

Sed tua me virtus tamen, et sperata voluptas
Suavis amicitiæ, quemvis ecferre laborem
Suadet, et inducit nocteis vigilare serenas,
Quærentem, dictis quibus, et quo carmine, demum

"dicit: Omnium rerum, quas ad beate "vivendum Sapientia comparaverit, nihil "esse majus amicitiâ, nihil uberius, nihil "jucundius." Imo, sentiebat Epicurus, και ὑπερ φιλυ ποτε τεθνηξεσθαι· Diog. Laërt. x. 121. quam sententiam suo suffragio commendat Paulus Tarsensis, ad Rom. v. 7. 'Υπερ γαρ τε αγαθε ταχα τις και τολμα αποθανειν.

Ver. 142. *quemvis:* G. M. *quamvis.*—*Efferre:* sic G. Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. ut pene inducaris affirmare, τo *perferre* editionum, quod ob reconditiorem potestatem dictionis *efferre* videri non absurde possit ex interpretamenti statione ad marginem se in textum promovisse, editorum temeritati, vel certe quorundam scribarum vecordiæ, esse imputandum. Lambinus admovet quam opportune periochen auctoris nescio cujus ex Ciceronis oratione pro P. Sextio, cap. 48. "Sed te "id, quod multi invideant multique ex"petant, inscitia sit, inquit, postulare, si "tu *laborem* summâ cum curâ *efferas* "nullum." Ubi quoque scrupulum injecit Grævio vox, de quâ satagimus, tentanti *afferas.* Neque aliter poëta vetus apud eundem Tullium, Tusc. dispp. iv. 29. quem emendatiorem dabimus, et inoffensiorem metri, ex vulgatâ lectione corruentis:

Neque tam terribilis ulla fando *factio* est,
Nec sors, nec irâ cœlitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo *ecferat.*

Factio nempe est *res,* τo Euripideum *παθος:* vulgo *ratio* legitur. Sic Plautus, Rud. v. 3. 15.

L. Neque edepol tibi do, neque quidquam debeo.
G. Quæ hæc *factio* est? Non debes?

Apuleius de habit. doct. Plat. phil. sub initio:—"materiam—figurarum capacem, "*factioni*que subjectam:" i. e. quæ posset artificem manum pati. Rursus autem, τα *perpeti* ac *pati* sæpissime valere *facere,* longe notissimum est. Atque insuper ex probissimorum codicum variatione, atque constantissimâ Maronis imitatione, qui nihil exquisitioris in Lucretio intactum reliquerit, aut intentatum, non temere mihi videor colligere dictionem *efferre* illi esse redonandam, ad Æn. xii. 635.

——————— Sed quis, Olympo
Demissam, tantos voluit te *efferre labores?*

Dictæ membranæ *perferre,* sed Musis multum indignantibus.

Ver. 143. *nocteis serenas:* i. e. *pure* tranquillas, ut loquitur Horatius; nullo strepitu, nullis perturbationibus, τεθολωμενας· quippe quum mortalium curæ nube soporis obtegantur, et altum sit undique silentium, et tranquillitas:

Μεσσατον τε φυλα παντα
Κειται, κοπῳ δαμεντα.

Apollonius Rhodius, iv. 1058.

——————— επηλυθεν ασπετιῃσι
Νυξ εργων ανδρεσσι, κατευκηλησε δε πασαν
Γαιαν ὁμως:

i. e. omnem tellurem *serenavit.* Cicero, Tusc. dispp. iii. 15. "Frons erat—*tran*"*quilla* et *serena.*" Quid, quod *serena* videatur noctis perpetuum epitheton? Ennius, ann. xiv.

Omnes obcisei, obcenseique, in *nocte serenâ.*

Conferas Virg. geo. i. 426. Tibull. i. 2. 63. Cic. Arat. phæn. 169.

Aliter libens amplexus essem Creechii nostratis suspicionem, ipso Bentleio non improbatam:

——————— nocteis vigilare *severas:*

sic enim Lucretius ipse, iv. 461.

Et sonitus audire, *severa silentia noctis*
Undique cum constent.

Ad Nemesiani ecl. i. 56.

Blanda tibi vultûs gravitas, et mite *serenâ*
Fronte supercilium:

Clara tuæ possim præpandere lumina menti,
Res quibus obcultas penitus convisere possis.

in diversum abeunt critici, hic *serenâ*, ille autem *severâ*, præferens: ego receptæ lectioni standum putem; videas autem Burmannum, qui docet hæc vocabula aliquoties in libris commutari.

Porro, super his serenarum noctium lucubrationibus, non incommoda sunt, quæ leguntur in Græcis Anecdotis Villoisoni, i. p. 295. ita constituenda: *και γαρ της εν νυκτι ζητησεως δει προς τα κατα παιδειαν· ευφρονην γαρ οἱ ποιηται ου δι' αλλο τι την νυκτα εκαλεσαν, η δια το ευ φρονειν εν αυτῃ, ὡς και Επιχαρμος.*

> *Ειτε τι (φησι) ζητεις σοφον, της νυκτος ενθυμητεον, και·*
> *Παντα τα σπουδαια νυκτι μαλλον εξευρισκεται.*

Vulgo, *ευρισκεται*, trochaïco claudicante.

Ibid. *nocteis vigilare*. Horatius, sat. i. 3. 17.

> ———— *noctes vigilabat*, ad ipsum
> Mane:

et Claudianus, de bell. Gild. 449. cujus et Preigerus meminit:

> ———— discatque coactus,
> *Quas vigilat* Veneri, castris impendere *noctes*.

Ver. 144. *quo carmine*. Olor Mincianus, geo. ii. 95.

> ———— et *quo* te *carmine* dicam,
> Rhætica?

Ver. 145. *Clara:* Π. *Clare.*—*menti:* P. *mentis:* sed mendose.

Ibid. *præpandere lumina:* i. e. "lumen "exhibere, quasi de fronte speculæ, quæ "tibi, per tenebrosos erroris fluctus navi"ganti, viam præmonstret." Virgilius, cul. 15.

> ———— quâ Parnasia rupes
> Hinc atque hinc patulâ *præpandit* cornua fronte:

ubi *prætendere* malit Scaliger, non satis idoneâ de caussâ. Cicero dictionem adhibuit in dulcissimis versibus Arateorum:

> Et post, hiberni *præpandens* temporis ortus,
> Admonet, ut mandent mortales semina terris:

quem, ad hanc normam exactâ, verissimâ mactabimus ibidem emendatione:

> Non pauca e cœlo depellens signa, repente
> Exoritur, *pandens* inlustria lumina, Virgo.

Vulgo, *candens:* unde Grotius, corruptelam corruptelæ fœdissime accumulans, *candens illustri lumine*. Sic autem verbo simplice Carus usus est ad v. 656.

> ———— roseam Matuta per oras
> Ætheris auroram defert, et *lumina pandit*.

ut Cicero, Arat. phæn. sub finem, et alibi etiam in superioribus ibidem:

> ———— simul, cum *lumina pandit*,
> Ipse feram dextrâ retinet.

Ideo autem *pandere*, quod radiorum, a puncto dato profluentium, magis et magis amplietur atque expandatur fasciculus. Hinc proprietatem suam locus Persii nanciscitur, iii. 2. *ποιητικωτερως* exornatus:

> ———— jam clarum mane fenestras
> Intrat, et angustas *extendit* lumine *rimas:*

dilatat utique, radiis perpetuo divergentibus.

Cæterum, loco Lucretii, coram posito, in primis convenit, et egregie inservit, qui legitur in v. 776. omnino gemellus:

> ———— et *aperto lumine* rursum
> Omnia *convisunt clarâ* loca candida *luce*.

Cum his utiliter committi potest elegantissima Valerii Flacci phrasis, ingenio multum simili, Argon. viii. 248.

> ——— se pingues tum candida *flamma* per auras
> *Explicuit*.

Plinius, nat. hist. ii. 9. "Non sumus pro"fecto grati erga eos, qui labore, curâque, "*lucem* nobis *aperuere*, in hac luce." Ita distinguendum, ut facilius intelligantur verba *in hac luce* ad priorem partem sententiæ redire. Sed an legendum?—"a"peruere in *occluso?*"

Ver. 146. *penitus:* G. *peniti.*—*convisere:* P. *conviscere;* Π. *comisere.*

Ibid. *convisere:* i. e. adire—attingere; et alibi noster vocem adhibuit, non in propatulo jacentem, aut alicubi temere legendam. Tullius in Arat. phæn. sic, opinor, corrigendus:

Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
Non radiei solis neque lucida tela diei

Jam simul ut supero se *totum* lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa corona,
Et loca *convisit* caudâ tenus infera puppis.

Vulgo legitur *toto*, intolerabili plane κακοφωνίᾳ. Et erroris facillima est declarandi ratio. Antiquitus scribebatur utique *totom*, et compendiose *totō*: unde, neglectâ incuriose virgulâ, aut etiam obliteratâ vetustatis situ, librorum provenit depravatio. De hoc erroris uberrimo fonte, vide Burmann. ad Anthol. Lat. i. p. 6. nec fortasse male fecisset editor, qui hanc scripturam per totum Lucretium restituisset.

Ver. 148. *tela diei:* vide nos ad Eurip. Herc. fur. 1093. Figurâ usus est Marius Victor, comm. in gen. i. 101. cujus versiculi, exquisitissimâ sane respersi elegantiâ, vitiati leguntur apud Maittaire, corp. poëtt. sed fortasse operarum tantummodo incuriâ, nam alia editio non nobis suppetit:

Floribus ætheriis varios *vibrare* colores,
Et magis ornatis se resplendere tenebris,
Cærula *Nox* stupuit; rutilis dum *spicula flammis*
Fusa micant.

Quis autem in hac figurâ Prudentium superavit? ad Hamartig. 86.

Aut, si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties *radiorum spicula* nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes:

i. e. ita spargit, ut *fictitios* efforment *soles*. Interpres non intellexit: qui laudavit Cathem. ii. 5. haud minus elegantem locum.—Expressit nostrum imitatione minus ambiguâ Ausonius, Mosell. 269.

Exsultant udæ super arida saxa rapinæ,
Luciferique pavent letalia *tela diei*.

Quem locum et Lambino laudatum esse serius intellexi.

Ibid. *tenebras Discutiant lucida tela.* Hunc locum in oculis habuit, opinor, Seneca sub finem epist. cii. "Aliquando "*Naturæ* tibi arcana retegentur, *discutie*"*tur* ista *caligo*, et *lux* undique clara *per*"*cutiet*. Imaginare tecum, quantus ille "sit fulgor, tot sideribus inter se lumen "miscentibus." Et ἀποσπασμάτιον productius dare volui, ut inde confirmetur recepta lectio ad ii. 804. ubi nos uberiores effundimur, contra Bentleii emendationem. Ad locum te recipias. Huc etiam convertebat oculos Virgilius, geo. iii. 357.

Tum *sol* pallentis haud umquam *discutit umbras*.

In immensâ autem materie locorum hanc elegantiam attingente, satis sit unum insuper Homeri versiculum pervenustum adduxisse, Od. E. 479.

Οὐδέ ποτ' ἠέλιος φαέθων ΑΚΤΙΣΙΝ ΕΒΑΛΛΕΝ.

Hac tamen occasione versus quosdam, egregia hujusce figuræ exempla dantes, insigniter depravatos, recte constituam, et emendatissimos exhibebo. Avieni vero sunt in Arati prognosticis, ver. 1566.

Sed non, ora cavo similis, medioque recedens
Orbe quasi, vel si radios discingitur ultro,
Figat ut australem porrecto *sidere* partem,
Aut boreæ rigidi *jaculetur lumine signa*,
Et vento et pluviis reparatâ in luce carebit.

Vulgo; *Orbe, quasi vel;* et *luminis igne*. Veram in priore loco distinctionem vidit etiam Grotius, sed infelicissime emendabat *ore quasi:* adi Virg. geo. i. 442.

Ver. 149. *Naturæ species.* Naturam scilicet magnifice προσωποποιεῖ, ut supra Religionem, ver. 64. *Species* ergo *forma* est, vel *imago*, ut nuper, ver. 126. *Homeri speciem.*

Cæterum, in Pii editione ad hanc numerorum seriem disponuntur versus: vv. 149. 152. 153. 154. 155. 159. 150. 151. 156. 157. 158. 160.

Ver. 150. Verborum in hoc versu talis exhibetur ordo vulgaribus editionibus:

Principium hinc cujus nobis exordia sumet:

quo quid turbatius, atque magis incompositum, sperari possit? Rationes, quibus nixi sumus, in verbis aliter digerendis, vel validiores videntur esse, quam quæ tali sufficiant inconcinnitati amoliendæ. Nostram dispositionem luculenter exhibet editio Bononiensis; et voces *hinc cujus* transpositæ reperiuntur in Vind. V. ed. Π. et Σ. atque, uti suspicor, in aliis codicibus,

Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque:
Quoius principium hinc nobis exordia sumet;
Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quod multa in terris fieri cœloque tuentur,
Quorum operum caussas nullâ ratione videre

quorum testimonium siluerit editorum indiligentia. Hunc autem non patiuntur ordinem metri necessitates. Non igitur judicandi sumus rem inconsulto nimis, et pro arbitrio, administrasse.

Porro, subobscurus est loci sensus, et ratio constructionis. Sic rem concipiendam arbitrer: "Cujus Rationis, vel Philosophiæ, principium ab hoc, quod insequitur, axiomate exordietur, vel suam instituet profectionem." Virgilius, Æn. iv. 284.

——— quæ prima *exordia sumat?*

Ver. 151. Vulgatissimum est hoc effatum veterum physicorum, quod sic Aristoteles extulit, quem suscitat Lambinus: *Το γιγνομενον εκ μη οντων γιγνεσθαι, αδυνατον· περι γαρ ταυτης ὁμογνωμονουσι της δοξης παντες οἱ περι φυσεως.* Persius, iii. 83.

> Ægroti veteris meditantes somnia, Gigni
> De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Plura super hac re petentibus mandem Gatakeri commentarios ad Marc. Anton. iv. 4. eruditione multiplici pro more locupletissimos. Nec tamen addidisse me pigebit hoc dogma ex Democriti fontibus emanavisse; qui sic opinatus est apud Diogenem Laërtium, ix. 44. *Μηδεν εκ του μη οντος γινεσθαι, μηδε εις το μη ον φθειρεσθαι.* In quantum autem Democriteus fuerit Epicurus, docet Plutarchus in libello adversus Colotem, non longe ab initio, et stomachose Cicero sæpius in philosophicis.

Ibid. *divinitus:* i. e. deorum potestate. Quasi dixerat: "Redacti scilicet ad incitas, auctores tanti miraculi deos inferunt: hæc autem res extra deorum, quos sibi fingunt, potestatem jacet."

Ver. 152. *continet:* i. e. "metus hic superstitiosus, nihil esse Divis impossibile, ita finibus angustis inclusos mortales tenet, ut non audeant expatiari, et veras rerum caussas investigare; formidabilium omnium confectionem patienter atque inconsulto divis attribuere contenti." Et est, nî fallor, ab *venatoriâ re* tralatio. Quid velim, satis aperiet Virgilius, Æn. xii. 749.

> *Inclusum* veluti si quando in flumine nactus
> Cervum, aut puniceæ *septum formidine* pennæ,
> Venator cursu, canis et latratibus, instat.

Conferas Nemes. cyneg. 303—309.

Ver. 153. *Quod:* Π. *Quom:* nec displicet.

Ver. 154. *caussas.* Audio Fabium instt. orat. i. 7. "Quid? quod Ciceronis temporibus, paullumque infra, fere quoties *s* litera media vocalium, vel subjecta longis esset, geminabatur? ut *caussa:* quo modo et ipsum, et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent."

Ver. 155. *divino numine:* i. e. nutu. Homerus, Il. Α. 528.

——— *κυανεῃσιν επ' οφρυσι* ΝΕΥΣΕ *Κρονιων:*

et Virgilius, Æn. vii. 592.

——— sævæ *nutu* Junonis eunt res.

Plura videas super hac voce ad ii. 632.

Ver. 156. Ad hunc locum magnæ cientur turbæ in codicibus. Versus 156, 157, 158, desunt in Π. duo priores in Vind. et verr. 157, 158, 159, in V. ed. B. Alius est ordo versuum in Ω. ad hunc modum: verr. 158, 159, 156, 157. Sed ex his discrepantiis nihil efficies ad meliorem loci constitutionem, quam quæ in vulgatis obtinet.

Ibid. *nihil.* Sic V. ed. B. Vind. vulgo *nil:* sed nobis statutum est semper *nihil*

Possunt; ac fieri divino numine rentur.
Quas ob res, ubi viderimus nihil posse creari
De nihilo, tum, quod sequimur, jam rectius inde
Perspiciemus; et unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant operâ sine divôm.
Nam, si de nihilo fierent, ex omnibus rebus

scribere; tam quod codices ita plerumque exhibeant, quam quod frequentissimum sit hoc facere comicis tragicisque, in quantum supersint, Romanorum; linguâ scilicet citatiore voces hujuscemodi veteres efferebant. Sic apud nostrum trisyllabæ sunt *vehementer*, ii. 1023. *mundi*, ibid. 990. nec uberrima non est similium exemplorum seges, legentibus passim obvia. Ad Lucanum, v. 421. vice *τυ comprendant*, plene scribitur, et emendatius, opinor, *comprehendant*, in vetusto codice, qui publicæ bibliothecæ est in Academiâ Cantabrigiensi, quem nos contulimus. Sed eruditis videbimur procul dubio morosiores et infructuose loquaces, si diutius huic rei immoremur: ergo missam faciamus saltem nunc jam.

Ver. 157. *quod sequimur.* Recte: *το ζητουμενον, το αποριμενον:* ut vi. 808.

——— argenti venas, aurique, *sequuntur.*

Bentleius.

Nam L. M. legunt, *sequitur.* Sic etiam Virgilius, Æn. i. 342.

——— summa *sequar* fastigia rerum:

et alii bene multi non raro.

Ver. 158. *et.* Libri plures, *ut:* frustra. P. sequentem versum omittit; et sane tuto desiderari poterat: in Σ. ita scribitur:

Et quo quæque modo fiant sine numine divôm:

numeris certe concinnioribus, sed haud dubie ad ver. 155. ex arbitrio librarii constitutis. In B. *ne* habemus pro *sine:* unde tentare possit aliquis,

Et quo quæque modo fiant; operâne *Deorum:*

sed assentientem habuerit cordatiorum neminem. *divinum*, pro *divôm*, Π.

Ver. 160. *fierent:* Π. *fient:* et in sequente versu, loco *nil*, Vind. V. ed. Σ. *nihil;* ut passim.

Porro, noster tantum non verbum verbo transtulit Epicuri dogma, prout extat in Laërtio, x. 38. *Πρωτον μεν, ὁτι ουδεν γινεται εκ του μη οντος· παν γαρ εκ παντος εγινετ' αν, σπερματων γε ουδεν προσδεομενον.* Unde liquidissime constat futilem esse variationem cod. M. dantis *ni*, pro *nil*, in ver. 161. et vana arguitur cogitatio Havercampi, distinctionem post *egeret* tollendam esse, ut sequentis versûs sensus hinc sumeret exordium: quod vix operæ pretium fuerit animum advertisse.

Ver. 162. *e terrâ:* Π. *et terrâ:* atque loco *posset*, Ω. *possit.*

Ibid. *mare:* recentiores, ut plurimum, dicebant *mari.* Priscianus, lib. vii. p. 759. "Vetustissimi solebant hujuscemodi nominum ablativum etiam in *e* proferre. "Varro, antiquitatum humanarum xii. "Ab Erythræo *mare* orti. Idem in Fundanio: In *mare* aquam frigidam oriri. "Atacinus quoque dicit:

"Cingitur oceano, Libyco *mare*, flumine Nilo."

Quibus et alia exempla subjiciuntur ex Plauto, Lucano, Ovidio, atque aliis, apud ipsum lectori, qui plura vult, petenda.

Ver. 163. Scripsit noster, aut ego fallor ut nusquam alias, ob invenuste toties repetitam eandem dictionem *genus:*

Squamigerum *pecus:*

vide ii. 343. et nos olim ad Virg. geo. iii. 243. Ausonius, Mosell. 135.

Nunc, *pecus æquoreum*, celebrabere, magne Silure:

et similiter epist. xxv. 19.—Porro, totam periodum, quæ nos diu multumque frustra habuit exercitos, punctis inconcinne dispositis misere affectam et tantum non

Omne genus nasci posset: nihil semine egeret.
E mare primum homines, e terrâ posset oriri
Squamigerum genus, et volucres: erumpere cœlo
Armenta; atque aliæ pecudes, genus omne, ferarum,
Incerto partu, culta ac deserta tenerent:
Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; ferre omnes omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia corpora quoique,

disperditam, nitori suo atque ordini, rationibus validissimis fulti, restituimus. Sic exhibet editio Havercampi:

> E mare primum homines, e terrâ posset oriri
> Squamigerum genus, et volucres; erumpere cœlo
> Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum—.

Ibid. *erumpere cœlo.* Sic absolute Maro, geo. iv. 78.

> Ergo, ubi ver nactæ sudum camposque patentis,
> *Erumpunt* portis.

Silius etiam Italicus, xii. 459.

> ——— angustis e faucibus æquor
> *Erumpit* scopulos inter:

et rursus vii. 355. qui versus meliore sunt distinctione excolendi:

> ——— gliscente malo, et quassantibus ægra
> Armentis capita adjutæ, pinguescere flammæ
> Cœpere, et, vincens fumos, erumpere vertex:

" flammæ utique adjutæ atque ventilatæ " armentis, capita sua undique jactanti- " bus." Conferas eundem ad Pun. ix. 614. In iis autem locis, ut in Lucretio, contra usitatissimam Cari consuetudinem, et voluntatem Gratiarum, pronomen *se* infelicissime vult infercire Heinsius. Videas utrobique Drakenborchium. Arnobius, fidissimus Lucretii imitator, lib. ii. p. 51. " Quid in Politico idem Plato? " Nonne—rursus *erupturos* homines tel- " luris e gremio scribit?" Ita Manilius, iv. 587.

> ——— Totidem venti de partibus iisdem
> *Erumpunt.*

Ver. 164. *aliæ pecudes ferarum* formula est orationis Lucretianæ, satis superque nobis ad ver. 475. et locos ibi notatos illustratæ, pro *pecudes*, vel greges, *aliarum ferarum*, tam mitium et herbis vescentium, quam ferocium atque carnivorarum; vide supra ver. 14. Et phrasim *genus omne* Lucretius similiter adhibuit ad iv. 739.

> *Omne genus* quoniam passim *simulacra* feruntur:

ubi videas quæ dixerim, et ii. 194. iii. 222. 267. v. 607. locos gemellos conferas.

Ver. 165. *tenerent.* Ita G. P. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. Nonnulli, *teneret*, contra auctoritatem librorum.

Ibid. *incerto partu:* i. e. " pecudes mi- " tiores ex feris nascerentur, loca deserta " celebrantibus; et vicissim feræ bubus " et ovibus, culta pascua tenentibus et " hominum amantibus societatem, progig- " nerentur." Auctoris scopo nihil apertius, et verborum ratione nihil evolutius; ut mirum sit Havercampum ac Preigerum de *pastu*, loco *partu*, cogitavisse; sic totam proprietatem argumenti perditum euntes.

Ver. 166. *Nec fructus iidem arboribus.* Mantuanus, geo. ii. 89. horumce versuum haud prorsus immemor:

> *Non eadem arboribus* pendet vindemia nostris—.

Ibid. *constare:* i. e. ordine uno atque imperturbato stare. Virgilius, Æn. iii. 518.

> ——— cuncta videt cœlo *constare* sereno:

i. e. propriâ in positurâ tranquille stare.

Ver. 167. *ferre omnes omnia possent.*

Quî posset mater rebus consistere certa?
At nunc, seminibus quia certis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest quoiusque, et corpora prima:
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus inest secreta facultas.
  Præterea, quur vere rosam, frumenta calore,
Viteis auctumno fundi suadente videmus;

Totam clausulam sibi sumpsit mutuam Virgilius, geo. ii. 109.

Nec vero terræ *ferre omnes omnia possunt.*

Ver. 168. *genitalia corpora:* i. e. corpora primordialia; semina rerum, ac materies: adi supra, ver. 51—57. ii. 61. adeo ut importunissimâ sit vanitate Gassendus supponere volens *semina*, pro *corpora*. Ovidius, met. xv. 239.

Quatuor æternus *genitalia corpora* mundus
Continet.

Hæc *corpora genitalia*, seu primordia, vocat Epicurus apud Diog. Laërt. x. 41. *ατομους σωματων φυσεις:* i. e. semina corporum insecabilia, his verbis usus: *ὥστε τας αρχας, ατομους αναγκαιον ειναι σωματων φυσεις.*

Ver. 169. *mater certa.* Maro, Æn. vi. 322.

Anchisâ generate, Deûm *certissima proles.*

Ver. 170. *quæque creantur.* Sic P. V. ed. B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. Alii, *quidque creatur.* Π. habet, *quidque oriantur.* Has autem varietates, quo melius occurrant tædio lectorum, cultissimi scriptores adamant. Xenophon, anab. i. p. 49. ed. Hutch. Ενταυθα ΕΜΕΙΝΑΝ *ἡμερας τρεις,* και ΕΠΙΣΙΤΙΣΑΤΟ *το στρατευμα.*

Ver. 171. M. *nascitur,* absorptâ, ut fit, literâ *e,* ob similem finalem præcedentis dictionis.—Et, de constructione loci, videas dicta ad ver. 16.

Ver. 174. *secreta:* i. e. separata, vel divisa: unde ratio petenda est variæ lectionis Havercampo memoratæ, *diversa* utique; quod mendosum est pro *divisa,* librarii cujusdam, vel lectoris, interpretamento, genuinæ dictioni *secreta* affixo. Noster iii. 264.

——————— nihil ut *secernier* unum
Possit, nec spatio fieri *divisa* potestas.

Ver. 175. *Præterea:* G. *Propterea.* Male: nam argumento novo munit rationes suas noster, a *tempestivitate* rerum ducto, super priore argumento *generibus* rerum nixo.

Ibid. *quur.* Priscianus, lib. i. p. 560. "Apud antiquos frequentissime loco *cu* "syllabæ, *quu* ponebatur;—ut *quum* "pro *cum, quur* pro *cur.*" Et est scilicet contractio *τε quare.*

Ibid. *vere rosam.* Virgilius, geo. iv. 134.

Primus *vere rosam* atque *auctumno* carpere poma.

Ibid. *frumenta calore.* Hinc ex ingenio vere emendaveram prius Claudianum, quam codices quosdam consentientes novissem, ad Rufin. i. 8. in pulcherrimis de providentiâ Dei versibus:

——————— qui lege moveri
Sidera, qui fruges *diviso* tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igni
Compleri, solemque suo:

diviso: i. e. sibi dispartito, proprioque. Editi, *diverso,* quo nihil auctoris scopo magis contrarium excogitari poterat, ne illud quidem Virgilianum, geo. iii. 149.

——————— *alienis* mensibus æstas:

qui ibid. ver. 116. emendationi nostræ commodam operam navabit:

Divisæ arboribus patriæ.

Ver. 176. *Vices aucumno* dat B. ex

Si non, certa suo quia tempore semina rerum
Quom confluxerunt, patefit quodcumque creatur,
Dum tempestates adsunt, et vivida tellus
Tuto res teneras ecfert in luminis oras?
Quod, si de nihilo fierent, subito exorerentur

errore, nî fallor, conferentis codicem, neque nimiam similitudinem literarum *t* et *c* in minoris scripturæ formis intento satis oculo lustrantis.

Ibid. *suadente.* Ita G. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. *suadere*, V. ed. *sudante* autem P. cum aliis, hebeti nimium atque inscitâ ratione. Nos dedimus, quæ si cum hac voce conferenda dixeris, idem mutes

Χρυσεια χαλκειων, ἑκατομβοι' ἐννεαβοιων:

longe magis poëtica, atque a vulgari pedestris orationis usu remotiora. *Suadente* vero, quasi blandis vocibus compellante, et commodissimam se effundentibus spondente tempestatem; ut Virgilius, geo. iii. 322.

—— *Zephyris* cum læta *vocantibus* æstas——.

Salmasium equidem cum festivo conatu, *sua dante*, longum valere jusserim; et Creechio nec judicium nec lepor contigerat, *sudante* probanti.

Porro, hinc exorsus, Dei prædicat omnipotentiam gravissimis versibus ac suavissimis Sedulius, quos si attulero, gratiam non minimam a lautis lectoribus inibo: pasch. carm. lib. 1.

Te duce difficilis non est via: subditur omnis
Imperiis natura tuis, rituque soluto
Transit in adversas, jussu dominante, figuras.
Si jubeas mediis segetes arere pruinis,
Messorem producet hyems; si currere mustum
Vernali sub sole velis, florentibus arvis
Sordidus impressas calcabit vinitor uvas;
Cunctaque divinis parebunt tempora dictis.

Pro *arere*, scribendum fortassis, *horrere;* spicis scilicet: et has voces aliquoties confundi discas ab Heinsio ad Ovid. met. iv. 777.

Ver. 177. *quia.* Sic P. et quatuor nostri; neque melius procedere poterat, quam ad hanc lectionem, argumenti cursus: G. tamen, V. ed. B. L. M. O. habent, *qui:* unde non incommode refingas locum, levissimas per mutationes, ad hanc normam:

Si non, certa suo *quoi* tempore semina rerum
Tum confluxerunt, patefit quodcumque creatur,
Dum tempestates adsunt—.

i. e. " si non id, quod creatur, cui sua se-" mina suo tempore tunc confluxere, non " se ostendat ob anni tempestatem, pecu-" liariter convenientem?"

Nec imperite tentat Havercampus:

Si non certa, suo*que in* tempore, semina rerum—.

Sed enodata magis sunt recepta, et vel his, vel meis, longe præferenda.

Ver. 179. *adsunt:* i. e. favent, opitulantur; ut probissimi Latinitatis auctores passim: unde pene inducor, ut medium ostendam digitum Bentleio graviter interminanti, et codicibus obtemperem, ad Horat. art. poët. 101. quum non facile corrumperent librarii vocem *adflent* in suis membranis scriptam, neque difficilem, neque ignotiore vultu:

Ut ridentibus adrident, ita flentibus *adsunt*,
Humani *vultus:*

i. e. præsto sunt, ad quamvis mutationem se paratos exhibent. Idem ibid. ver. 205.

Adspirare, et *adesse*, choris erat utilis—.

Sed judicio suo fruatur per me lector.

Ver. 180. *oras:* M. *horas*, usitatâ variatione: Bentleius maluit *auras* post Fabrum; ut *teneras auras* conjungerentur. Nobis neque arridet phrasis *auras luminis*, neque sinit novare in hoc loco, vel ambiguæ magis constructionis timor, vel imitatio Virgiliana, quam statim suo tempore lectoribus nostris proferemus.

Incerto spatio, atque alienis partibus anni:
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio possent arceri tempore iniquo.
Nec porro augendis rebus spatio foret usus
Seminis ad coitum, e nihilo si crescere possent.

Luminis oras bis reperitur in fragmentis Ennii; nec dubito, quin versus apud Philargyrium ad Virg. geo. iv. 59. sic legi debeat:

> Transnavit cita per *teneras* caliginis *oras:*

teneras, facile cedentes, quum terreni nihil obstaret. Conferas ver. 208. et vi. 763. Pœnitet me reliquisse *auras* ad Virg. geo. ii. 47.

Neque inobservatum habuit hunc locum et alibi Virgilius, ut Preigerus etiam monuit; ad geo. ii. 332. scilicet;

> Inque novos soles audent se gramina *tuto*
> Credere:

neque *τὸ novos soles* inscita est interpretatio Lucretianæ phraseos, quam tuemur, *luminis oras:* nam totum versum a nostro colorem suum duxisse satis liquet.

Ibid. *res teneras;* quum recenter sint natæ scilicet. Eodem pacto Virgilius de vernis fetibus, primulum exortis, geo. ii. 343.

> Nec *res* hunc *teneræ* possent perferre laborem.

Hinc suppetias feram egregio loco Avieni sub initio phænomenon Arateorum; sed indignis modis habito, et affecto nimium:

> Iste modum statuit signis; hic *rebus* honorem
> Infundit *teneris;* hicc' interlabitur æthræ
> Viscera, et æternos animat genitabilis artus:

i. e. renovat telluris fetus, et implet pulchritudinis, totius Naturæ anima et imperium. Nihil profecit Grotii conatus. Vulgo:

> ———————— hic rebus honorem
> Infundit, *tenebris* hic interlabitur æthræ
> Viscera, et æternos animat genitabilis artus.

Idem mox *viscera cœli* habet.

Ver. 181. *exorerentur:* Π. *exoririentur;* B. *exorierentur.*

Ver. 182. *alienis partibus anni.* Hinc haud dubie Virgilius, geo. ii. 159.

> Hic ver assiduum, atque *alienis mensibus* æstas.

Ver. 183. *quæ genitali Concilio:* Δ. *qua*, et Ω. *consilio.* Hæc enim Arnobius vero respexit, ii. p. 54. " Edunt per uteros fe-" tus, et *corporalibus conciliis procreant.*" Similiter supra noster, ver. 178. " cum " semina *confluxerunt;*" ad *concilium* utique. Maro, Æn. xi. 234.

> Ergo *concilium* magnum, primosque suorum,
> Imperio adcitos, alta intra limina cogit.
> Olli convenere, *fluunt*que ad regia plenis
> Tecta viis.

Ver. 184. *iniquo;* iis nempe augendis atque maturandis incommodo: ut, si *rosa* non *vere* proveniret, sed *calore*, ver. 175. statim marceret arefacta.

Ver. 186. Ut argumentum poëtæ recto talo stet, phrasis *ad coitum seminis* ita accipienda est, ut *ad* judicem, *ad* portam: i. e. *coram* concilio, *cum* concilium *confluxerit.* Quum vero hoc duriusculum videatur, neque alia via pateat, quâ te ex salebris constructionis facile expediveris, legi malim, per mutationem minimam:

> Seminis *ab coitu* ——.

Hoc enim dicit: " Si de nihilo res fierent, " non tantummodo cogerentur ad conci-" lium temporibus minime idoneis semi-" na; verum, sic coacta ad genitalem cœ-" tum, non paullatim crescerent (ver. " 190), sed impetu subito vividoque suam " attingerent maturitatem."

Cæterum, *e* abest a Π. et, in versu sequente, loco *fierent*, legitur *fuerant* in Maximo Victorino de ratione metrorum, sub initio.

Ver. 188. *E* non agnoscit Σ; et, pro *salirent*, Π. *silerent.*

Ibid. *arbusta salirent.* Exquisitiorem

Nam fierent juvenes subito ex infantibus parvis,
E terrâque, exorta repente, arbusta salirent:
Quorum nihil fieri manifestum est, omnia quando
Paullatim crescunt, ut par est, semine certo;
Crescentesque genus servant: ut noscere possis
Quidque suâ de materiâ grandescere, alique.

videtur elegantiam sectatus poëta doctissimus, ex etymologiâ reconditâ petitam. Hesychius: Αλσεα· τοποι κατάδενδροι, προς ΑΛΣΙΝ των φυτων οντες επιτηδειοι: i. e. ubi solum *exsilientibus* arbustis favet: nam præstet fortassis ita doctius interpretari grammaticas explicationes, quas compilaverit lexicographus, nec tamen intellexerit. Hinc extra controversiam arcessi debet τυ *saltus* etymon, de quâ voce, ut aliis infinitis, mihi strenue nugari videntur cum Varrone Festus. *Saltus* nempe a *salio*, ἁλλω, πηδω: *s* literâ in locum veniente densi spiritûs; ut in ἑξ, *sex;* ἑπτα, *septem;* ἁλς, *sal;* ὑς, *sus;* ἁδιω, *suadeo;* ὑπερ, *super;* ὑλη, *silva.* Servius, ad Virg. ecl. i. 55. hæc protulit: "*Salicti:* virgulti genus, dictum eo quod *salit*, et surgit cito." Tzetzes non diversum abit ad Lycoph. 314. Αλσος, παρα το 'ΑΛΛΕΣΘΑΙ και αυξεσθαι τα φυτα. Eleganter Nonnus, Dionys. xxxv. sub finem:

'ΑΛΜΑΤΙ ΒΟΤΡΥΟΕΝΤΙ βιαζομενυ Λυκοεργυ:

nisi verum sit ἁμματι, *nexu.* Hinc autem censeam corrigendum esse Flavium Vopiscum in Aureliano, sect. 5. "Multa superflua in eodem legisse memini: quippe qui asseverat etiam *rosas* in ejusdem mulieris chorte, nato Aureliano, *exilisse* purpureas:" nam de *subitaneo* loquitur effectu. Vulgo legitur, *exiisse.* Neque aliud equidem edixerim de loco Cæsaris, bell. civ. iii. 105. "Item Trallibus in templo Victoriæ, ubi Cæsaris statuam consecraverant, *palma* per eos dies in tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento *exsilisse* ostendebatur." Libri, *exstitisse.* Consulas Davisium ad Hirtii bell. Af. 7. ubi pariter ex ingenio reposueram *exsiliunt*, pro *exsistunt* vulgato; et addicit codex. Sic Venantius Fortunatus in elegiâ:

Semine deposito, lactans *seges exsilit* arvis.

Etiam Columella, x. 246.

Et *bacca asparagi* spinosâ *prosilit* herbâ.

Plinius similiter, nat. hist. xii. 11. "Superiores ejusdem *rami* in excelsum *emicant:*" uti nos, *Shoot up.* Idem, ibid. xix. 42. "Viret *thyrso* primum *emicante.*" Vide nostram Silv. Crit. i. p. 121. Adsint venusti versus Petronii, ut legantur emendatiores, cap. 127.

Emicuere rosæ, violæque, et molle cyperon;
*Acta*que de viridi riserunt lilia prato.

Vulgo scribitur, *alba*, vix integrâ constructione. Verum est *acta:* i. e. extrusa—emissa—sublata. Dabis manus huic emendationi, cum te receperis ad Virg. geo. ii. 335, 364. Æn. xi. 136. Columell. v. 10. 10. Grat. cyn. 326. Sen. Œdip. 281. ne alio te mittam. His agmen claudat Arnobius, lib. v. p. 164.—"quum vis illa telluris cooperta est gremio, solum radice complexa est, in stipitis *exsilivit* robur—."

Ver. 191. *Crescentes:* res utique, nominativo ulterius repetito ex ver. 185. Ita scriptum exhibent Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Aliter solet legi, *Crescendo.* De his autem nominativi anomaliis nonnulla dedit Perizonius ad Sanctii Minervam, i. 18.

Ver. 192. *Quidque:* sic G. L. M. cæteri, *Quæque:* et, pro *alique*, Π. *aliquando;* ut in priore versu V. ed. *posset*, loco *possis.*

Ibid. *grandescere.* Vocem adhibuit

Huc accedit, uti sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fetus submittere tellus;
Nec porro, secreta cibo, natura animantum
Propagare genus possit, vitamque tueri:
Ut potius multis communia corpora rebus
Multa putes esse, ut verbis elementa videmus,

Cicero apud Plinium, nat. hist. xviii. 61. e libris de div. i. 9.

> Jam vero semper viridis, semperque gravata,
> Lentiscus triplici solita est *grandescere* fetu.

Ipse Plinius, ibid. ix. 54. "Si tempestive satientur, *grandescere* et *partus*." Columella, ii. 20. "Ut potius in areâ, et in acervo, quam in agro *grandescant* frumenta:" qui habet etiam plus semel *ingrandescere*, ut Accius *pergrandescere* apud Nonium.

Ver. 194. *lætificos fetus:* ut *lætas segetes*, Virg. geo. i. 1. Apuleius, met. vi. init. "Per ego te *frugiferam* tuam dextram istam deprecor, per *lætificas messium* cæremonias." Exstat etiam vox in Ennii reliquiis apud Ausonium. Et *fetus* ita scribimus, non per *æ* duplicem literam: vide A. Gellium, xvi. 12. fin. Cæterum, digni sunt, qui lectoribus proponantur integri, non intempestivi versus ex Sedulii pasch. carm. lib. 1. ver. 37.

> ——— sed amœna vireta
> Florentum semper nemorum, sedesque beatas,
> Per latices intrate pios: ubi semina vitæ
> Divinis animantur aquis, et fonte superno
> *Lætificata seges* spinis mundatur ademptis.

Sed legerim, *germina vitæ;* quæ scilicet in viretis nemorum florent, modo memoratis: ut idem etiam de *segete*, lib. v. ver. 150.

> —— redundantem cumulato *germine* messem.

Ver. 195. *secreta cibo:* i. e. separata a cibo, vel privata cibo. Simili regimine dictionis feliciter usus est Ausonius, Mosell. 180.

> ——— quum præbuit horas,
> *Secretas* hominum *cœtu*, flagrantior æstus.

Ver. 196. *Propagare genus:* i. e. genus juge longe mittere, interpretante Nonio. Silius, Pun. ii. 52.

> ——— populis, seclisque, *propaget*
> Regna ferox.

Ibid. *vitamque tueri:* i. e. a fame atque aliis infortuniis, quibuscum mortalitas luctari solet, *defendere*. Ovidius, trist. iv. i. 69.

> Quam miserum portâ *vitam*, muroque, *tueri!*

Et ibid. v. 9. 13.

> Ille dedit *vitam;* tu, quam dedit ille, *tueris*.

Ver. 197. Id est, "Satis liquet suam subesse unicuique rei materiem, propria primordia, unde exoriantur et augmen sumant: quum vero res easdem videantur ea suppeditare, ex quibus multa animalia grandescant, non absurde putes etiam *multa* esse rerum nonnullarum communia *principia:* tantum abest scilicet ut *nulla* sint *principia*, et e *nihilo* omnia proveniant!"

Ver. 198. *elementa:* i. e. verborum semina; vide ad ver. 82. nempe literas. Horatius, sat. i. 1. 25.

> ——— ut pueris olim dant crustula blandi
> Doctores, *elementa* velint ut discere prima.

Ver. 200. *parare:* "κατασκευάζειν, efficere;" docte et apposite Lambinus; mihi tamen persuasio insedit, antiquiorem Romanæ linguæ formulam, librariis, pro captu suo nova et vulgatiora callentibus, obrutam sublatere. Scripsit nimirum Lucretius, cum unius literulæ discrepantiâ:

> Denique, quur homines tantos natura *parire*
> Non potuit?

Pomponius apud Nonium:

> Si prægnans non es, *paribis* numquam.

Diomedes grammaticus, lib. i. p. 378. "Pario, cum ex hoc dicamus infinitivum

Quam sine principiis ullam rem exsistere posse.
Denique, quur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus quei pontum per vada possent
Transire, et magnos manibus divellere monteîs,
Multaque vivendo vitalia vincere secla;
Si non, materies quia rebus reddita certa est
Gignundis, e quâ constat quid possit oriri?

"*parere*, apud veteres *parire* dictum re-
"perimus; ut apud Ennium:

"Ova *parire* solet genus pennis condecoratum."

Noster ipse similiter locutus est etiam in v. 235.

Tellus ipsa *parit*, *natura*que dædala rerum.

Ver. 201. Commode satis Lambinus: "Qualis fingitur Polyphemus a Virgilio, Æn. iii. 665.

——— "graditurque per æquor
"Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit."

Ver. 202. *manibus divellere.* Idem Maro, Æn. ii. 220.

Ille simul *manibus* tendit *divellere* nodos.

Et credibile est Lucretium præcipue attingere Xerxis facinora; qui, giganteâ quâdam permotus immanitate, montes discidit, et itinere pedestri transivit maria.

Ver. 203. *vivendo vincere.* Hanc quoque locutionem transtulit Virgilius in Æneïda, xi. 160.

Contra ego *vivendo vici* mea fata.

Ibid. *vitalia secla:* qualia nempe vivunt communis plebes hominum: *virûm secula* vocavit Mantuanus, in loco hinc expresso, neque Preigerum latente, geo. ii. 295.

——— inmota manet, multosque nepotes,
Multa *virûm* volvens durando *secula*, vincit:

ubi permutationem habes maxime Lucretianam, *volvens secula*, vice *volventia secula*; vide nos ad ver. 475. hujusce libri: nam hic est ordo verborum: "Vincitque "multos nepotes, volvens, dum durat, "*per* multa secula virorum."

Ibid. *secla:* i. e. portiones quasdam temporis in partes *secti;* unde scribendum videtur vocabulum per *e* simplicem; nam etyma Varronis et Isidori, a *senibus* et a *sequendo* petentium, pro ineptissimis habere nullus dubitem.

Ver. 204. *quia:* V. ed. *quæ;* M. *qua.* Π. vocibus transpositis, *rebus quia:* et Δ. omittit *est.*

Ibid. *reddita:* i. e. simpliciter data, attributa; ut noster multoties, et prior Ennius, ann. viii.

Ingenti vadit cursu, quâ *redditus* termo est:

et postea, cum multis aliis, Virgilius, Æn. v. 347.

——— si primi Salio *redduntur* honores.

"Reddere, dare:" Nonius, laudans item Plaut. Aulul. i. 1. 6.

Sic etiam *referre*, pro *ferre*, auctor eleg. in Mæcen. obitum, ver. 90.

Atque aquilam misisse suam, quæ quæreret, ecquis
Possit amaturo vina *referre* Jovi.

Ver. 205. *Gignundis:* B. *Signandis;* unde nihil exsculpo.

Ver. 206. *nihilo:* sic V. ed. B. Δ. Π. Σ. Vind. qui et *nihil* dat. Vulgo editur, *nilo.* Alibi diximus. Pro *de*, habet Π. *e.*

Ver. 207. *quando:* Ω. *quin.*—*Quæque:* V. ed. *quæ.*
Cæterum, crediderim suum morem hic etiam Lucretio servatum esse, et scripsisse illum:

Semina quando opus est rebus—:

quod agnoscent, qui diligenter evolverint hos libros: neque obstat hilum *quo:* i. e. quo modo; ne huic offendant inscitiores.

Ver. 208. *possent;* nempe in ævo omni præterito, ut nunc etiam proferuntur. Sic

Nihil igitur fieri de nihilo posse fatendum est;
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aëris in teneras possent proferrier auras.
  Postremo, quoniam incultis præstare videmus
Culta loca, et manibus meliores reddere fetus,
Esse videlicet in terris primordia rerum;
Quæ nos, fecundas vortentes vomere glebas,

exhibent G. V. ed. L. M. Π. Σ. Ω. cæteri, *possint*: et B. *proferre*.

Ibid. *teneras auras aëris*, ut *aëra tenerum*, ii. 145. i. e. mollem, facile cedentem. Nostrum sequitur Prudentius, hamart. 91.

Libera ne *tenerum* penetret meditatio *cœlum*:

et psychom. 121. pulchro loco:

——— stridens sequitur convicia pinus,
Per *teneros* crispata *notos*:

ubi nihil vidit nuperus editor Romanus. Prior Virgilius, Æn. ix. 699.

——————— volat Itala cornus
Aëra per *tenerum*:

ubi ex Heinsio, qui omnino consulendus, demetas exemplorum segetem. Avienus, Arat. 9.

——————————— hic *tener aër*,
Materiæque gravis concretio.

Ver. 210. *fetus*: G. *feti*: et, pro *reddere*, volebat Gifanius *reddier*; quam barbare! Inficetus est omnino, me judice, qui receptam lectionem velit extrudere; si quis tamen hoc morbo tentetur, ei commendem Bentleianam divinationem:

————— et manibus meliores *edere* fetus:

ut ipse Lucretius, ii. 617.

Vivam *progeniem* qui in oras luminis *edant*:

cum Marone, geo. iv. 199.

——————— aut *fetus* nixibus *edunt*.

Sed manus sunt a sanissimo loco abstinendæ.—Porro, locutioni *manibus reddere*, convenientissime committetur Mantuani vatis germanissima, Æn. ix. 704.

——— neque enim *jaculo* vitam ille *dedisset*.

Ver. 211. *in terris*: ponit post *rerum* Π.—*in teneris*, B.

Ibid. *esse videlicet*. Plenum fuerat, "Videre licet esse." Terentius, Heaut. iv. 8. 16.

————————— id amicæ dabitur. Ch. *Scilicet Daturum*:

i. e. scire licet, ut noster ii. 468. Videas ibi Westerhovium.

Quid autem? Jacet in corruptelâ Lucretii versiculus, neque de nihilo est τὸ *teneris* Bodleiano codice exhiberi. Me sponsore rescriptum velim:

Esse videlicet in *tenebris* primordia rerum.

Hinc est, quod statim dicat poëta, *cimus ad ortus*; diei nempe et lucis, e caligine profundâ soli. Maro, Æn. vi. 267.

——— res *altâ terrâ* et *caligine* mersas.

Redeas ad ver. 180. ubi de *terræ fetu* loquitur gemellâ phrasi, in oras *luminis veniente*. Conferas Claudian. in Prob. et Olyb. cons. 43. cum Horat. od. ii. 2. 2. Statim sequitur *terraï*, minus venuste, si stetur receptæ lectioni.

Ver. 212. *vortentes vomere glebas*. Maro, geo. iii. 525.

————————— quid *vomere* terras
Invertisse gravis?

Ubi quovis pignore contenderim veram scripturam a Virgilii manu fuisse *glebas*, longe longeque pulchriorem; et *terras* ex interpretatione marginali se in contextum insinuasse. Vide modo inconcinnitatem repetitionis, a castissimi poëtæ poëmate limatissimo maxime alienam:

Ad *terramque* fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta juvant? Quid vomere *terras*—?

Ver. 213. *subigentes*: B. *subingentes*. —*cimus*: L. M. *scimus*; *s*, ut sæpissime,

Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus.
Quod, si nulla forent, nostro sine quæque labore,
Sponte suâ, multo fieri meliora videres.
  Huc adcedit, uti quidque in sua corpora rursum
Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res.
  Nam, si quid mortale e cunctis partibus esset,
Ex oculis res quæque repente erepta periret;

adhærescente ob dictionem præcedentem. —*ad:* Π. *et.*

Ibid. *Terraï solum.* Festus: "Solum, "terram. Ennius:

"Sed *sola terrarum* post quam permensa parum-"per."

Neque alienus est Virgilius, Æn. x. 102.

Et tremefacta *solo tellus.*

Aut Sedulius, carm. pasch. lib. ii.

Terrarum non omne *solum.*

Ibid. *solum subigentes.* Maro, geo. i. 125.

Ante Jovem nulli *subigebant arva* coloni.

Arnobius, lib. ii. p. 71. "cum sanguinem "totum in *subigendâ tellure* fudissent." *Subigo* autem est, *eruo:* vide ver. 8. Marius Victor, in gen. iii. 65.

Arva pater, natique simul, queis firmius ævum,
Mox *subigunt rastris*, et semine rura maritant.

Ibid. *cimus.* Hæc forma verbi apud Columellam legitur, vi. 5. 1. "nam ea "res aut *cit* alvum, aut movet febrem." Anthologia Latina Burmanni, i. p. 496.

Inde lego, Phœbumque *cio*, Musamque lacesso:

ubi consulendus est editor. Vox in compositis passim frequentatur.

Ibid. *ortus.* Ut noster de *frugibus*, de *pinubus* similiter Maro, Æn. ix. 92.

——— prosit nostris in montibus *ortas:*

et Ovidius de *flore*, met. x. 212.

——— Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur.

Ver. 215. *meliora:* quum Naturæ sit mortali ingenio immane quantum solertius artificium.

Ver. 216. *quidque:* L. M. *quicquid;* P. V. ed. B. O. Π. Ω. *quæque*, ambiguo proxime. Et cum hoc versu novum orditur argumentum poëta, verissime docens res omnes non ad nihilum redire, uti neque a nihilo provenirent.

Ver. 218. *e cunctis:* B. *est e cunctis;* L. M. *cunctis;* Π. *cunctis e.* Sublatere videtur corruptela, cui medendæ par egomet non sum. Probus exoreretur versus, si liceret liberiorem manum admovere:

Si mortalis *enim* cunctis e partibus esset:

quæ tamen, si varietates codicum expenderis, non omnino probabilitatis indigent. Præterea, voces ipsas Epicuri repræsentat noster, prout a Diogene Laërtio accepimus, x. 39. *Και, ει εφθειρετο δε το αφανιζομενον εις το μη ον, παντα αν απολωλει τα πραγματα, ουκ οντων των εις ἁ διελυετο.* Forte, *διελελυτο.* Pythagoras apud Ovidium, met. xv. 165.

Omnia mutantur, nihil interit.

Ver. 219. *Ex oculis repente erepta.* Sic Mantuanus, verbis tamen aliquantulum immutatis, Æn. i. 88.

Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque,
Teucrorum *ex oculis:*

ubi nihil tentandum nobis ex varietate codicum.

Ibid. *repente:* i. e. "eodem horæ mo-"mento, quo cessarent *videri* res, cessa-"rent *esse.*" Non accurate tenuerunt interpretes orationis vim et argumenti scopum.

Ver. 220. *partibus Discidium.* Arnobius, lib. v. p. 158. "Cum *discidio par-"tium* sanguis fluit immensus."

Ver. 221. *nexus exsolvere.* Virgilius, geo. iii. 423.

Nullâ vi foret usus enim, quæ partibus ejus
Discidium parere, et nexus exsolvere, posset.
Quod nunc, æterno quia constant semine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, dissoluatque,
Nullius exitium patitur Natura videri.
Præterea, quæquomque vetustate amovet ætas,

Cum medii *nexus*, extremæque agmina caudæ,
Solvuntur.

Ver. 222. *Quod:* sic P. B. L. M. Π. (qui etiam legit, nec male, *constat*); V. ed. *Quid;* cæteri *At*, probante Creechio, ut quibusdam aliis. Sed inscite, judice etiam Bentleio: usitatissima est enim hæc sermonis formula utriusque linguæ scriptoribus, et Lucretio post neminem, cui multis in locis per operis decursum sedulo restituimus: vide statim ver. 235. et annotationes nostras in Soph. Trachin. 137. Diodorus Siculus, xiii. 18.——*ὁ πυρ, ει μη προσεκρουσθησαν, ασφαλως αν εχωρισθησαν:* ubi Wesselingius, hujusce locutionis non satis memor, infelicius administravit rem. Cæterum, Munckerus monuit ad Hygin. fab. xxxiv. cujus nota omnino inspicienda est, similem usu pronomini *hoc* contingere, et *id:* quum vero locus, ad prioris cogitationis confirmationem adductus, alienior videri possit, ita fortasse mythographus ille castigandus est: "Nessus, "Ixionis et Nubis filius, Centaurus, ro"gatus ab Deïanirâ, ut se flumen Eu"henum transferret, *jam* sublatam in "flumine ipso violare voluit. *Heic* Her"cules, cum intervenisset, et Deïanira "cum fidem ejus implorasset, Nessum "sagittis confixit." Libri dant *quam* et *hoc*.

Ver. 223. *obiit:* P. *obeat.*—*diverberet:* B. Π. *diverberat*.

Ibid. *vis obiit:* i. e. obvenit, incurrit, occupavit. Ovidius, met. xi. 418.

——— buxoque simillimus, ora
Pallor *obit*.

Nos; "Till violence *comes across it*."

Ibid. *diverberet:* i. e. dissecet, disjungat. Maro, Æn. vi. 294.

Inruat, et frustra ferro *diverberet* umbras.

Ver. 225. *Nullius:* Vind. *nullus.*—*exitium:* Σ. *exitum*.

Ibid. *exitium videri*. Verbis pensitatis usus est: nam, diruptis vi corporibus, et per inania penetratis, non insequitur *exitium* proprie sic dictum (quod toti doctrinæ Epicureorum adversaretur, et omnem pessum daret argumentationem loci), sed dissolutio partium tantummodo, et in aliam quamvis speciem conversio, quæ oculis tenus verum possit *exitium videri*.

Ver. 226. *amovet:* Σ. *abmovet:* et placet scripturæ ratio, quum prior sit *ab*, ex *απο*, *τῳ a*, usuique vetustiorum accommodatior.—Et *amovet*, ex oculis scilicet; formâ, quam habuerint, obliteratâ.

Ver. 227. *consumens ætas vetustate:* ut Virgilius, ecl. x. 43.

——— hic ipso tecum *consumerer ævo*.

Ver. 228. *animale genus:* quod vocaverat in operis limine, ver. 4. *genus omne animantum*.

Ibid. *generatim:* i. e. suo quodque genere. Maro, geo. ii. 35.

——— proprios *generatim* discite cultus.

"Per singula genera," Servius: vide supra, ver. 21.

Ibid. *in lumina vitæ Reducit:* a morte scilicet; ut Virgilius, Æn. iv. 375.

——— socios *a morte reduxi*.

Ver. 229. *et:* sic G. P. L. M. Π. Σ. alii, *aut*. Et in his vocibus non exhibent *d* geminatam G. L. M. B. Π. Σ. de quâ re jam diximus ad ver. 64.

Si penitus perimit consumens materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Reducit Venus; et reductum dædala tellus

Ver. 230. Punctum Bentleius τῳ *generatim* postponendum jubet, sed omnino male: hoc enim dicit poëta: "Unde animalia, suo quodque genere, in lucem "reducuntur; et pabulis, cuique generi "convenientibus, sustentantur?" Conferas ver. 165.

Ver. 231. *ingenuei*. Sic soli castissimâ orthographiâ B. L. M. *ingenii*, V. ed. *ingeniti*, P. de quâ lectione sic Bentleius: "Quidam codices *ingeniti*. Optime. "Unde mare, inquit, *sui* fontes et flu- "mina externa suppeditant et integrant? "Vide ver. 1031. ii. 591. vi. 613." Hactenus vir acutissimus; omnino infeliciter, neque præ libris integerrimis audiendus editori cauto; qualem ab immutatione textûs facile deterruerit vel unicum Ausonii testimonium, in Mosell. 65.

Utque sub *ingenuis* agitatæ *fontibus* herbæ
Vibrantes patiuntur aquas.

Suffragetur etiam Prudentius, cathem. iii. 51.

Fundit *opes* ager *ingenuas*,
Dives aristiferæ segetis:

i. e. puras, simplices, nativas; non *arte* quæsitas, et labore; vel, ut cum Virgilio loquar,

——— quas ipsa volentia rura
Sponte tulere suâ.

Similiter Boëtius, lib. iii. met. 1. init.

Qui serere *ingenuum* volet *agrum*,
Liberat arva prius fruticibus.

Neque abludit lepidus Juvenalis locus, qui neque Pium latuit, sat. iii. 20.

In vallem Egeriæ descendimus, et speluncas
Dissimiles veris: quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine cluderet undas
Herba, nec *ingenuum* violarent marmora *tophum*?

Grangæus pro *præstantius* conjectat *præsentius*; quod probem equidem, cæteris, uti nunc leguntur, stantibus: sed loci color mihi aliter persuadet veri esse similes divinationes nostras:

——— quanto præstantius *isset*
Flumen aquæ:

i. e. purius suaviusque. *Ingenuum* vero *tophum*, αυτοφυη, neque lapicidarum artificiis solicitatum, atque expolitum; scabrum denique, ad interpretationem Sidonii Apollinaris, v. 26.

——— *scabri* fusus sub pumice *tophi*.

Confer his nostram Silv. Crit. v. p. 158. cum Drakenborchio ad Liv. iv. 30. Ergo, *fontes ingenui* sunt integri et sinceri fontes; meræ scaturigines ipsius terræ; non turbatæ, non commixtæ. Nobis videtur nimis argutum το *ingeniti*. Cæterum, qui Lucretio est *fons ingenuus*, incertus auctor Copæ vocat *virgineum*, ver. 15.

Et quæ *virgineo* libata Acheloïs ab *amne*
Lilia vimineis adtulit in calathis.

Immerito suspectas habuit has voces Heinsius, sed probante Burmanno ad Anth. Lat. i. p. 714. Quid enim magis proprium dici posset epithetum *Nympharum*? Clemens Alexandrinus, strom. i. p. 321. γην παρθενιαν memorat: sed maxime appositus est Æschylus in Pers. 615. ubi cassæ constructioni per emendationem facilem subveniendum est:

Της τ' ανθεμουργου σταγμα, παμφαες μελι,
Λιβασιν υδρηλαις ΠΑΡΘΕΝΟΥ ΠΗΓΗΣ ΜΙΓΑ.

Vulgo, μετα. Homerus, Il. Θ. 437.

Μιγδ' αλλοισι θεοισι.

Orpheus etiam, Argon. 338.

Λασιτριχες τ' ανεμοις, Αυραις ΜΙΓΑ χρυσοταρσοις:

ut idem alibi plus semel. Ille Burmannus subdubitat de phrasi *libata amne*, per se nimirum minime ambigendâ; de quo tibi fuerit locupletissimus testis poëta noster, ad v. 261. ubi de *rodentibus* fluminibus erat locutus:

Ergo terra tibi *libatur* et aucta recrescit.

Quum vero nullum efficiat laudabilem sensum in hoc loco, quem tractamus, ista dictio, legendum aio:

——— virgineo libata Acheloïs ab *ungue*
Lilia.

Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare, ingenuei funtes, æternaque longe
Flumina, subpeditant? unde æther sidera pascit?

Sic de *liliis* iisdem Propertius, i. 20. 39.

——— decerpens tenero pueriliter *ungui:*

ut prior Catullus de *flore*, lx. 43. quem Propertius sectatur:

———— *tenui carptus* defloruit *ungui:*

Jam vero passim idem valent *carpere* et *libare*; unde explicatur Ennii versus laudatissimus, cujus tamen rationes perspexit nemo:

Flos delibatus populi, Suadæque medulla:

i. e. " quem si seligas e populo, idem " feceris, ac si carpas floris gemmulam." Pindarus, Ol. i. 20.

———— *δρεπων μεν*
Κορυφας αρεταν απο πασαν.

Porro, Lucretii fontes *ingenuos* Cato in Diris, cultissimo poëmate, *castos* nominat, ver. 90.

Dulcia rura, valete! et, Lydia, dulcior illis!
Et *casti fontes*, et, felix nomen, agelli!
Tardius ah! miseræ, descendite monte, capellæ!
Collis non iterum carpetis pabula *noti*.

Sic haud dubie legendum: conferas verr. 87, 88. Vulgo, *mollia nota*. Apud Statium, silv. ii. 1. 44.

*Ingenui*que super *crines*.

sunt crines non adulterini, et nitore naturali, non fucato, commendati. Tacent interpretes. Adi porro nostram Silv. Crit. v. p. 158.

Denique, ut Ω. codicis scriptor, distinxi ad *mare;* ex quo pendet utique vera loci interpretatio. Ait noster: " Unde mare, " unde fontes, unde flumina suppetunt, " et sufficiuntur?"—Nam id doctrinæ, " fontes et flumina ab oceano derivari," prorsus incommodum est huic loco, et contrarium. Vide mox, ver. 540. de voce *suppeditet;* uti sæpe Tacitus, et alii loquuntur. Et jam video Lambinum inivisse rectam viam, sed neminem sequi voluisse, quod pertinet ad vocabuli *suppeditant* interpretationem.

Ibid. *æterna*. Hæc lectio, quantivis sane pretii, codici Σ. debetur: nempe *αειναοι ποταμοι*, ut Hesiodus, opp. et dd. 735.

———— *αεναων ποταμων καλλιρροον ὑδωρ:*

ut ibidem, ver. 548.

———— *ποταμων απο αεναοντων.*

Ennius, apud Macrob. vi. 2.

Constitere *amnes perennes.*

Et verbis impendio signatis usus est Lucretius: *æterna longe:* i. e. " flumina, " quæ per tantum spatium decurrunt, et " indefesso pede!" De confusis vero vocibus *æternus* et *externus*, vide Burm. anth. Lat. i. pp. 232, 448. et Drakenborch. ad Liv. i. p. 670. iis collata, ad ver. 286. His autem commodissimus superveniet Silius, iv. 692.

Miratur pater *æternos* cessare repente
Eridanus cursus:

Ovidius etiam, amor. iii. 6. 20.

Tu potius, ripis effuse capacibus, *amnis*,
Sic *æternus* eas! labere fine tuo.

Et Avienus, Arat. phæn. 49.

———— velut amnis,
Quem festina citis urget Natura fluentis,
Lapsu continuo:

cum Rutilio, itiner. 109.

Nempe tibi subitus calidarum *gurges aquarum*
Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.
Si foret *æternus*, casum fortasse putarem:

ubi plura Burmannus.—Et considerandum est, an aliud sonet *ingeniti* supra, præter *non aliunde deducti*, per canales scilicet; adeoque poëtæ menti parum conveniat. Idem Rutilius, ver. 104.

Totaque *nativo* mœnia *fonte* sonant:

i. e. ibi nato, ingenito; ut etiam Propertius, iv. 4. 4.—De scripturâ vero *funtes*, vide ad ver. 119.

Ver. 232. *æther:* i. e. ignium thesaurus et habitaculum. Ovidius, met. i. 26.

Ignea convexi *vis*, et sine pondere, cœli
Emicuit, *summâque* locum sibi legit in *arce*.

Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumpse ante acta, diesque.
Quod, si in eo spatio atque ante actâ ætate fuere,
E quibus hæc rerum consistit summa refecta;
Inmortali sunt naturâ prædita certe:

Vide nostrum v. 499. quam opinionem, ut quæ pervagatior sit, atque omnium fere philosophorum, non dubitavit in hoc loco præsumpsisse.

Ibid. *æther sidera pascit.* Virgilius, Æn. i. 608. ita certissime castigandus, ut daturus sum; et sancte jurare possim, me in hanc emendationem proprio marte pervenisse, quum prior Heinsius attigerit:

In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustra dabunt, convexa *polus* dum sidera *pascet*.

Per similem prorsus corruptelam meliores libri dant *nudabant*, pro *nuda dabant*, ad Lucret. v. 969. Quod autem objicit Heynius de *convexa*, sane leviculum est, et facile poëtæ concedendum, ut mille alia non alio colore commutatæ locutionis. Cæterum, fons clausulæ, quam illustramus, est Callimachus, hym. Del. 175. ut alii quoque dudum observavere:

——————— *η ισαριθμοι*
Τειρεσιν, ἡνικα πλειστα κατ' ηερα βουκολεονται:

i. e. *βουκολεονται*, *pascuntur errabundi.*

Ver. 234. *consumpse:* V. ed. B. Π. Σ. *consumpsisse.* Hujuscemodi vero contractiones, etiam apud illorum poëtarum scripta, manibus puerorum frequentissime volutata, passim legentibus ingeruntur: vide Drakenborchium, ad Sil. It. xvi. 84. Singulare tamen exemplum, prætermissum editoribus, non pigebit attulisse ex Officiis Ciceronis, ut locus iste tragici nescio cujus emendatior evadat. Exstat in iii. 26.

Quod, ni Palamedis perspicax prudentia
Istius *percepset* malitiosam *astutiam*,
Fide sacratæ jus perpetuo falleret.

Vulgo, *audaciam*, quod alienum prorsus est: vocem vero *malitiosus* cum *astutus*—versutus—*fallax*, et similibus, centies Cicero copulavit.

Quid autem prohibet ad Silium etiam restituendum eandem occasionem arripere? Pun. viii. 109.

—— nec *abscessem* thalamo, ni, magna minatus,
Meque suâ ratibus dextrâ imposuisset, et alto
Egisset rapidis classem Cyllenius *auris*.

Euris habent omnes libri; sed ne latum quidem unguem moris est Silio a Marone decedere, qui sic de eodem vento, Æn. v. 2.

——— fluctusque atros *Aquilone* secabat.

Et de hac emendatione non relinquetur dubitandi locus, cum Ovidius accesserit, met. iii. 209.

Inde ruunt alii *rapidâ* velocius *aurâ*.

Ibid. *ætas diesque:* *εν δια δυοιν*, pro more usitatissimo poëtis. Rectum nostro placuit ad ver. 558. hujusce libri:

——————— longa *diei*
Infinita *ætas:*

cujus exemplum prior Ennius exhibuerat, quod legitur apud A. Gellium, ix. 14.

Postremæ longinqua *dies* confecerit *ætas:*

ubi *dies* stat *αρχαϊκως*, pro *diei.* Non multum abludit Virgilii formula, ad Æn. ix. 447.

Nulla *dies* umquam memori vos eximet *ævo.*

Haud accesserim igitur Bentleio dicenti, Lege

Infinitæ ætas consumpse anteacta *diei:*

nam poëtæ non ad morosiores pedestris orationis consecutiones violenter exigendi: sin aliter, mox marcuerint utriusque linguæ bellissimi lepores.

Ver. 237. Ita luculenter statuit Epicurus apud Diog. Laërt. x. 39. *Και μην και το παν αει τοιουτον ην οἱον νυν εστι, και αει τοιουτον εσται· ουθεν γαρ εστιν εις ὁ μεταβαλλει· παρα γαρ το παν ουθεν εστιν, εις ὁ αν εισελθον αυτο την μεταβολην ποιησαιτο.* Explicatior est in hanc rem Pythagoras

Haud igitur possunt ad nihilum quæque revorti.
Denique, res omneis eadem vis caussaque volgo
Conficeret, nisi materies æterna teneret
Inter se nexu, minus aut magis indupedita;
Tactus enim leti satis esset caussa profecto;

Nasonianus, met. xv. 252. qui multum lucis impertiet Lucretio:

> ——— rerumque novatrix
> Ex aliis alias reparat Natura figuras:
> Nec perit in tanto quidquam, mihi credite, mundo;
> Sed variat, faciemque novat; nascique vocatur
> Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; morique
> Desinere illud idem: cum sint huc forsitan illa,
> Hæc translata illuc, summâ tamen omnia constant.

Ver. 238. *possunt revorti;* nam contenditur ea primitus ex nihilo venisse: hinc *reverti*. Virgilius, geo. ii. 312.

> Hocc' ubi, non a stirpe valent, cæsæque *reverti*
> *Possunt*.

Versum vero sic repræsentant Δ. et Σ.
Haud igitur *posse* ad nihilum, *puto*, quæque reverti: more minime Lucretiano.

Ver. 239. *eadem vis:* illa nempe vis modo memorata, ver. 234. vetustatis, et anteacti temporis, exitium inevitabile tandem inducentis. Hinc etiam elucescit proprietas τῦ *conficeret*, vocis huic rei potissimum dicatæ. Noster, iii. 959.

> Si tibi non *annis* corpus jam marcet, et artus
> *Confecti* languent.

Ita Virgilius, Æn. iv. 599.

> Quem subiisse humeris, *confectum ætate*, parentem.

Adeas etiam Æn. xi. 85. et Ennii versum nuper admotum, sub ver. 234.

Ver. 240. *nisi:* V. ed. B. Π. *nec*.

Ver. 241. *nexu*. Sic Vind. Δ. Π. Σ. qui habet *nexum* in margine: cæteri, *nexus*, vel *nexas*. Placet quod in contextu exhibuimus. Lucanus, iv. 189.

> Nunc ades, *æterno* complectens omnia *nexu*.

Manilius, ii. 163. ut acutissime rescripsit Bentleius:

> Hi *conjuncta* meant alterno brachia *nexu*.

Arnobius, lib. i. p. 28. "Christus—ea "solvit et vicit, quæ *perpetuis nexibus* et "immobili fuerant necessitate *devincta*."

Nexu autem *teneret*, ut Maro non dissimiliter, Æn. viii. 582. *Complexu teneo*.

Ibid. *indupedita*. Sic G. P. Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. alii *endopedita*, vel *indupedite*, ut Σ. vide nos superius, ad ver. 83. Et rectæ constructionis foret *indupeditas*, nempe *res*, ver. 239. sed in neutrum genus ita delabi, et vicissim, solet in his noster. Similem videre est variationem in verr. 216, 217. nam ordo est: "Nisi materies æterna teneret indu-"pedita nexu minus aut magis inter se:" ita ut vi majore vel minore dissolvi possint res in sua primordia, mox in novas species coalituræ, sed interituræ nunquam.

Ver. 242. *Tactus:* Π. *tectus;* P. V. ed. B. Δ. *tractus:* non probo; succurrit tamen Horatius, quem apponam, huc quamvis ægre obtorquendum, sat. ii. 6. fin.

> ——— sed me
> Imperiosa *trahit Proserpina*.

Hoc dicit noster: "Si vel tangeret Mors, "omnia perirent: et mortem valeret in-"ferre rebus non æternis vel vetustas, vel "alia demum quævis caussa."

Ibid. *satis caussa:* i. e. *sufficiens* caussa, idonea; nam vocabulum *satis* adjectivi officio fungitur, omnium generum ac numerorum: adeas ea, quæ congessit et disputavit Staverenus ad Cornel. Nep. Epaminond. cap. 4. Hinc emendandus est Terentius, And. i. 1. 3.

> ——— Redeo inde iratus, atque ægre ferens:
> Nec *satis* ad objurgandum *caussa*. Dicerет,
> Quid feci?

Quippe, ubi nulla forent æterno corpore; quorum
Contextum vis deberet dissolvere quæque.
At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant, æternaque materies est,
Incolumi remanent res corpore, dum satis acris

Vulgo, *caussæ:* sed Donati commentarius nostram tuetur divinationem. "Mire "expressit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, *caussa;* sed pro "amaritudine objurgationis non erat *satis;* "hoc est, non *idonea* videbatur." Vix aliter legere potuerit grammaticus. Cicero, de legg. i. 10. "Quod *argumentum* "*satis* est, nullam dissimilitudinem esse "in genere:" ubi consulendus est Davisius, Lucretii non oblitus; ut Burmannus etiam, ad Virg. Æn. iii. 348. qui nobis otium fecerunt.

Ver. 243. *ubi:* P. *ibi.—æterno:* M. *æterna.—quorum:* vulgares editiones, *eorum;* vanissime et inscitissime, contra omnia manu scripta exemplaria, et vetustiora typis excusa.

Ver. 244. *vis quæque:* i. e. "vel parvissima; quippe quum res non magis "aut minus inter se nexæ forent, sed "fragili corpore et imbecillo, vi cuilibet "obnoxia: nam nihil est medium inter "æterna primordia et maxime dissolubilia; neque vel levissima caussatio "fieri potest, quin quovis tempore, et ex "impetu quovis, partium sit discidium, "et interitus."

Ver. 247. *remanent corpore.* Ovid. met. iii. 493.

Nec *corpus remanet,* quondam quod amaverat
Echo.

Porro, loco *acris,* P. B. *actis:* et in versu insequente, vice *pro,* P. V. ed. B. Δ. *præ:* nec non P. *retexta,* pro *reperta.*

Ver. 248. In editione Bononiensi versus ad hanc formam comparet:

Vis obeat, *prætexturâ* cujusque *retextâ:*

constructione minus enucleatâ; quam tamen ita declarare Pius est aggressus: "Cum Natura retexuerit cujusque rei "corruptæ prætexturam, hoc est, corpus; "quod, antequam advenisset privatio, "prætexuerat et disposuerat; nunc imitata Natura Penelopen retexit, quod "prius texuerat." Cui nos obstinatis auribus obsurdescimus.

Ver. 249. *redit* abest a Π. qui et *illa* præ se fert, pro *ulla.*

Ver. 250. *corpore.* Sic Δ. Π. Σ. Ω. ratione nimirum exquisitâ magis et poëticâ: alii *corpora,* quod vix probes, aut colori dicas loci consentaneum, nam Materiam προσωποποιει noster: *corpus* igitur Materiæ potest ipsam Materiam. Apposite Virgilius, et eleganter, Æn. vii. 650.

Filius huic juxta Lausus; quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis *corpore Turni.*

Nec minus ad rem facit Æn. vi. 727.

Mens agitat molem, et magno se *corpore* miscet.

De regimine vero minus vulgari, quod librariis ideo imposuit, nos plenâ manu contulimus ad Silv. Crit. ii. pp. 36, 132. et v. pp. 30, 31. quæ videas, et nuper dicta ad ver. 36. hujusce libri. Credibile est alios codices suppeditavisse nostram lectionem; sed, qui referunt suffragia membranarum, nimio sunt propensi ad ea tacenda, quæ videntur absurdiora, quum captum suum superent. Aliter non expediveris illud Statianum, silv. i. 2. 109.

——————— *tellure cadentem*
Excepi, fovique sinu:

i. e. *in* tellure, cum rectum fuerat in *tellurem.*

Ipsam Lucretii notionem sic Virgilius repræsentavit, geo. iv. 225.

——— huc reddi deinde, ac resoluta referri,
Omnia.

Ver. 251. *pereunt:* i. e. oculis hominum, et priore formâ, tantummodo; in aliis corporibus statim nascituri. Huc

Vis obeat pro texturâ quoiusque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes
Discidio redeunt in corpore materiaï.
Postremo, pereunt imbres, ubi eos pater Æther
In gremium matris Terraï præcipitavit:

facit Plutarchus, de plac. phil. i. 24. sic legendus: Εμπεδοκλης δε, και Επικουρος, και παντες, όσοι μετα ΣΥΝΑΘΡΟΙΣΜΟΥ των λεπτομερων σωματων κοσμοποιουσι, και συγκρισεις μεν και διακρισεις εισαγουσι, γενεσεις δε και φθορας ου κυριως· ου γαρ κατα ποιον εξ αλλοιωσεως, κατα δε ποσον εκ συναθροισμου ταυτας (γενεσεις utique et φθορας) γινεσθαι. Mirifico sane cum stupore hæc ultima reddidit interpres; quæ illis, qui Lucretium vel a limine salutaverint, ita necesse est sint plana, ut me pudeat Latine declarare.
Hic autem locus, in quo versamur, locupletissimus est venustatum poëticarum: et, sive sententias spectes, lepidas in primis; sive sermonis gratias, longe compositissimi; sive versuum concinnitatem, quibus frustra quæsiveris eliquatos mollius; artificem loquitur melon Musæorum consummatissimum.

Ibid. *pater Æther—matris Terraï.* Ita Plutarchus, de plac. phil. i. 6. Δι' ὁ Πατηρ μεν εδοξεν αυτοις ὁ Ουρανος ὑπαρχειν, Μητηρ δε ἡ Γη· τουτων δε, ὁ μεν Ουρανος, Πατηρ, δια το τας των ὑδατων εκχυσεις σπερματων εχειν ταξιν· ἡ δε Γη, Μητηρ, δια το δεχεσθαι ταυτα, και τικτειν.
Nobilissimorum Maronis versuum, hinc adumbratorum, vel puerulos credam statim recordaturos, geo. ii. 325.

Tum Pater omnipotens fecundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.

Quid vero sibi velit hic το *omnipotens*, parum video. Rescribendum haud dubitanter dicam, et distinguendum:

Tum Pater, *omniparens* fecundis imbribus, Æther:

Calpurnio, viii. 35. vel, si malis, Nemesiano, hortatore:

Omniparens Æther, et rerum causa *liquores*,
Corporis et genetrix *Tellus*, vitalis et Aër,
Accipite hos calamos:

et Avieno, in Arati phænomenis:

Eridanumque patrem, nutu *Jovis omniparentis*,
Astra receperunt.

Ex illo fonte Columella biberit, x. 204.

Maximius ipse deûm, posito jam fulmine, fallax
Acrisioneos veteres imitatur amores,
Inque sinus Matris violento depluit imbre:

ubi nonnulli libri, *defluit*. Eadem vox debet eidem cedere in Avieni Arateis, ver. 1595.

Omnibus his signis in terram *depluit* imber
Plurimus:

ut Prudentius, cathem. iii. 78.

Arbor onus, tremefacta, suum
Deciduo gravis *imbre pluit*.

Addas licet Avianum, fab. iv. ver. 8.

Protinus, impulsus ventis, circumtonat Æther,
Et gelidus nimias *depluit imber* aquas:

ubi recte *depluere lacrymas* in Propert. ii. 16. 7. Cannegieterus asserit. Et locutionis similitudo mihi in mentem revocat perelegantem locum Plinii, leni castigatione literulæ appositæ, ut arbitror, sublevandum, nat. hist. x. 54. "Sucus e "plagâ manat, quem opobalsamum vo"cant; suavitatis eximiæ, sed tenui gut"tâ *ploratus:*" i. e. lacrimulâ destillatus. Libri dant, *ploratu*.
Terram sic alloquitur in hymnis Homerus:

Χαιρε, θεων μητηρ, αλοχ' ουρανου αστεροεντος.

Accedat etiam Euripidis fragmentum, poëtis et physicis antiquis passim lauda-

At nitidæ surgunt fruges, rameique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ, fetuque gravantur.
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum:

tum, et Lucretio certissime observatum:

Ερᾳ μεν ομβρυ Γαι', ὀτ' αν ξηρον πεδον,
Ακαρπον αυχμῳ, νοτιδος ενδεως εχῃ·
Ερᾳ δ' ὁ σεμνος Ουρανος, πληρυμενος
Ομβρυ, πεσειν εις Γαιαν, Αφροδιτης ὑπο.
'Οτ' αν δε συμμιχθητον εις ταὐτον δυο,
Τικτυσιν ἡμιν παντα κἀκτρεφυσ' ἁμα,
'Οθεν βροτειον ζῃ τι, και θαλλει, γενος.

Fundus erat Æschylus apud Athenæum, xiii. 4. et alios, cujus versus probe constitutos dabo:

Ερᾳ μεν ἁγνος Ουρανος τρωσαι χθονα·
Ερως δε Γαιαν λαμβανει γαμυ τυχειν·
Ομβρος δ', απ' ευνασντος Ουρανυ πεσων,
Εκυσσε Γαιαν· ἡ δε τικτεται βροτοις
Μηλων τε βοσκας, και βιον Δημητριον.

Sic purissime legitur fragmentum apud Eustathii commentarios in Il. Ξ. p. 967. Τρωσαι nempe κεντειν κεντρῳ, vel telo; quod turpiculum: vide Etym. M. in Κενταυρος. Ευνασντες vero, *humore pleni;* per πληρυμενος ομβρυ interpretatus est Euripides, ubi supra: ut Homerus, Od. Z. 292.

——— εν δε κρηνη ναει, αμφι δε λειμων.

Trochaïcos in pervigilio Veneris, ver. 59. numeris falsos, et ex Salmasii castigationibus falsiores, sic concinnaverim:

Cras erit, quo primus Æther copulavit nuptias,
Et Pater totis creavit vernus annum nubibus.
In sinum maritus imber fluxit almæ cónjugis,
Inde fetus mixtus omnes *alere* magno corpore.

Probabili, nî fallor, conjecturâ tentaturus sum Statium, Preigero hic admotum, silv. i. 2. 185.

——— ipsum in connubia Terræ
Æthera, cum pluviis *tabescunt* nubila, solvo.

Vulgo invenustior ille legitur, *rarescunt*. Lucretium nostrum ut alibi, ita ad ver. 806. hujusce libri, liquido imitatus est Papinius:

Imbribus, et *tabe nimborum*, arbusta vacillant.

Ex his vero nuptiis Ætheris Tellurisque pendet Marii Victoris locus, in gen. ii. 130. quem si adduxero, non dubitem, quin ob singularem ejus elegantiam mihi lector gratias sit habiturus:

Tum se decoctis *Tellus* pinguissima glebis
In fetus movit varios; quos *imbre marito*
Parturiens, putri dissolvit rura meatu:
Quâ tumidi crepuere sinus, elataque messis
Exstitit, et motis undans trepidavit aristis.

Ibid. *imbres Æther præcipitavit.* Arnobius, lib. iii. p. 115. "*Deum* ergo dicemus——intra verbi unius moras campos cadaveribus aggerare, sanguineos *præcipitare torrentes*—?" simili filo orationis, neque admodum protrito.

Ver. 252. *gremium Terraï.* Mantuanus, Æn. iii. 509.

Sternimur optatæ *gremio telluris* ad undam.

Ibid. *præcipitavit imbres.* Idem, ibid. x. 803.

——— effusâ si quando grandine *nimbi*
Præcipitant.

Ver. 253. *nitidæ fruges:* i. e. quæ nitent, eo quod lappis, tribulisque, et noxiis quibusvis herbis ac suffocantibus, sint expurgatæ. Maro, geo. i. 153.

——— interque *nitentia culta*
Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.

"Quæ per cultum *nitere* debeant." Servius. Ovidius, fast. iv. 928.

Ruris opes niteant, inquinet arma situs.

Poëta vetus apud Cic. Tusc. dispp. ii. 5.

At, et si in segetem sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suâpte naturâ *enitent*.

Hinc lætas urbeis puerûm florere videmus,
Frundiferasque novis avibus canere undique sylvas:
Hinc, fessæ pecudes, pingues per pabula læta,

Hinc probe interpreteris Virgilium, geo. ii. 211.

> At rudis *enituit* impulso vomere campus:

i. e. hilari ridet fecunditate—puram ex culturâ speciem induitur. Ausonius, Mosell. 158.

> ——— proprioque *nitent* Pangæa *Lyæo*.

A. Gellius, xii. 1. "Ac sæpe videas *ar-* "*borem lætam* et *nitentem*, in locum ali-" "um transpositam, deterioris terræ suco" "deperisse:" ut *lætas segetes*, Virg. geo. i. 1.
Cæterum, numeris horumce dulcissimorum versuum concinere suos voluit ad omnem clausulam ille idem summus artifex modulationum poëticarum, qui Lucretii volumen semper habebat replicatum, et indefessi oculi scrutationibus perlustrabat, ad ecl. x. 53. quamvis commune nihil utrique loco cum sententiâ vicissim intercederet:

> ——— tenerisque meos incidere amores
> Arboribus: crescent ipsæ; crescetis, amores.

Usque adeo; quasi poëseos ejus blanditiis irretitus, et plane *εκπονημενος*, ultra spatia curriculi Lucretiani non ille quivit evagari.

Ver. 254. *fetuque gravantur.* Idem, geo. ii. 429.

> ——— *fetu* nemus omne *gravescit*.

Ver. 255. *Hinc:* V. ed. B. Π. Σ. *Hic:* et V. ed. *aliter*, pro *alitur*.

Ver. 256. *puerûm.* Sic V. ed. B. Π. et verissime: cæteri, *pueris.* Regimen scilicet exquisitius displicuit librariis, nihil præter vulgaria doctis sapere. *Florere* vero, *abundare;* cui notioni convenientissimus est gignendi casus. Exemplum sufficit Manilius, si modo sinceritati suæ restituatur, iv. 687.

> Maxima terra viris! *En* fecundissima doctis
> *Urbs una ingeniis, florentes oris* Athenæ.

Hinc erectior fieret ad finem geo. iv. Virgilius:

> Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
> Parthenope studiis, *florentem* ignobilis *otii.*

Cicero pro Archiâ poëtâ, sect. vii. "Hæc "*studia* adolescentiam *alunt:*" et erat tunc temporis *adolescens* Maro. Pacuvius, apud Nonium, ix. 6.

> Postquam est *oneratus frugum*, et floris Liberi.

Sic legendum: vulgo, *honoratus.*

Ibid. *puerûm florere.* Mantuanus, Æn. vii. 643.

> ——— quibus Itala jam tum
> *Floruerit terra* alma *viris:*

Statius, Theb. v. 54.

> ——— *florebat* dives *alumnis*
> *Terra:*

et Accius in Menalippo:

> —— Quisnam *florem liberûm* invidit meûm?

Græcas elegantias æmulati. Lucianus, Scyth. 9. ita restituendus:—*ιδων πολιν ακμαζουσαν ακμη τοσαυτη, και, κατα τον ποιητην εκεινον,*

> *Ανθουσαν αγαθοις πασιν, εις ΘΑΛΛΟΙ πολις.*

Malis vero, sit *το florere* absolute positum, ut in Virg. geo. ii. 6. *floret ager;* et pendeat genitivus *puerûm* a voce *lætus*, ut *lætus animi*, Vel. Paterc. ii. 92. ubi plura dant interpretes exempla, et Sil. Ital. xvii. 308. *lætissimus iræ:* nos autem priorem viam potius ingredimur lucentiorem.
Denique, codex e nostris Δ. pro *urbis*, habet *herbas*, et in margine variationem *τω pratis*, loco *pueris;* unde non illepidus versiculus exsistit:

> Hinc lætas *herbas pratis* florere videmus.

Horatius huic lectioni est, et scopo loci, impendio appositus, od. iii. 18. 9.

> Ludit *herboso* pecus omne *campo*.

Receptis tamen acquiescendum arbitramur.

Ver. 257. *Frundiferas sylvas.* Ennius apud Macrobium, vi. 2.

> ——— omne sonabat
> Arbustum fremitu *sylvaï frundosaï.*

Ibid. *avibus canere sylvas.* Preigerus

Corpora deponunt; et candens lacteus humor
Uberibus manat distentis: hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas

opportune commisit illud Virgilianum, geo. ii. 328.

> Avia tum *resonant avibus virgulta* canoris.

Ibid. *novis avibus:* vel implumibus et modo natis, ut intelligatur vox de garrientibus tantummodo pipilantibusque; cui conveniret interpretationi Virgilius, Æn. xii. 475.

> ——— pennis alta atria lustrat hirundo,
> Pabula parva legens, *nidisque loquacibus* escas:

vel, minus stricte, generis novi fetu, ad ætatem cantionis articulatæ jam progresso.

Ver. 258. *fessæ.* Hæc est, quantum constat, omnium librorum manu exaratorum lectio; et commodam satis admittit interpretationem. *Fessæ* scilicet, onere gestandi fetûs jam gravioris, utpote maturescentis, et statim enitendi. At *fetæ* scriptura, quæ unde venerit nescio, nec quâ nitatur auctoritate, Bentleio placuit. Mihi autem veri similior divinatio in mentem incidit, quæ fortasse lectoribus arriserit:

> Hinc *fusæ* pecudes pingues per pabula læta
> Corpora deponunt:

Virgilius, Æn. i. 214. et alibi:

> ——— *fusique per herbam*,
> Inplentur veteris Bacchi.

Atque in hanc hercle scripturam summo opere mea sententia propendet, et in contextum admissam lubentissimus viderem. Distinctiones autem eas dedi, quas postulat venustas, et receptæ lectionis ratio, ut ordo sit: "Pecudes, pingues *per* pabula;" i. e. ope pabulorum: aliter omnia fuerint inelegantissime coacervata. Et ea potestas præpositionis dictæ pervagatissima invenitur.

Cæterum, pro *læta*, Π. scribit, *lætæ:* male. Virgilius, geo. iii. 385.

> ——— fuge *pabula læta*.

Ver. 259. *Corpora deponunt:* scilicet cùm parturiunt. Bentleius. Huic interpretationi totus accesserim. Maro, Æn. vii. 108.

> *Corpora* sub ramis *deponunt* arboris altæ.

Et appositissime Catullus, xxxii. 8.

> *Quam* mater prope Deliam
> *Deposivit* olivam.

Ibid. *candens lacteus humor.* Videtur reformidavisse Virgilii majestas epitheti simplicitatem, ex antiquitate purissimâ petiti, res per suas proprietates ingenitas distinguere potissimum adamante. Sic Homerus, Il. Δ. 434.

> ——— ἀμελγόμεναι ΓΑΛΑ ΛΕΥΚΟΝ:

et, ne plures excitem, Theocritus, i. 58.

> ——— τυρόεντα μέγαν ΛΕΥΚΟΙΟ ΓΑΛΑΚΤΟΣ.

Leviter ab eorum vestigiis Tibullus declinavit, iii. 5. 34.

> Et *nivei lactis* pocula, mixta mero:

ut hercle post Maronem, geo. iii. 177.

> ——— *nivea* inplebunt *mulctralia* vaccæ.

Ibid. *lacteus humor.* Sic Ovidius, met. xv. 79.

> ——— nec vobis *lacteus humor*
> Eripitur; nec mella, thymi redolentia florem.

Ver. 260. *Uberibus distentis.* Pastor Mantuanus, ecl. iv. 21.

> Ipsæ *lacte* domum referent *distenta* capellæ
> *Ubera.*

Ver. 261. *infirmis:* Σ. *infernis;* prorsus inutiliter, et inauditâ fortasse permutatione.

Ibid. *artubus infirmis.* Dilatavit cogitationem Maro, geo. iii. 187.

> Atque hæc jam primo, depulsus ab ubere matris,
> Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris,
> *Invalidus*, etiamque *tremens*, etiam inscius ævi.

Ita locus est interpungendus, ut illepida constructionis ambiguitas evitetur. Gemellum locum Lucretii, iii. 7. libet etiam advocare:

> ——— aut quid nam *tremulis* facere *artubus* hœdi
> Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

Ex his enim duobus locis distichon effinxit epigrammatis scriptor in Anthol. Lat. Burmanni, lib. v. ep. 14.

Ludit, lacte mero menteis perculsa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quæquomque videntur;
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam

> Adludunt *blandi* tremulis conatibus agni,
> Lacteolasque animas lacteus humor alit.

Vides singulas pene Lucretii voces huic peplo intertextas. Sic autem scribendum est, minimâ cum violentiâ, si sis scripturæ brevioris memor; *blandi*, pro *pavidi:* nam quod vulgatur *cum matribus*, vice *conatibus*, Salmasii est misera corruptela, libris renuentibus, nec volentibus linguæ gratiis. Carus, ii. 320.

> Et satiati *agni ludunt*, *blande*que coruscant.

Ibid. *lasciva:* i. e. petulans, et importuna in exsultando, ut Donatus ad Terent. Heaut. v. 1. 72. voluptuosa, ludibunda.

Ver. 262. *perculsa:* i. e. quod ita per omnia membra diditum irrigetur, ut ea percellat, percutiat, vel pertentet: vide nos superius, ad ver. 13. Sic optime scriptum exhibent omnes, præter Vind. qui, ut editi quidam, imbecilliter, nec venuste, *percussa;* gustui tamen Creechiano sapidissime. Audacter fecerunt editores, qui sincerissimis membranis obviam iverint ad Virgilii Æn. i. 513. sic certo certius scribendi:

> Obstupuit simul ipse, simul *perculsus* Achates
> *Lætitiâ*que, *metu*que:

ut idem ibid. ver. 502.

> Latonæ tacitum *pertentant gaudia* pectus.

Noster, v. 1222.

> ———————— *perculsi* membra *timore.*

Longum erat persequi locos innumeros, unde excluserunt editores indignis modis hoc vocabulum; sed quæ diximus jam nunc, et in priore versu modo memorato, lucem dabunt atque adjumentum lectoribus hæc volentibus ad examen accuratius revocare. Imprimis audienda est librorum proborum vox; et suus gustus, et color suus orationis, unicuique scriptori concedendus: præter quæ nihil temere novari præstiterit.

Ver. 262. *lacte mero:* i. e. simpliciter puro, ex ingenuis naturæ fontibus per meracas scaturigines exuberantibus. Eleganter Sidonius Apollinaris, epist. iii. 10. —" ad *meracissimum* scientiæ *fontem* " laudabili aviditate proficiscitur." Et ipsam mentem Lucretii varietate haud injucundâ Nemesianus extulit, cyneg. 227.

> Mox *lactis liquidos* sensim super adde *fluores:*

i. e. puros et integros sucos.

Ibid. *menteis novellas:* i. e. teneras, utpote recenter natas. Scite Lambinus huic admovit loco poëtam ipsum, ad iii. 766.

> Scilicet in tenero *tenerascere* corpore *mentem.*

Pulchre G. Nazianzenus, vit. p. 10.

> ΨΥΧΑΣ *ανδρας*, *και* ΧΛΟΑΖΟΥΣΑΣ *ετι*·

quo nihil propositæ phrasi cogitari poterat illustrandæ convenientius. Huc facit Il. Z. 400.

> *Παιδ' επι κολπον εχουσ'*, ΑΤΑΛΟΦΡΟΝΑ, *νηπιον αυτως.*

Confer Theoc. xiii. 48.—Cæterum, versuum series, quibuscum nobis res est, animo Prudentii obversabantur ad cathem. xii. 112.

> Transfigit ergo carnifex,
> Mucrone districto furens,
> Effusa nuper corpora;
> *Animas*que rimatur *novas.*
> Locum minutis artubus
> Vix interemptor inveniit,
> Quo plaga descendat *potens;*
> Juguloque major pugio est.

Potens plaga: i. e. plenus ictus vehemensque, qualem intulisse velit furibundus. Sic legendum: vulgo mendose, *patens;* quæ lectio litem, neque injuriâ, criticis incendit.

Ver. 263. *Haud:* Π. *Aut*, errore maxime usitato; V. ed. *Hanc.*—*pereunt penitus*, tralatis invicem dictionibus, Σ. et pro vulgari *quæcumque*, nobis exhibet *quæconque* Π. haud dubie reliquias, tantum non

Rem gigni patitur, nisi morte adjuta alienâ.
Nunc age sis, quoniam docui nihil posse creari
De nihilo, neque item genita ad nihilum revocari;
Ne quâ forte tamen cœptes diffidere dictis,

obliteratas situ vetustatis et stupore librariorum, genuinæ antiquitatis, quam Lucretio nostro restitutam nunc esse denique lautis lectoribus, et emunctarum, qualium desideramus, narium, impense gratulamur. Nimium, nimium dolemus, inscitiam scribarum cum αρχαϊσμοις hujuscemodi internecina odia exercuisse! Extra controversiam jacet, poëtas magnificos, quo venerabiliori specie enitescerent, scriptis suis circumdedisse trabeam quasi phraseos antiquioris, et locutiones affectasse, quibus usurpandis fortasse jam diutius desueverant homines ætatis suæ. In permultis vocibus litera *o* locum obtinebat apud veteres, quem τῳ *u* posteriores dederint. Sic *ipsos*, *folmen*, *om* in secundæ declinationis quarto casu, *fortom* pro *furtum*, *quom*, *consol*, Vel. Long. p. 2216, cum multis aliis, quæ si velim recensere, luserim laborem. *Queiquomque* vero et *quotiensquomque* leguntur in legibus antiquis Romanorum, quas, si libeat, possis consulere. Simplex *quom* passim restituerunt unanimo pene consensu critici: nihil igitur regeri potest caussæ, ob quam similis forma in compositis nostro sit poëtæ deneganda.

Cum doctrinis autem hujusce loci consentaneus est Empedocles, apud Plutarch. plac. phil. i. fin.

> *Αλλο δε τοι ερεω· φυσις* ΟΥΔΕ 'ΕΝ *εστιν άπαντων*
> *Θνητων, ουδε τις ουλομενου θανατοιο τελευτη.*
> *Αλλα μονον μιξις τε, διαλλαξις τε μιγεντων,*
> *Εστι· φυσις δε βροτοις ονομαζεται ανθρωποισιν.*

Vulgo mendose, *ουδεν*: sin autem, quod dedimus, solorum sit licentia comicorum, reponendum jusserim:

> ——— ΜΗΔΕΝ *φυσις εστιν άπαντων.*

Et huic rationi verba Plutarchi præeuntia magis favent; qui adeundus est.

Ver. 264. *alid:* sic, vel *alit*, quæ vox procul dubio idem volebat, G. B. L. M. Σ. Ω. cæteri, *aliud;* quam ad normam sane si scribatur, nihil interesse dicam; quum celeritas vocis efferendæ intelligi debeat pro temperamento accessisse nimietati syllabarum: vide nos ad ver. 156. Ex hac autem voce τὸ *u* solebant veteres excludere: vide Sosip. Charis. p. 113. Diomed. p. 323. Priscian. p. 949. ad quos et alii dudum provocavere: adeas etiam interpretes ad Sallust. bell. Catil. in fine. Sic autem rescripserim periodum, quam laudant historici istius uno ore grammaticorum grex: "*Alis* alibi *stans: et* omnes "tamen advorsis volneribus conciderunt." In libris scribitur, *stantes*. *Alid* vero plus semel restituit Terentio Bentleius. Et sane, quantum egomet judicio consequi valuerim, in omnibus iis locis, numero vix numerabilibus, ubi *quis*, *quid*, et *quod*, brevia leguntur, *u* litera negligebatur; ut, exempli gratiâ, in hoc versu:

> Sive *quis* Antilochum narrabat ab Hectore victum:

olim fortasse scribebatur, *qis*. Inde est, quod aliquoties *qui* non patiatur elisionem, nisi vocalis posterioris; factâ vocabuli, ut posterioribus sæpe factum, diæresi, nî fallor. Virgilius, ecl. viii. 108.

> Credimus? an, *quï* amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Qui versus Lucretii morem sequitur. Neque aliter explico Statii consuetudinem, et aliorum, in dictione *tenuis;* ut silv. i. 4. 36.

> Sperne coli *tenuiore* lyrâ:

i. e. quasi *teniore*, τῳ *u*, ad priorum exemplorum normam, neglecto. Qui meliora habeat dicenda, eum non modo patienter audiam, sed lubentissime auscultem quoque.

Ibid. *alid ex alio reficit.* De hoc loco cogitabat Virgilius ad geo. iii. 65.

Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Adcipe præterea, quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Principio, venti vis verberat incita pontum,

Atque *aliam ex aliâ* generando *suffice* prolem.—
Semper enim *reficit*.

Ver. 265. *nisi:* V. ed. B. Δ. Σ. *nec.*—*adjuta*, cui "rectissime" inclamat Bentleius, habent omnes, si excipias Δ. Σ. qui, *adjutam;* V. ed. *ad vita;* G. *adulta;* L. *adluta;* quæ posteriores varietates manifestissimæ sunt depravationes lectionis, quam nos exhibuimus.

Sententiam Lucretii sic eloquitur Aristoteles, lib. i. de gen. et corrupt. quem citat Lambinus: 'Η τῶδε φθορα, αλλυ γενεσις· και ἡ τῶδε γενεσις, αλλυ φθορα.

Verr. 266, 267. Ad Pii editionem hi versus representantur; non tam quod hæc constitutio loci nobis ex omni parte satis faciat, quam quod arbitrio conjecturarum vel minime, si possit aliter fieri, indultum volumus. *Sis* habent Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *res.* Pro *quoniam*, V. ed. Δ. et nonnulli codices Pii, *quando;* O. *quomodo*. Pro *nihil*, et *genita*, omnes, exceptâ V. ed. *non*, et *genitas: nihilum* vero, pro *nihil*, sola editio Pii. Clare video, quo modo versus certissimis ex rationibus concinnetur. En! tibi:

> Nunc age sis, *quom res* docui *non* posse creari
> De nihilo, neque item *genitas* ad *nihil* revocari—.

Consensus librorum in τῳ *genitas* locupletissimo est argumento τo *res* desiderari: et, ob brevitatem scripturæ, *quom* et *quoniam* passim permiscentur, ut non dicam cod. Vind. dare *cum*, quamvis horizontali ductu calami strietur, *quoniam* posito ad marginem. Sed præstiterit in re non maximi momenti tutiorem viam inivisse.

Ver. 268. *Ne quâ:* i. e. quâ *viâ*—quâ de caussâ—quâ ratione—quo modo: ut extra controversiam scripsit Florus, ii. 15. 13. ubi magno molimine nihil expediunt interpretes eruditi: "Sed, *quâ* maxime "mortiferi esse morsus solent morientium "bestiarum, *sic* plus negotii fuit cum se"mirutâ Carthagine, quam integrâ." Porro, *cœpies diffidere*, solenni pleonasmo, pro *diffidas*, quali gaudent in primis Novi Fœderis scriptores. Rationem locutionis tenuit, et probe declaravit, Cortius, ad Sallust. Catil. 7. 1. qui volentibus plura consulendus est. Vocis autem *cœpto*, aliis scriptoribus probissimis frequentatæ, exemplum Virgilius non reliquit.

Ver. 269. *cerni:* i. e. distingui: nam *cernere* proprie valet *separare*, et quasi judicium facere, ut de farinâ, per foramina cribri demissâ factis agitationibus; cujus sensûs exempla apud Ovidium, Plinium, et auctores rerum rusticarum inveniri possunt. Inde transfertur ad oculorum facultatem, et cogitationes animi. Hæc autem dedi, ne quis in phrasi Lucretianâ *oculis cerni* redundantiam sermonis eat vituperatum.

Ver. 270. *Adcipe:* Π. *cape.* An voluit *Hæc cape?* Non probem. Virgilius, Æn. vi. 136.

> *Adcipe, quæ* peragenda prius.

Ver. 272. *pontum:* M. G. *coortus;* Vind. V. ed. B. O. Ω. *portus;* Π. Σ. *portum.* Nihil egomet valeo extundere cum receptâ lectione ullo modo comparandum.

Ibid. *venti vis verberat.* Ita Archias in epigrammate de Marsyâ:

> Αιωρη, θηρειον 'ΙΜΑΣΣΟΜΕΝΟΣ δεμας ΑΥΡΑΙΣ,
> Τλημον, αοςτηθυς εκ λασιας πιτυος.

Maro similiter, Æn. iv. 249.

> ———————— *vento pulsatur*, et imbri:

unde idem, ob venti particulas voce excitatas, et omnibus, quæ occurrunt, impingentes, ad Æn. v. 150.

> Consonat omne nemus, *vocemque* inclusa volutant
> Litora: *pulsati* colles clamore resultant.

Neque aliunde petenda est Horatii interpretatio, od. iii. 12. 3.

Ingenteisque ruit naveis, et nubila differt;
Interdum, rapido percurrens turbine, campos
Arboribus magnis sternit, monteisque supremos
Sylvifragis vexat flabris: ita perfurit acri

——————— patruæ *verbera* linguæ.

Sed elegantiis poëtarum hinc derivatis infiniti foret operis studiosius immorari: in transitu tamen versus scitulos Victorini de fratribus Macchabæis, ver. 300. emendabimus:

Qui regis imperium cœli, terræque, marisque;
Sidera qui cœlis, qui das animantia terris,
Æquoribus pisces, *ventum*, qui *verberet*, *auris*—.

Vulgo circumfertur, *verberat auras*. Nos bene conjecisse fidem faciet ipse Lucretius, vi. 114.

——————— chartasque volanteis
Verberibus ventei versant, planguntque per *auras:*

et ibidem, ver. 366.

——————— *ventis* furibundus fluctuet *aër*.

Ver. 273. *differt:* V. ed. *aufert;* II. *difert*.

Ibid. *ruit:* i. e. subruit, evertit. Virgilius, Æn. i. 85.

Incubuere *mari*, totumque a sedibus imis
Unâ Eurusque Notusque *ruunt*—.

Forte, *tortum;* et idem Marklando placuit, ad p. 52. epist. crit. qui omnino adeundus est. Idem Mantuanus, geo. i. 105.

——— *cumulos*que *ruit* male pinguis arenæ.

"Evertit, dissipat:" Servius.

Ibid. *nubila differt:* i. e. dissipat—disjicit. Ennius in Andromedâ apud Nonium, voce *visceratim:*

——————— Alia fluctus *differt*, dissupat,
Visceratim *membra:* maria sparsa *spumant* sanguine.

Sic fortasse in trochaïcos hi versus digerendi sunt: malim tamen *sudant*, metro consulens; ut idem Ennius apud eundem grammaticum, voce *sonit:*

Æs sonit, franguntur hastæ, terra *sudat sanguine*.

Quod neque Nicolaüm Fabrum latuit, sic legendum est. Vulgo, "*Et* sonit." Maro, geo. iii. 197.

Qualis, Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemis, atque arida *differt*
Nubila.

Ver. 274. *rapido turbine:* ut Virgilius, Æn. xii. 855. *celeri turbine*.

Ver. 275. *sternit:* codd. quidam Heinsii Piique, *sævit;* voluere nempe *sevit*, quam lectionem codex Vindob. exhibet, occasioni minus efficacem: corruptelæ tamen caussam mihi deprehendisse videor. Scripsit scilicet Lucretius:

Arboribus magnis *stravit:*

nam tempore præterito vim subitaneam atque tumultuosissimam scriptores elegantissimi solent depingere: vide me in Silv. Crit. i. pp. 16, 17. Hinc Virgilius, geo. i. 330. pervenuste:

——————— quo maxuma motu
Terra tremit: *fugere* feræ.

Non alia est lautioris orationis formula, quæ in reprehensionem atque importunitatem semihominum scribarum facilius incurreret: unde veri valde similem hanc conjecturam puto. Certe hinc corrigendum est Germanici fragmentum in Anthol. Lat. Burm. v. 51.

Jupiter est illo lætus *mage*, *sicubi* solis
Vitavit flammas proprio bene lucidus ore:
Nec pecus in fetu fallit: nova turba repente
Mugiit e stabulis, alto balavit ovili.

Vulgo, *magis*, *hic ubi*, et *mugiet*. Burmannus mutatum ibat *balavit* in *balabit*, ut tempora congruerent: infeliciter. Conatus noster scriptori venusto longe convenientior. Sed exemplum pulchrius non legitur, neque observationibus nostris illustrandis aptius, quam unum Achillis Tatii, i. 3. ed. Boden. Το μεν γαρ εξαιφνης αθροον και απροσδοκητον εκπλησσει την ψυχην αφνω προσπεσον, και ΚΑΤΕΒΑΠΤΙΣΕ. Dignus est etiam, qui et hic legatur, princeps poëtarum, Il. P. 58.

Cum fremitu, sævitque minaci murmure, pontus.
Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli,
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.

Ελθων δ' εξαπινης ανεμος, συν λαιλαπι πολλῃ,
Βενθεα τ' ΕΞΕΣΤΡΕΨΕ, και ΕΞΕΤΑΝΥΣΣ' επι
γαιῃ.

Hinc probo, ut magis efficacem, et ipsi rei consentaneam, lectionem codicis decimi seculi in Musæo Britannico, nobis collati ad Virgilii ecl. i. 13.

Nos patriæ finis, et dulcia *liquimus* arva.

Ibid. *magnis:* Π. *magnos;* et, pro *supremos*, Σ. *supinos*, parum absurde; sed vulgatam scripturam abunde tuetur imitatio Virgiliana, geo. iv. 460.

At chorus æqualis Dryadum clamore *supremos*
Inplerunt *montis*.

Nempe summa montium cacumina, ventorum verberibus potissimum exposita.

Ver. 276. *vexat.* Gellius, noctt. Att. ii. 6. " *Vexasse* grave verbum est:—nam " qui fertur, et raptatur, atque huc atque " illuc distrahitur, is *vexari* proprie dici- " tur." Adi locum, si plura, venustatem atque efficaciam hujusce vocabuli illustrantia, desideres. Hinc impetum vastiorem irascentis tauri non aliunde fortius depingere Juvenalis potuit, sat. xii. 11.

—— qui *vexat* nascenti robora cornu.

Ibid. *vexat flabris:* ut Ovidius itidem de *ventis*, met. xi. 435.

———— cœli quoque nubila *vexant:*

et Seneca, Herc. fur. 1090.

———— ingenti
Vexata Noto, servat longos
Unda tumultus.

Ibid. *perfurit pontus.* Valerius Flaccus, viii. 382.

Noctes atque dies vastis *mare* fluctibus inter
Perfurit.

Ver. 277. *minaci murmure.* Horatius, od. ii. 1. 17.

Jam nunc *minaci murmure* cornuum
Perstringis aures.

Ibid. *pontus.* Sic omnes, quotquot reperiuntur, manu scripti codices. Huic autem lectioni quis cordatior poterit acquiescere? Nonnulli conjiciunt *cŏrtus*, pro *coortus:* quod friget. Preigerus maluit *Corus*, vel Caurus: et eadem vox nobis etiam in mentem venerat; sed parum placet, et multo minus amici cujusdam mei divinatio *ventus*, tam ob repetitionem, quam quod a receptæ scripturæ literis nimium decedat, nec credibile sit hanc dictionem corruptum scribas ituros esse. Quid autem faciendum est? Fortasse τὸ *pontus*, i. e. *pōtus*, ortum est ex *polus*, genuinæ lectionis marginali glossâ, quum dederit Lucretius:

———— ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure *Olympus.*

Noster supra, ver. 69.

———— nec *minitanti*
Murmure compressit *cœlum.*

Virgilius, Æn. iv. 160.

Interea, magno misceri *murmure cœlum*
Incipit.

Sed in re incertissimâ sufficiat hactenus elaborasse.

Ver. 278. *igitur:* Σ. *et enim;* sed *igitur* in margine.

Ver. 279. *nubila.* Apage sis hanc imbecillam dictionem, quæ librarii aures circumsonabat, et exquisitiorem lectionem obruebat: nam misere caderet oratio, si post *maria* et *terras* in cumulum violentiæ posuisset noster " *nubila* cœli," quæ vel levissimis auris per aëra saltem *verruntur.* Rescribas ocius, me sponsore:

Quæ mare, quæ terras, quæ denique *culmina* cœli,
Verrunt—:

i. e. Olympum ipsum. Cicero in Arateis:

—— se pariter cum sole in *culmina cæli*
Extulit:

et Manilius, i. 115.

———— stellantis *culmina cæli.*

Nec ratione fluunt aliâ, stragemque propagant,
Ac quom mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti; quem largis imbribus auget

Addas Statium, Theb. iv. 680.

Tempus erat, medii cum solem in *culmina mundi*
Tollit anhela dies—:

cum Boëtio, lib. iv. met. 6.

Adspice summi *culmina cœli*:

Juvencoque, evang. hist. iii. versus non illepidos fundente:

Sic vobis faciet genitor, qui *culmina cœli*
Possidet, immites sævo si pectore fratrum
Peccata orantum dure punire voletis.

Videas etiam Calpurn. ecl. viii. 87. Sed divinationi meæ astruendæ sola satis est imitatio Maronis, ad Æn. i. 67.

Ni faciat, *maria*, ac *terras*, *cœlum*que *profundum*,
Quippe ferant rapidi secum, *verrant*que per auras.

Porro, non temere dixeris Avienum in Arateis, de Aquilâ loquentem, hos Lucretii versus intuitum esse, adeo respondent locutiones:

Spumosum late *mare* subruit; omnia *cœli*,
Omnia *terrarum*, mox *flabra* procacia *verrunt*.

Ver. 280. *verrunt:* quidam voluere *vertunt*, sed nescio quorum fidejussorum auctoritatibus suffulti, præter unum, V. ed. nec male; sic enim conditor Æneïdos, ii. 652.

——————— ne *vertere* secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet:

quem Lucanus imitatus est, ad Phars. vii. 58. Nobismetipsis sane parum arridet illud epitheton *subito*. Quod propositurus sum, hilum discrepat in lineamentis literarum:

——— ac *rupto* vexantia turbine raptant.

Ita Virgilius, Æn. ii. 416.

Adversi *rupto* ceu quondam *turbine venti*
Confligunt.

Et necesse est ille sit omnium lector maxime incuriosus, vel in Lucretii carminibus hospes, qui docendus est, poëtam nostrum has vicinitates vocabulorum *rupto*—*raptant*—studiosius venari. Nihil tamen in Lucretio temere mutari debet.

Ver. 281. *fluunt.* Amicus meus J. Jones, vigore dictionis, ut putem, parum contentus, tentabat *furunt*, vel *ruunt:* quæ voces sane sæpius permiscentur; et nonnihil favere locus Virgilii videri possit, Æn. xii. 453. quem mox allaturi sumus, sub ver. 288.
Sed enim invitis libris nihil demutandum dixerim; cum præsertim recepta lectio motui *cæco* primordiorum sit convenientior, et similitudini, quæ subsequitur, pulcherrime præludat.

Ver. 282. *Ac:* ita Vind. alii omnes *Ut*, vel *Et*. Verum fuerit fortasse, *Quam quom;* et concursus similium dictionum librariis displicuerit.

Ibid. *mollis aquæ.* Exempla, quæ Lambinus suscitavit ex Virg. Æn. ix. 817. et ipso Lucretio, ii. 376. alio spectant, et locum coram nobis nihil adjuvant. Appositus aderit Tibullus, i. 4. 18.

Longa dies *molli* saxa peredit *aquâ:*

quem pressis vestigiis Ovidius insecutus est, art. am. i. 475.

Quid magis est saxo durum? quid *mollius undâ?*
Dura tamen *molli* saxa cavantur *aquâ*.

Mollis utique, ut aër et venti. Marius Victor, gen. iii. 10.

Seu volucrum ex specie, *mollis* quas sustinet *aër*.

Ver. 283. *Flumine abundanti.* Virgilius, geo. i. 115.

Præsertim incertis si mensibus *amnis abundans*
Exit.

Accius in Epigono, apud Nonium:

Apud *abundantem* antiquam amnem, et rapidas undas Inachi.

Valerius Maximus, ii. 2. 3. "Conspicuæ "felicitatis Arpinum unicum; sive litera-"rum gloriosissimum contemptorem, sive "*abundantissimum fontem*, intueri velis."

Ibid. *quem.* Ita G. V. ed. B. Δ. Σ. omnino verissime, ut respectus tacitus habeatur ad generaliorem dictionem *fluvium*, in *flumine* delitescentem, atque ibi com-

Montibus ex altis magnus decursus aquaï,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota:
Nec validei possunt pontes venientis aquaï

prehensam: pergas ad ea, quæ mox dicenda sunt, in ver. 353. Quid mirum, his exquisitioris elegantiæ formulis librarios vecordes esse ludificatos?

Ibid. *largis imbribus.* Maro, geo. i. 23.

> Quique satis *largum* cœlo demittitis *imbrem.*

Ver. 284. *Montibus ex altis.* Idem Cari discipulus, Æn. iv. 164.

> ———————— ruunt *de montibus amnes.*

Ibid. *decursus aquaï.* Ovidius, met. xv. 266.

> ———————— vallem *decursus aquarum*
> Fecit:

nempe χειμαρρος ποταμος, qualem voluit Lucretius; non ingenitum atque æternum flumen.

Ver. 285. *conjiciens:* V. ed. L. M. *coniciens:* nec opinor, mendose, licet sæpissime in his vocabulis exscriptorum manus aberrent, et variæ formæ τῳ *icio* recentioribus non habeant locum, nisi quoties brevium syllabarum quantitati consulendum sit. Accedat autem, ut locutio illustretur, Mantuanus, Æn. v. 661.

> ————*frondem*, ac *virgulta*, facesque,
> *Conjiciunt:*

hujusce loci non oblitus etiam ad Æn. x. 363.

> ———————— quà *saxa rotantia* late
> Inpulerat *torrens*, *arbusta*que diruta ripis.

Ut neque Claudianus, xvii. 237.

> Torrentes immane *fremant*, lassisque minentur
> *Pontibus:* involvant spumoso vortice *sylvas.*

Pro *lassis*, forte *laxis;* ut Maro, Æn. i. 122.

> ——— *laxis* laterum compagibus, omnes
> Accipiunt inimicum imbrem:

quas voces librarii permutavere ad Sil. It. vi. 278. Lucan. i. 695. Livium, et alios, haud raro.

Ver. 286. *validei pontes.* Hoc ex Homeri penu transtulit, qui fundus est hujusce similitudinis, in quâ exornandâ tot poëtæ periculum sui ingenii fecerunt: Il. E. 87.

> Θυνε γαρ αμπεδιον, ποταμῳ πληθοντι εοικως,
> Χειμαρρῳ, ὁς τ' ωκα ῥεων εκεδασσε γεφυρας:

ubi vox εκεδασσε commoda est illustratio nostri commentarii ad ver. 271. de lectione *stravit:* et scholiastes ibidem lucem injiciet scripturæ *æterna*, nobis ex codice depromptæ superius, ad ver. 231. Ποταμοι χειμαρροι λεγονται, οἱ μη ΑΕΝΑΟΝ το ὑδωρ εχοντες, δια δε χειμωνος πληρουμενοι ὑπο των συνεχων ομβρων. Hinc elucescit vera lectio Maronis, geo. iii. 254. ubi me videas:

> Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
> Flumina, conreptosque undâ torquentia *pontis.*

Vulgo, *montis;* satis portentose: nam Silius, indefessus Virgilii comes, non defendet, ad Pun. iv. 524. qui longe mollior est, et a tragico fastu remotior. Adeas velim locum, et ibidem Drakenborchii commentarios, plura conferentis Lucretio illustrando inservientia. Nobis statutum est in trivialibus parcius evagari. Claudiani gemellus locus summâ curâ atque artificio perpolitus, hic legi meretur. Exstat in poëmate contra Rufin. i. 296.

> Haud secus hiberno tumidus cum vortice torrens
> Saxa rotat, *vertit*que nemus, pontesque revellit;
> Frangitur objectu scopuli, quærensque meatum
> Spumat, et illisâ montem circumtonat undâ.

Ita rectissime codex unus: vulgo, *volvit:* vide superius, ad ver. 280. de voce *verto.* Nullo negotio commutarentur exscriptoribus *vorto* et *volvo.* Emendatiorem quid vetat Statium relinquere? Theb. vii. 315.

> Asopos genuisse datur, dignusque videri
> Tunc pater, *abreptis* cum torrentissimus exit
> *Pontibus.*

Vulgo, *abruptis fontibus:* illud *pontibus* etiam Barthio obversatum est, et τῳ *abreptis* favet Virgilius nuperrime laudatus: nec tamen nihili videntur facienda, quæ diximus ad Soph. Trach. 852. ad quem locum lector remittatur.

Vim subitam tolerare; ita, magno turbidus imbri,
Molibus incurrit, validis cum viribus, amnis;
Dat sonitu magno stragem; volvitque sub undis
Grandia saxa; ruit quâ quidquam fluctibus obstat.

Ver. 287. *turbidus.* Sic omnes libri; sed ex conjecturâ videram reponendum esse *turgidus*, et Havercampus eandem scripturam ex Vossianis lectionibus protulit. Repetit nempe Lucretius, et variato paullulum sermone rem de novo ἐναργείας gratiâ declarat: heic igitur *turgidus imbri* τὸ *auget imbribus*, ver. 283. liquido repræsentat, ut utrumque congruit Homereo ποταμῷ πλήθοντι. M. habet *turbio;* Π. autem *turbida nimbi.* Similiter de his torrentibus Ovidius, amor. i. 9. 11.

Ibit in adversos montes, *duplicata*que *nimbo Flumina.*

Horatius, od. iv. 12. 4.

Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt,
Hibernâ nive *turgidi:*

cui conferas ibid. 2. 5.

Monte decurrens velut *amnis*, imbres
Quem super notas *aluere* ripas:

et locum Claudiani in priore notâ. Non aliud sentio de Silii loco, Pun. xvii. 122. ubi legitur in editis *turbidus:*

——————— ceu *turgidus* amnis,
Qui, sylvas ac saxa trahens, per devia præceps
Volvitur, et ripas spumanti gurgite laxat.

Idem dictum velim de Senec. Herc. Œt. 502. et Ovid. fast. ii. 206. ad quem versum videndi sunt Heinsius et Burmannus, horum vocabulorum commutationem memorantes atque illustrantes: quamvis exempla, quæ prior attulerit, non sint satis opportuna, meo saltem judicio. Haud aliam fortasse medicinam pulchre facias Virgilio, ad geo. ii. 137.

Nec pulcher Ganges, atque auro *turgidus* Hermus,
Laudibus Italiæ certent:

sic enim Claudianus, xii. 32.

Tagus *intumescat auro.*

Huic autem minus fiderim conjecturæ, quum alia obstent loca veterum, quæ non sunt hujusce temporis. Adeas insuper Heinsium ad Claud. epig. xx. 6. Amnis autem *turbidus* is est proprie, qui luto, cruore, vel sordibus aliis quibuslibet, decoloratus fluit. Lucanus, vii. 116.

Sanguine Romano quam *turbidus* ibit Enipeus!

Quid autem? Varietati modo memoratæ codicis nostri Π. *turbida nimbi* non debemus obsurdescere: latet enim, nî fallor, proprietatis vetustioris vestigium, quam locus Ovidii modo laudatus strenuissime adjuvabit. Scripsit nempe Lucretius, si quid acuminis mihi contigerit, ad hunc modum:

——————— ita, magno *turgida nimbo*,
Molibus incurrit magnis cum viribus amnis.

Sic apud Nonium, in voce *amnem*, Plauti habemus *ulla amnis;* Accii, *altâ amni*, et *antiquam amnem;* Nævii, *amnis inflexa;* Varronis denique, "*amnis, quam* olim "Albulam dicunt *vocitatam.*"

Ver. 288. *Molibus:* Π. *Mollibus:* et quædam exemplaria typis excusa dant *incurrens*, ne uno quidem, ut videtur, codice consentiente. Hæc autem licentia editorum in neminem sibi latius indulsit, quam in Lucretium. Voluit utique poëta, a quo frustra in omnibus elaboratum Virgilii nitorem et perpolitam æquabilitatem speres, vestigiis squalidi ruris adhuc in Latio manentibus; voluit utique versus suos ἀσυνδέτως decurrere, ut ipsius fluminis violentia numeris vividioribus, et orationis tenore magis accommodato rei, depingeretur.

Ibid. *Molibus incurrens.* Mantuanus, Æn. ii. 496.

——— aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite *moles*,

Silius Italicus, xii. 186.

Improbus ut fractis exundat *molibus* amnis.

Ibid. *validis cum viribus.* Ennius apud Nonium, ann. ix. voce *Luctant.*

——————— virei *valideis cum viribus* luctant:

Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:
Quæ, veluti validum quom flumen procubuere
Quam libet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Inpetibus crebris; interdum vortice torto

ita enim fortassis versus est supplendus. Maro, Æn. ii. 50.

> ——— *validis* ingentem *viribus* hastam—
> Contorsit.

Sulpicius Severus, sac. hist. i. 41. "Sed "Jordanis, *flumen validissimum*, transi- "tum prohibebat."

Ver. 289. *sonitu:* Π. *sonitum:* unde fortassis legendum:

> Dat *sonitum magnom, et* stragem.

Virgilius, geo. iii. 199.

> ——— summæque *sonorem*
> *Dant* sylvæ.

Idem, Æn. xii. 453.

> ——— *dabit* ille ruinas
> Arboribus, *stragem*que satis; *ruet* omnia late:
> Ante volant, *sonitum*que ferunt ad litora, venti.

Ibid. Lego:

> ——— *volvens*que sub undis
> Grandia saxa, ruit; quâ *quidquid* fluctibus ob-
> stat:

i. e. disjicit, deturbat. *Quidquid.* i. e. quidque, ut sæpe alias. Ovidius, met. viii. de apro Caledonio:

> Ille *ruit*, spargitque canes, ut quisque *ruenti*
> Obstat.

Bentleius.

His autem ne mica quidem Bentleianæ sagacitatis inest, et nihil efficaciæ ad hunc locum explanandum.

Ibid. *volvit sub undis.* Virgilius, Æn. i. 100.

> ——— ubi tot Simoïs correpta *sub undis*
> Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora, *volvit.*

Ver. 290. *quidquam:* sic P. Vind. Π. Σ.—*quicumque;* V. ed. B.—cæteri, *quidquid.* Ordo loci et plena constructio sic se habent: "Ruit (i. e. disjicit, evertit, "eâ viâ) quâ quidquam obstat fluctibus:" subintellecto tantum pronomine. Nihil planius: et eodem res redibit, si legas *quidquid;* nam quæ lectio anteponenda sit, haud temere dixerim. Valerius Flaccus, iii. 583.

> Obvia quæque *ruens:*

et ejusdem libri ver. 102.

> ——— subitum ceu pastor ad amnem,
> Spumantem nimbis, *fluctu*que arbusta *ruentem.*

Ibid. *Grandia saxa volvit.* Maro, Æn. xi. 529.

> Sive instare jugis, et *grandia volvere saxa.*

Ver. 291. *venti flamina.* Sic Juvencus, carmine nec rudi, nec inscito, sub finem lib. i. hist. evang. quem adhibebimus, ad pleniorem intellectum Lucretii non nihil facientem:

> Qui vero auditu tantum mea jussa tenebit,
> Diversisque procul factis per lubrica perget;
> Hunc similem faciam, volucri qui fulcit arenâ
> Fundamenta domûs: cui mox ut *flamina venti*,
> Et *pluviæ*, effusis cœpere incumbere rivis,
> Omnis subverso procumbit pondere moles,
> Insequiturque gravis tectorum strage ruina.

Sic legendum: vulgo, *pluvia.*

Porro, pro *flamina*, legitur in B. *flumina;* procul dubio mendose: et solent hæ voces in codicibus permisceri. In Catonis Diris, ver. 13.

> Ipsæ non sylvæ frondes, non flumina montes:

flamina volebat Heinsius, et alii: male omnino; vide nostram Silv. Crit. i. p. 143. quibus multa possent adjici. Tollius malebat *fontes*, pro *montes*, ponere, cum mox sequatur, in ver. 18.

> Desint et sylvis frondes, et *fontibus* humor:

et manifestissimum sit, vel in priore versu cum Tollio sic legendum esse, vel in hoc reponendum *montibus.* Satis etiam liquet nihil demutari oportere in Theocrito, viii. 57.

> Ἀνδρεσι μαν χειμων φοβερον κακον, ΥΔΑΣΙ Δ' ΑΥΧΜΟΣ·

quod probat etiam Virgilius, et nonnihil favet meis rationibus in Catonem præ Tollianis: ecl. vi. 56.

> ——— at si formosus Alexis
> *Montibus* his abeat, videas et *flumina sicca.*

Conripiunt, rapideique rotanti turbine portant.
Quâ re etiam atque etiam sunt venti corpora cæca;
Quandoquidem factis, et moribus, æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore quei sunt.

Ver. 292. *quom flumen.* Hoc ordine voces exhibentur in G. V. ed. B. L. M. Σ. Ω. nec satis caussæ videbatur mutandi cum editoribus transpositione vocum. In Δ. sic comparet versus:

Quæ veluti *validam* cum *flumina* procubuere:

et sic in Π.

Quæ veluti validum cum *flumine con* procubuere.

Ibid. *veluti flumen procubuere:* ut de *fluctu* Virgilius, geo. iii. 240.

——— immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor *procumbit.*

Hanc autem similitudinem habuissemus etiam in Claudiano, si editores ejus se satis oculatos præstitissent, de vi. cons. Honor. 469.

——— mediumque per hostem,
Flammatus virtute piâ, propriæque salutis
Immemor, et stricto prosternens obvia ferro,
Barbara *flumineo* secuit tentoria cursu.

Ita prius ex divinatione certissimâ perspexeram legendum esse, quam me ad syllogen variantium scripturarum in fine editionis Burmannianæ convertissem, ubi comparet ex codicibus nostra lectio, pro *fulmineo;* ut sane sæpissime commutantur voces: vide nos infra, ad ver. 1002. *Secat* autem proprie de *fluminibus:* adi nos ad v. 273.

Ver. 293. *trudunt:* V. ed. et B. *tendunt:* unde non absurde sic locum constitueres, si quid novandum foret:

——— *tundunt* res, ante ruuntque
Inpetibus crebris.

Ver. 294. *torto:* G. B. *toto*, usitatissimâ permutatione: vide supra, ad ver. 273. Sedulius, iv. 224.

Discipuli, solo terris residente magistro,
Undosum petiere salum; fluctuque tumente
Torta laborantem jactabant æquora puppim.

Sic castigandum: vulgo, *torva.* Sosipater Charisius, p. 68. et alii grammatici nugantur, dum differentiam aliquam inter vocabula *vortex* et *vertex* comminisci student: hæc recentior tantummodo est, illa autem vetustior, orthographia.

Ver. 295. *rapidei:* sic concinnius, et suaviore constructione, P. Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. et omnes iidem *rotanti* cum V. ed. Vulgo, *rapido* et *rotantia;* sed quibus auctoritatibus hæ lectiones suffulciantur, non constat. Pii scriptura, in codicibus fidelioribus, ut ait ipse, reperta, nobis impense placet; et, si suffragium alius quilibet codex addixisset, in contextu posuissem:

——— *rapido*que *rotantes* vortice portant:

venti nempe, facile ex superioribus accersendi.

Ibid. *portant.* Similem sensûs efficaciam huic verbo tribuit ad iv. 445. et conferas Virg. Æn. i. fin. geo. iv. 524.

Ver. 297. *et:* sic P. Vind. V. ed. B. L. M. Σ. Ω. alii, *ac:* Π. autem, *de:* et pro *moribus*, P. B. *motibus*, minus bene; et vice *magnis*, Π. *magis.*

Ibid. *moribus.* Simili tralatione ab hominibus ductâ Columella usus est, in præfat. 23. " *Cœli* et *anni præsentes* " *mores* intueatur:" undé nostræ conjecturæ in Virgilii geo. i. 335. robur accedere videtur:

Hoc metuens, *cœli mores*, et sidera, serva:

ut idem ibidem, ver. 51.

Ventos, et varium *cœli* prædiscere *morem*,
Cura sit.

Neque aliter Plinius, nat. hist. xiv. 3.— " ad *cœli mores*, solique *ingenia.*"

Ver. 298. *qui sunt:* Π. *quid sint*, mendose utrumque.

Ibid. *aperto:* i. e. nudo, manifesto, quod oculis usurpari possit. Virgilius, Æn. vi. 406.

——— *aperit* ramum, qui veste latebat.

Ver. 299. *Tum:* P. Vind. V. ed. B. Σ. Ω. *Cum.*

Tum porro varios rerum sentimus odores;
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus umquam;
Nec validos æstus tuimur, nec frigora quimus
Usurpare oculis; nec voces cernere suemus:

Ver. 300. *cernimus:* Ω. *credimus.* Et summopere miror, Lucretium non evitare ambiguitatem illepidam voluisse, scribendo *narim.* Prudentissimum est de hac re Quintiliani judicium, et imitatione dignissimum, ad instt. viii. 2. "Vitanda "in primis ambiguitas; non hæc solum, "—quæ incertum intellectum facit, ut, "*Chremetem audivi percussisse Demeam;* "sed illa quoque, quæ, etiam si turbare "non potest sensum, in idem tamen ver- "borum vitium incidit: ut, si quis dicat, "*Visum a se hominem librum scribentem:* "nam, etiam si librum ab homine scribi "pateat, male tamen composuerat, fece- "ratque ambiguum, quantum in ipso fuit." Sed re verâ Ovidii testimonium de Ennio magnâ ex parte in poëtam nostrum rectissime ferri poterat:

Ennius, ingenio maximus, *arte rudis.*

Ver. 301. *validos:* i. e. utcumque vehementes atque efficaces sint, in oculorum notitiam non cadunt; multo minus, si mitiores veniant, visu nostro sunt arripiendi. Argumentum a fortiori concludens. Ita reposueram ex ingenio; et postea divinationi meæ subscribere intellexi vidique codices scriptos B. et Δ. Cæteri, *calidos;* non absurde per se; sic enim Horatius, sat. i. 1. 38.

——— cum te neque *fervidus æstus*
Demoveat lucro:

sed loci efficaciæ multo minus opportune. Eandem porro castigationem Lucano quoque non denegandam esse, haud ægre fatebuntur omnes, nisi qui pronuncient eum sensus suos verbis appositis efferre nullo modo quisse. Locus, de quo cogitamus, in ii. 724. legitur, ubi de die appropinquante loquitur:

Majoresque latent stellæ, *validum*que refugit
Lucifer *igne* diem.

Vulgo, *calidum:* sed, si vel ipsam rei veritatem, vel contextum poëtæ, perpendas, non *calore* solis, sed *claritate potentiore,* Luciferum vix negabis prægravari. Ovidius, met. vii. 9.

Concipit interea *validos* Æetias *ignes:*

nam ordo verborum in Lucano est: "Di- "em, validum, i. e. efficacem, *ab* igne." Solere librarios in his vocabulis turbare, te Burmannus certiorem faciet, ad Ovid. met. xv. 324. et Drakenborchius ad Sil. It. xv. 337. Idem Naso, xiv. 352.

——— *valido* mentem collegit ab *æstu.*

Ibi pariter liber unus MS. *calido* præbet. Art. amand. iii. 545.

——— *valido*que perurimur *æstu.*

Hinc languidulum Propertii versum facile resuscites, iii. 23. 17.

Nunc demum *valido* fessi resipiscimus *æstu.*

Libri, *vasto.* Arnobius, lib. ii. p. 57.— "sed ita temperatus et medius, ut nec "frigoris hyemalis sensum, nec *ardorem* "*validum* perpetiatur æstatis." Neque pulcher locus Ven. Hon. Fortunati nobis nullam operam navabit, dignus qui politior legatur: viii. 3. 1.

Post tempestates, et turbida nubila cœli,
Quum solet infesto terra rigere gelu;
Post *validas hyemes,* ac tristia frigora brumæ,
Flamine *sub* rapidi rura gravante Noti;
Succedunt iterum vernalia tempora mundo,
Grataque post glaciem provocat aura diem.

In secundo versu vulgo scribitur, *quo:* i. e. *quom:* et in quarto, *seu,* insulsissime. Apuleius, de mundo:

Spiritus est cunctis, *validus*que est Jupiter *ignis.*

Hinc proprio acumine correxeram Virgilium, geo. iii. 459. nam *c* et *t* vix distinguas in codicibus:

Profuit *intensos æstus* avertere:

quæ verissima est emendatio, et loci scopo commodissima. Idem jam Heinsio vene-

Quæ tamen omnia corporeâ constare necesse est
Naturâ; quoniam sensus inpellere possunt:
Tangere enim, aut tangi, nisi corpus, nulla potest res.
Denique, fluctifrago subpensæ in litore, vestes
Uvescunt; eædem, dispessæ in sole, serescunt:

rat in mentem, et sane hanc lectionem clare exhibet pervetusta editio penes me.

Ibid. *tuimur*. Non usus est hac voce Virgilius extra participium; nec tamen Statius aversatus est, Achill. i. 131.

> Namque mihi infestos utero modo contuor enses:

quem locum, et alium Lucretii, iv. 225. commisit in Grammaticâ suâ Priscianus, p. 838. pro hujusce vocabuli exemplis.

Ver. 302. *Usurpare oculis*. Sæpius ita noster locutus est. Plautus ad eundem modum, Trinum. iv. 2. 4.

> Advenio ex Seleuciâ, Macedoniâ, Asiâ, atque Arabiâ,
> Quas ego neque *oculis*, neque pedibus, umquam *usurpavi* meis.

Apuleius, de deo Socratis, initio: "Quos "quidem deos cœlites partim *visu usur*"*pamus*, alios intellectu vestigamus." Et ibidem, non longe a fine:—"sæpenume"ro *auribus* suis *usurpant* vocem." Accedat etiam Rutilius Lupus, de fig. sent. et eloc. i. 13. sic, nî fallor, leviter castigandus: "Nam Chæremenes cum ho"minibus armatis ad eum venit: cum "venisset, sine ullâ religione domum ejus "expugnavit: expugnatâ *domo*, *vi* fami"liam abstraxit: abstractam, tormentis "omnibus excruciavit: cruciatam, vinxit: "vinctam, in publicum projecit: *puto*, "ne suum maleficium tacitum lateret, "sed, *dum* prætereuntes prostratam fa"miliam viderent, et ab his rem gestam "audirent, simul et *oculis* et *auribus* "scelus illius *usurparent*." Vulgo legitur, transpositis vocabulis, *vi domo*, quod proportio clausularum et sermonis unitas non patitur: pro *puto*, *prædo;* et pro *dum*, *cum:* sed perlegas locum integrum vellem. Arnobius lib. vii. 238. "Dii "enim ex uteris prodeunt, et habent dies "lætos, quibus eis adscriptum est *auram* "*usurpare vitalem*:" ore scilicet, et naribus, hauriendo spiritu.

Ver. 303. *corporeâ:* V. ed. B. et Π. *corpora*, facili fessis vel indoctis aberratione.

Ver. 304. *sensus inpellere*. Hinc Virgilius, pulchre memor aëra, sonorum vehiculum, naturâ corporeâ constare, ad geo. iv. 349.

> ——— iterum maternas *inpulit auris*
> *Luctus* Aristæi.

Videas etiam ibid. 305. Æn. xii. 618. Hanc elegantiam Statius invasit, Theb. v. 555.

> ———— Argolicas *ululatus* flebilis *aures*
> Impulit.

Ver. 305. *aut—nulla:* Π. *nec—ulla:* cæteri omnes, *et:* sed testimonium A. Gellii, noctt. Att. v. 15. mihi non videbatur negligendum: "Vetus atque perpetua "quæstio inter nobilissimos philosopho"rum agitata est; corpusne sit vox, an "incorporeum.—Corpus autem est, quod "*aut* efficiens est, *aut* patiens: id Græce "definitur, *το δρωμενον, Η πασχον, σωμα* "*εστι*. Quam definitionem significare "volens Lucretius, ita scripsit:

> "Tangere enim, *aut* tangi, nisi corpus, nulla potest res."

Quibus commode committas ea, quæ habet noster in iv. 529. et sequentibus.

Ver. 306. *subpensæ:* O. Δ. Π. *suspensæ*, et ita Σ. in margine: non probo. *In* etiam omittitur in Δ.—*serescunt:* V. ed. Π. *se arescunt.*

Ibid. *fluctifrago litore:* i. e. *τῃ ακτῃ κυματοπληγι* atque *κυματοαγει* Sophoclis, Œd. Col. 1241. 1243. Tertullianus, in carmine de Jonâ et Ninive, ver. 39.

At neque, quo pacto persederit humor aquaï,
Visum est, nec rursum quo pacto fugerit æstu.
In parvas igitur parteis disspargitur humor,
Quas oculei nullâ possunt ratione videre.
Quin etiam, multis solis redeuntibus annis,

Una ratis certamen erat cœloque, fretoque;
Tunditur hinc, illinc; tremit omnis sylva sub ictu
Fluctifrago.

Aliter tamen Nonius: "*Serescit* positum "pro siccatur, quod serenitas sicca sit. "Lucret. lib. i.

"Denique, *fluctivago* suspensæ in litore, vestes
"Uvescunt, eædem dispensæ in sole serescunt."

Non male, nec invenuste, ob mutantes litoris terminos ex variis indies fluctuum reciprocationibus: sed vero est similius, rariorem vocem, ut fit, usitatiore extrusam esse, ad gustum inscitorum librariorum, omnia ad doctrinæ propriæ mensuram accommodantium.

Hoc autem epitheto Lucretii monitus, *fluctifrago*, dictionem invalidissimam ex Euripide jusserim facessere, et loci veneres verâ lectione revocatâ elucere fecerim, ad Hippol. 1173.

Ἡμεις μεν, ακτης ΚΥΜΟΔΗΓΜΟΝΟΣ πελας,
Ψηκτραισιν ἱππων εκτενιζομεν τριχας:

i. e. *litoris* fracti et *demorsi* fluctibus rodentibus, *exesi:* vide nostrum mox, ver. 327. iv. 221. vi. 926. et nos ad v. 257. Horatius, od. i. 31. 8.

Non rura quæ Liris quieta
Mordet, aquâ taciturnus, amnis.

Ita locus iste scribendus, et distinguendus.

Ver. 307. *Uvescunt:* Δ. Σ. *Udescunt;* sed posterior vulgatam lectionem margini illitam ostendit. Et Gellium esse auscultandum putavi, docentem in noctt. Att. xx. 15. veteres dixisse *passum* a *pando*, non *pansum:* nam vix fieri poterat, quin casta scriptura per librariorum manus ex *dispensæ* tandem *dispansæ* prodiret. Pii editio habet *candenti;* omnino contra probabilitatem, et Nonii insuper suffragium.

Ibid. *Uvescunt.* Vox legitur in suavissimus versibus Avieni, Arat. phæn. 1578.

——— si tetro crassior orbe est,
Uvescet pluviis tellus, inflataque celsas,
Aggere devicto, superabunt flumina ripas.

Neque ambigam equidem, quin, hac etiam dictione tenus, magistrum suum Virgilius voluerit effingere, ad. geo. ii. 111.

——— at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: *uvescunt* spumis, flatuque sequentum.

Vulgo, *humescunt:* nam distinctionem, quam commenti sunt nonnulli inter has voces, mera esse grammaticorum nugatoriorum somnia loci multi scriptorum probissimorum arguunt. Aliud edicit, et omnino gregi reliquo contrarium, incertus auctor de differentiis vocum, p. 2206. ed. Putschii; qui, si tanti sit, consulendus est. Ad Horatium, sat. ii. 6. 70. librarii hæc vocabula permutavere.

Ibid. *dispessæ:* Suetonius, viii. 19.—"*dispansam* dexteræ manûs palmam." Ubi quorundam exemplarium varietatem, *dispensam*, corruptelam esse genuinæ lectionis *dispessam* vere judicat Oudendorpius. Plinius, nat. hist. ix. 3.—"arbor "vastis *dispansa* ramis:" quæ Ciceronis est "patulis *diffusa* ramis," de orat. i. 7.

Ibid. *serescunt.* Philoxeni glossarium: "Ξηραινομαι· aresco, *seresco*, siccesco." Alibi vocem in hoc sensu non reperio.

Ver. 308. *At:* V. ed. Π. *Ac.*—*humor:* L. M. *umor:* unde tentare quis posset *uvor;* sed, opinor, auditores tardos habiturus. Varro, de ling. Lat. iv. 21. fin. "Uvæ, ab *uvore*." Isidorus, origg. xvii. 5. "Uvæ dictæ, quod intrinsecus *uvore* "sunt plenæ, sucique, et pinguedinis." Ita castigandum: editur, *humore.*—*persederit:* V. ed. *pesens erit.*

Ibid. *persederit humor aquaï.* Hinc Virgilius, geo. iii. 442.

Annulus in digito subter tenuatur habendo:
Stillicidii casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus obculte decrescit vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum

——— ubi frigidus *imber*
Altius ad vivum *persedit.*

Plinius, nat. hist. xvii. 37. 4. "Pruinæ " perniciosior natura, quoniam lapsa *per-* " *sidet*, gelatque." Accedat etiam Ovidius, amor. ii. 6. 32.

Pellebatque sitim simplicis *humor aquæ.*

Ver. 309. *Visum est.* Sic Ω. plene: Π. *Visus est:* nobiscum facit Pius, dum cæteri editores *Visu est* exhibent, ecthlipsi literæ non subindicatâ: at pravo, nî fallimur, consilio. B. *fugeret.* P. *æstus;* volens, ut videtur, quartum casum numeri pluralis: male.

Ver. 310. *disspargitur.* Hanc orthographiam antiquiorem nobis conservavere V. ed. O. Δ. Π. cæteri omnes *dispergitur:* si modo, quod vix putem, ut in re ad eorum judicium levissimi momenti, suas partes lustratores codicum fideliter administraverint. Codex Leidensis vere, ut exputo, scribit ad Æn. xi. 617.

——— et vitam *dispargit* in auras.

Vide nos supra, ad ver. 14. Vegetius, de re mil. iii. 15. "Sed melius est plures " acies facere, quam milites *exspargere.*" Et ita ille alibi.

Ver. 312. *multis:* P. V. ed. Π. *multum:* mendose.

Ibid. *solis annis:* ornatu ex poëtico, cum sol sit anni dominus et rector. Hinc Virgilius, geo. i. 5.

——— Vos O! *clarissima* mundi
Numina, labentem cœlo quæ ducitis *annum:*

ad quem locum conjecturam Fabri in versu Lucretii, *olim* pro *solis*, quondam improbavi; et sententiæ non pœnitet. Idem Maro, Æn. iii. 284.

Interea, magnum *sol* circumvolvitur *annum.*

Ipse Lucretius apposite, v. 929.

*Multa*que per cœlum *solis* volventia *lustra.*

Ibid. *redeuntibus annis.* Idem Mantuanus, Æn. viii. 47.

——— ter denis urbem *redeuntibus annis*—.

Porro, hunc locum integrum Sulpicius imitatus est, apud anthol. Lat. Burman. iii. 97.

Decidens scabrum cavat unda tofum;
Ferreus vomis *tenuatur* agris;
Splendet *adtrito*, digitos honorans,
Annulus auro.

Sic et ipse videram sibilantes versiculos tersi poëtæ castigandos esse. Vulgo, *tenuatus*, et *ac trito*, distinctione ad *splendet* positâ.

Ver. 313. *habendo:* i. e. dum habetur, vel gestatur. Virgilius, geo. ii. 520.

Sed picis in morem ad digitos lentescit *habendo.*

Ver. 314. *Stillicidii casus lapidem cavat.* Sic Bionis fragmentum, ubi nos locum alium Lucretii attulimus:

Εκ θαμινης ῥαθαμιγγος, ὁκως λογος, αιεν ιοισας,
Χ' ἁ λιθος ες ῥωγμον κοιλαινεται.

Porro, vix operæ pretium fuerit admonuisse, Π. dare *Stilcidiique;* V. ed. et Vind. *Stillicidiique:* et, ut nos curavimus imprimendum ἀρχαϊκως, sine contractione, *Stillicidii*, L. M. Σ.

Versum Chærili protulit Lambinus:

Πετραν κοιλαινει ῥανις ὑδατος ενδελεχιη.

Ver. 315. *obculte decrescit vomer in arvis.* Lucretium respexit Ovidius, amor. i. 15. 31. (vide Bentleium ad Hor. od. i. 12. 45.)

Ergo, cum *silices*, cum *dens* patientis *aratri*,
Depereunt ævo, carmina morte carent.

Eleganter legit Servius, sed memoriæ fortasse lapsu, ad geo. i. 46.

——— *occulto* decrescit vomer in *arvo.*

Hinc autem vexatissimum locum Horatii corrigamus, od. i. 12. 45. qui plane in animo nostrum habebat:

Crescit, occulto velut arbor *arvo,*
Fama Marcelli:

ut Ovid. in nuce, ver. 87. quem non cito, quum sero videam hæc Heinsio præ-

Saxea conspicimus: tum, portas propter, ahena
Signa manus dextras obtendunt adtenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, quom sint detrita, videmus;

cerpta. At Horatius aperte sequitur Homerum, Il. P. 53.

Οἷον δὲ τρέφει ΕΡΝΟΣ ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
ΧΩΡΩ͂ ἐν ΟΙΟΠΟΛΩ͂.

Eustathius ad locum: φασι γαρ τα εν ερημια και μοναζοντα φυτα μαλιστα θαλλειν· τα δε μη τοιαυτα, ἡττον ευτρεφη ειναι, δια την αλληλων ευφυΐαν τῃ εγγυτητι αφαιρουμενα. Mæonidis locum Catullus versibus Latinis pulchre adornavit, lx. 39.

Ut *flos* in septis *secretus* nascitur *hortis*,
Ignotus pecori, nullo convolsus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber.

Accedat etiam non incommodus Avienus, orb. desc. 1038.

——— per inhospita cujus
Æquora *secreto* vitam produxerat *agro*.

Ovidius, quem et alii laudavere, Lucretii versus cum varietate suavissimâ expressit, in art. am. i. 473.

Ferreus adsiduo consumitur annulus usu;
Interit adsiduâ vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum? quid mollius undâ?
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

Hinc etiam Theocriteæ orationis proprietates, editoribus minime perceptas, penitius dispexeris, idyll. xiii. 31.

——— ενθα Κιαναν
Αυλακας ευρυνοντι βοες, τριζοντες αροτρον.

Vividis nimirum circumstantiis, aratri attritu et amplitudine sulcorum, boum vires atque excellentiam solertissimus poëta declaravit. Eleganter tamen, et erudite, D. Heinsius *ευθυνοντι* proponebat; de quâ re nos uberius disputavimus in Silv. Crit. iv. pp. 58, 59, 60. sed Theocriti lectio non immutanda est. His autem exorsus Avienum castigabo in orb. desc. 354.

Vomere quæ duro, quæ longi pondere aratri,
Sollicitavit humum; quæ *rectis scindere sulcis*
Tellurem docuit; quæ, *metans* partibus æthram,
Prodidit obliquo solem decurrere cœlo.

Vulgo legunt, *cædere* et *cedens*.

Ipsam Lucretii sententiam obiter quidem, sed ornatissime, sed felicissime, protulit Virgilius, geo. i. 46.

——— et, *sulco adtritus*, splendescere *vomer*.

Ver. 316. *Strata pedibus detrita viarum Saxea:* quæ ex liquefactis montium ardentium ejectamentis, congelatisque, composita fuisse probabiliter putantur; unde Juvenalis, vi. 350. quem depravatum legere est in J. Sarisb. de nugis curialium, viii. 11.

——— *silicem pedibus* quæ *conterit atrum:*

unde etiam Prudentius, contra Symm. 582.

Quique *terit silicem* variis discursibus *atram*.

De eodem Romæ pavimento Ovidius intelligendus est loqui, ad art. am. iii. 91.

Conteritur ferrum, *silices* tenuantur, ab usu—.

Ita interpungendum, ut voces *ab usu* utramque clausulam respiciant.

Ibid. *Strata viarum.* Virgilius, Æn. i. 422.

Miratur portas, strepitumque, et *strata viarum*.

Ver. 317. *ahena:* V. ed. *harena*.

Ver. 318. *obtendunt:* B. *ostendant*. Scriba fortasse voluit, *ostentant;* quod in se habere vividioris aliquid et signatioris videri possit.

Ver. 319. *tactu:* non manuum solum contrectantium, sed etiam labrorum scilicet, dum turbæ salutatrices deosculantur. Hunc morem lepidissimis versibus Prudentius præstrinxit, contra Symm. i. 208. Lucretii, ut putem, non immemor:

Mox, humeris positus nutricis, *trivit* et ipse
Impressis *silicem labris;* puerilia vota
Fudit, opesque sibi *cæsâ* de rupe poposcit:

quæ est ingeniosissima emendatio Heinsii, pro *cæcâ*, atque etiam verissima. Similiter idem Prudentius, perist. iii. 69.

Et male prodiga corda sui
Sternere *rasilibus scopulis*.

Locum Ciceronis, in Verr. iv. 43. per solertiam tempestivam Havercampus ad-

Sed, quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præclusit speciem natura videndi.
Postremo, quæquomque dies naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim crescere cogens,
Nulla potest oculorum acies contenta tueri;
Nec porro quæquomque ævo macieque senescunt:
Nec, mare quæ inpendent, vesco sale saxa peresa

movit: de quo lector est monendus, omnia, quæ prætermissurus sum, in parenthesi debere poni; nam in iis, quibus utor editionibus, tota periodus pravitate turpissimâ distinctionis obscuratur, corrumpiturque. "Herculis templum est apud "Agrigentinos non longe a föro, sane "sanctum apud illos, et religiosum;— "usque eo, judices, ut rictum ejus ac "mentum paullo sit *attritius*, quod in "precibus et gratulationibus non solum "id venerari, verum etiam *osculari*, so-"lent." Arnobius etiam, lib. vi. p. 202. huic loco illustrando idoneus superveniet: —"hæc signa, quorum plantas et genua "*contingitis* et *contrectatis* orantes." Juvenalis denique, sat. xiv. 219.

——— Cereris *tangens* aramque, *pedem*que.

Porro, vice *meantum*, Ω. habet *meantur*.

Ver. 320. *minui:* O. Δ. *nimium*, non prorsus inepte, si jungas cum *detrita*, et interpreteris *valde;* ut, "*nimiâ* levitate," iii. 388.

Ver. 322. *videndi.* Lego, *videndo:* passive. Bentleius.
Et fateor equidem, me non posse constructionem loci, ad lectionem omnium codicum MSS. et excusorum exemplarium, commode satis expedire; neque expediendam puto, quamvis interpretes nihil salebrosi atque ardui hic inveniant. Cum *videre* non male res procederet ad hunc modum: "Invida Natura præclu-"sit *nobis* τὸ videre speciem," vel formam eorum: sed a vestigiis scripturæ communis nimium recedit. Nihil igitur restat, nisi ut interpretemur *speciem videndi*, modum, vel rationem, videndi; quod an tolerandum sit, alii ferant judicium.

Ibid. *Invida:* V. ed. *Invidia.—præclusit:* G. *præcluset;* V. ed. *prædusit*, solitâ permixtione in minusculis characteribus *c* et *l* in *d*.

Ver. 325. *oculorum acies.* Virgilius, Æn. vi. 200.

Quantum *acie* possent *oculi* servare sequentum.

Ibid. *contenta:* i. e. ad mediæ vocis usum, *se contendens*, vi omni acerrime connisa. Nos autem elegantiam ac proprietatem vocabuli ubertim declaravimus et illustravimus in Silv. Crit. ii. sect. 119. ad quam lectores amandamus:

——— ἐχθρὸν γε μοι ἐστιν
Αὖτ᾽ ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Hinc autem, ut alios bene multos in hac dictione parum perceptos, probe intelligas Prudentium, hamartig. 797.

——— squalentibus unum
Contentum spinis, reptasse per ardua saxa:

i. e. se contendentem, strenue colluctantem, cum spinis. Venuste et animose Suetonius, iii. 7. "Sed Agrippinam et "abegisse post divortium doluit, et semel "omnino ex occursu visam adeo *conten-*"*tis* et *contumentibus oculis* prosecutus "est, ut custoditum sit, ne umquam in "conspectum ejus posthac veniret." Hæc est potentior atque elegantior membranarum lectio, et omnino restituenda; eo magis propria, quod oculi sint bini numero, ac mutuas operas *consocient*. Horatius, epist. i. 1. 28.

Non possis *oculo* quantum *contendere* Lynceus.

Lucani denique mentem, quam callida gens interpretum non attigerunt, plene capias, ad Phars. v. 624.

Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.
Nec tamen undique corporeâ stipata tenentur
Omnia naturâ; namque est in rebus inane:
Quod tibi cognosse in multis erit utile rebus;
Nec sinet errantem dubitare, et quærere semper
De summâ rerum, et nostris diffidere dictis.

Cum mare convolvit gentes; cum litora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo *contenta* teneri:

i. e. operam strenuissimam dans, et se vehementer tendens, ut nullis limitibus, ipso cœlo inferioribus, contineretur.

Ibid. *contenta tueri.* Memor erat loci Silius Italicus, xiii. 441.

——————— *contende tueri*,
Eductumque tene vaginâ interritus ensem.

Ver. 326. *quæquomque:* Π. *quæcomque*, vetustam scripturam castissime servans; quam, si meo jure res administrari cum bonâ lectorum veniâ potuisset, per omnem Lucretium libentissime intulissem. Sed, uti fit, dum prave cauti imaginarios errores evitare volumus, veris obretimur.

Ibid. *ævo senescunt*, proprio sensu; *macie senescunt*, secundario et tralato, ut alii optimi scriptores passim: quod tam de ipsâ sermonis formulâ, quam de vocabulo, dictum velim. Et erudite Faber monet, hunc Lucretii versum ex Pacuvii Peribœâ videri effictum, quam laudat Nonius in voce *macor:*

——————— corpusque meum *tabi*,
Mærore, ægrore, *macore senet.*

Ita fortasse in anapæsticos pedes verba digerenda sunt.

Ver. 327. *inpendent:* Vind. B. Π. Σ. *impendunt: vesco* autem deest in G. et M. et ejus vice Π. dat *nostro*, et Σ. *vasto:* quod subindicat difficultatem interpretandæ dictionis jam a præteritis seculis invaluisse. Nosmetipsi nihil ambigimus, id, quod simplicissimum est et cuivis obvium, esse etiam verissimum; velle nemirum *vesco sale*, quod *vescitur* et peredit: et nihil ultra quæri debere. Idem Philargyrio placuit ad Virg. geo. iii. 175. "Lucretius certe *vesco* pro *edace* posuit:" hunc locum laudans.

Ibid. *vesco sale:* Ausonius, epist. xxii. 27.

Et nunc paravit triticum casco sale,
Novusque pollet emporus.

Lego, *vesco sale.* Quædam MSS.

——————— *caseum* tritico, *et* sale:

proinde hoc modo locus constitui potest:

Et nunc paravit *triticum* vescum, et *salem.*

Moreti scriptor, ver. 97.

Hinc salis inspergit micas; *sale* durus *adeso*
Caseus *adjicitur.*

Bentleius.

Havercampus opportune adhibuit Ovidium, met. xi. 783.

——————— e *scopulo*, quem rauca *subederat unda*,
Se dedit in pontum.

Ibid. *sale saxa peresa.* Sidonius Apollinaris, xi. 5.

Quâ super Idalium levat Orithion in æthram,
Exesi sale, montis apex.

De regimine vero *mare inpendent*, quasi separatim legeretur *in mare pendent*, hæc ratio simplicium verborum in compositionem transvecta tantopere scriptoribus omnibus per omnes cujusvis generis dictiones frequentatur, ut putidum fuerit vel in tyronum monitionem huic insistere.

Ver. 328. *quoque:* P. *quæque;* non male, sed multo minus ad loci scopum, quam lectio recepta, facere videtur: *posset* etiam, pro *possis*, idem P. et V. ed. In B. *τὸ cernere* omnino omittitur.

Ver. 329. *cæcis:* Vind. G. M. *cæsis*, quæ vocabula confusa vidimus nuper, ad ver. 319. In Π. deest *gerit.*

[Quapropter locus est intactus inane, vacansque.]
Quod, si non esset, nullâ ratione moveri
Res possent; namque, obficium quod corporis exstat,
Obficere atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus: haud igitur quidquam procedere possent,

Ver. 330. *stipata:* i. e. *συμπιλημενα*, vel *πυκνουμενα·* quæ sunt Aristotelis voces, *περι φυσ· ακ·* iv. 9. eodem spectantes.

Ibid. *tenentur:* i. e. continentur, conglobantur, et inter se cohærent. Virgilius, geo. ii. 371.

Texendæ sæpes etiam, et pecus omne *tenendum:*

i. e. coërcendum, et stabulis continendum.

Ver. 332. *cognosse:* B. *commune;* Π. *cognosce.*

Ver. 333. *sinet:* V. ed. *sine.* Absorberi possit litera, et scripsisse Lucretius, pleniore distinctione ad finem versûs præcedentis positâ:

Nec *sine te* errantem dubitare.

Similiter, v. 1128.

Proinde, *sine* incassum defessi sanguine sudent.

Ver. 334. *De summâ:* B. *In summa:* voluit opinor, *In summam;* nec inscite, quum castæ Latinitatis auctores non minus *in rem* quærere, quam *de re* quærere, subinde dixerint.

Ver. 335. *Quapropter:* quum prorsus nihil præcesserit, ex quo fiat conclusio, nec facili sit hic versus constructione, sed impeditus obscurusque, oratione scabiosus, et ex omni parte putidissimus, in Bentleii sententiam haud invitus concesserim, spurium pronunciantis et rejiculum; quod uncinis appositis declaravi. Nihil erat magis exspectandum, quam hæc axiomata sciolos esse illituros marginibus librorum; et ea tandem decursu temporis in textum migratura.

Ver. 336. Hoc Epicureorum dogma Sextus Empiricus sic dilucide exposuit, adv. logicos, i. 213. *Μη οντος κενου, ουδε κινησις ωφειλεν ειναι, τοπον μη εχοντος του κινουμενου σωματος εις ὃν περιστησεται, δια το παντα πληρη ειναι, και ναστα:* i. e. *stipata*, ut modo noster, ver. 330. et his multa alia consimilia nullo negotio ex pluribus Græcorum scriptis accumulari possent; quibus tamen Lucretii locus maxime perspicuus, et lector non desidiosus, patientissime carebit; tantummodo ad vanam puerilemque ostentationem eruditionis facientibus, et molem pretiumque voluminis accendentibus.

Ver. 337. *namque:* Π. *neque.*—*exstat:* G. *estat.* L. et M. *est ut:* quam lectionem, positâ levi distinctione ad *est*, probat Havercampus: sed qualis inde constructio legitima sermonis enasceretur, utinam lectoribus ille aperuisset: egomet divinare nequeo. Sane, quum vix affirmes dictione *exstat* omnes numeros proprietatis et elegantiæ impleri, et literæ *t* ac *c* adeo consimiles sint in membranis, ut acerrimo obtutu oculorum vix dignoscas, non male tentem:

——————— obficium quod corporis *escit:*

i. e. officio, quod in omni tempore ac loco corpus defungetur. *Escit* nimirum *αρχαϊκως*, pro *erit*, ut norunt omnes. Melius tamen et tutius stari vulgatis arbitror.

Ver. 338. *Obficere:* Δ. *Efficere;* sed illud est in margine.

Ibid. *Obficere atque obstare.* Arnobius, lib. ii. p. 43. "Quod si non mentis elatio "—*obstaret atque officeret*, jamdudum "scire potuissetis, quid, aut quare, pro- "hibuerit fieri—."

Ver. 339. *possent:* ita Π. verissime; quodex enarratione loci manifestus patebit, et constructionem longe loculentiorem dabit. "Sine vacuo, res nullâ ratione mo- "veri possent: nam naturale officium "corporis, quo solet cuivis extrudere et "impellere conanti obstare atque resis- "tere, omnibus corporibus in omni tem-

Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, sublimaque cœli,
Multa modis multis variâ ratione moveri
Cernimus ante oculos: quæ, si non esset inane,
Non tam solicito motu privata carerent,

" pore comes individuus adesset; adeo " ut nulla corpora de suo statu possent " hilum amoveri; nec alteri utique ce- " dentia, nec invenientia vicissim quæ " illis cederent: quum nihil cogitari pos- " sit, unde principium movendi vel ce- " dendi ullo modo subnascatur." Hæc etiam, sic concinnata, disertius repræsentant ipsas Epicuri dictiones, prout eas exhibuerit Diogenes Laërtius, x. 40. *Ει μη ην ὁ κενον, και χωραν, και αναφη φυσιν ονομαζομεν, ουκ αν ειχε τα* ΣΩΜΑΤΑ *ὁπου* ΗΝ, *ουδε δι' ού* ΕΚΙΝΕΙΤΟ, *καθαπερ φαινεται κινουμενα.* Locutionem vero, *quidquam procedere*, vix opus est, ut illustremus: sic autem Terentius, And. iv. 1. 48.

——————— primo *processit parum:*

et Virgilius, ecl. iii. 94.

Parcite, oves, *nimium procedere:*

atque Horatius denique, sat. i. 5. 20.

——————— *nil* cum *procedere* lintrem
Sentimus.

Cætera omnia, et scripta manu, et typis expressa, exemplaria dant uno consensu *posset.* Idem Π. *aut*, pro *haud*, exhibet, errore in libris longe usitatissimo: et *ducet*, loco *daret*, in sequente versu.

Ver. 341. *sublima:* Σ. *sublimia.*

Ibid. *sublima*, a recto *sublimus.* Nonius Marcellus: " *Sublimus* pro sublimis. " Accius Phœnissis:

" Aut sæpe ex humili sede *sublimam* evolat."

Ita certissime castigandum in utroque loco, pro *sublima.* Præpositio *ad* tuto poterit omitti post omnia verba, ne uno quidem excepto, quæ motum *de* loco *in* locum significant: et sane pereleganter. Idem grammaticus ibidem protulit in nostram rem Sallustii fragmentum: " Nam " tertia tunc erat, et *sublima* nebula cœ- " lum obscurabat." Seneca, Med. vers. penult.

Per alta vade spatia *sublimi* ætheris.

Hinc concinnius, nî fallor, Virgilius scripsisset ad ecl. ix. 29.

Cantantes *sublima* ferent ad sidera cycni.

Nam et credibile est eum Lucretii memorem fuisse, et invenustæ cujusdam tautologiæ *τ*ὸ *sublime ad sidera*, separatim positum, affine videri possit. *Altum cœlum* et *alta sidera*, passim frequentantur.

Ver. 342. *Multa modis multis.* Hanc ejusdem vocabuli duplicationem, ad aures hercle quam jucundissime accidentem, arripuit Virgilii lepos, et frequentavit. Unum et alterum exemplum non pigebit adtulisse. Geo. ii. 327.

Magnus alit, *magno* commixtus corpore, fetus.

Æn. x. 842.

——— *ingentem*, atque *ingenti* volnere victum.

Vide nos ad geo. i. 190. Ovidius denique, ne nimius sim in re minime exquisitioris intelligentiæ, met. iii. 60.

——————— dextrâque molarem
Sustulit, et *magnum magno* conamine misit:

ad quem locum, Heinsii et Schepperi rationibus aures Icari scopulis surdiores egomet obvertam.

Ver. 344. *solicito motu:* agili nempe, crebroque, ut ex morbi inquietudine movetur aliquis, cruciatibus agitatus, vel animi districtus ægritudine: in quo genere nobis imaginem perfectissimam depinxit poëtarum pater, Il. Ω. 5.

——————— *εστρεφετ' ενθα και ενθα,—*
Αλλοτ' επι πλευρας κατακειμενος, αλλοτε δ' αυτε
'Υπτιος, αλλοτε δε πρηνης.

Noster, vi. 1036.

Solicito motu semper jactatur.

Virgilius, Æn. xii. 404.

Quam genita omnino nullâ ratione fuissent:
Undique materies quoniam stipata quiesset.
Præterea, quamvis solidæ res esse putentur,
Hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas.

————— nequidquam spicula dextrâ
Solicitat:

i. e. crebro motu tentat, et succussione. Hinc istæ pervagatæ locutiones "terram, "mare, *solicitare;*" i. e. crebro ciere ac movere. Terentius, Heaut. iii. 1. 52. ubi meritis sannis Westerhovius Eugraphii commentarios prosecutus est:

Omnes *solicitos* habui:

i. e. celeriter et continenter discursitantes. Bene Donatus: "Nihil significantius di-"cere potuit. Quid enim aliud est *soli-"citare,* quam *suo loco movere?* Solicitos "igitur habuit omnes domesticos, qui "hinc et inde ad ministrandum distine-"bantur." Vide Westerhovium.

Ibid. *privata carerent.* Non sunt omnia in Lucretio, sic ut nobis plus semel contigit admonuisse, cum superbioris judicii morositate rigidius pensitanda; neque, ut quævis dictio ad præcisum Virgiliani nitoris unguem castigata molliter effluat, æquum fuerit exspectare: his autem concessis, Turnebo jure displicuit phrasis, *privata carerent;* qui legendum proposuit, *privata jacerent:* non inscite. Nec deterius tamen fortasse fuerit, *privata manerent:* conferas iii. 548. iv. 396. v. 1120. genuinum vero esse, atque a Lucretii manu, quod daturus sum, vix addubitem:

————— motu privata, *vacarent:*

i. e. otiarentur, et inertia quiescerent. De dictionum autem *vaco* et *careo* permutatione, videas Ovid. am. iii. 4. 23. et met. ii. 422.

Ver. 345. *genita nullâ ratione fuissent:* nam, ex sententiâ Democriti, Leucippi, et Epicuri, omnia fiunt et exoriuntur ex atomorum *moventium* concursu. De hac re Aristoteles, *φυσ· ακροασ·* iv. 6. ed. Sylburg.—*λεγουσι δε,—ὁτι ἡ κινησις, ἡ κατα τοπον, ουκ αν ειη· αυτη δ' εστι φορα και* ΑΥΞΗΣΙΣ· *ου γαρ αν δοκοιη ειναι κινησις, ει μη η κενον.*

Ver. 346. *stipata:* i. e. "ita conden-"sata, ut omne spatium penitus occupa-"ret corporea natura, expleretque; et lo-"cus nullus vacuo, atque exinde motui, "qui per vacuum fit, relinqueretur."

Ibid. *quiesset:* II. *quiessent:* non absurde, si sic insuper demutare concedatur:

Undique *materie* quoniam stipata *quiessent:*

quæ quidem facilior constructio videri possit.

Ver. 347. Pergit Lucretius ex fortiori et *παρα προσδοκιαν* Vacuum concludere. "Non tantummodo Vacuum invenitur, "corporum omnigenorum prorsus expers, "et undequaque liberum, atque intac-"tile; sed in ipsis etiam corporibus va-"cuitates purissimas inesse argumentis "maxime indubiis pervinci potest."

Ver. 348. *esse licet:* L. M. *esse liceret;* G. *celiceret.* Nostri codices nihil variant, neque exsculpere valeo, quod vulgatis anteferri debeat. Editiones nonnullæ habent, *liquet;* unde monet Havercampus, sic legi posse non absurde, et distingui, locum:

Hinc tamen esse liquet raro cum corpore: cernas
In saxis, ac speluncis: permanat aquarum
Liquidus humor: et uberibus flent omnia guttis.

Sed, ut taceam de voce dissyllabâ *cernas,* post pleniorem pausam in fine quinti pedis, non temere admittendâ; hæc omnia nimis hiantia sunt ac dissoluta, flumine numerorum ingratissime cohibito, præfractoque.

Ibid. *cernas:* B. *cernes:* sed de fidelitate harum varietatum ex hoc codice ob rationes in prolegomenis meis propositas, editione Veronensi non consentiente, vehementer dubito.

Ver. 349. Ovidius, fast. ii. 332.

Roscida per tenebras Faunus ad *antra* venit.

In saxis, ac speluncis, permanat aquarum
Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis:
Dissupat in corpus sese cibus omne animantum:
Crescunt arbusta, et fetus in tempore fundunt:

Et ibidem, v. 661.

——— ut *vivo* subiit *rorantia saxo*
Antra, leves, cursum sustinuistis, aquæ.

Ver. 350. *flent:* V. ed. *fluent;* B. *fluunt;* L. M. *flent.*

Ibid. *Liquidus:* i. e. clarus, splendidus, λευκος, *albus:* vide nos ad ii. 390. Et primam hujusce vocabuli syllabam pariter produxit ad ii. 452. et alibi, nec non priorem in *liquor*. Similiter factum legimus in fidei sublestioris poëmatio apud Anth. Lat. Burm. iv. 76.

Et lac, et vini pateras, et *liquida* mella,
Jam tibi in extremas do, soror, exuvias.

Lege, "*En!* tibi."

Ibid. *Liquidus humor aquarum*. Arnobius, lib. iv. p. 137.—" quam Nilus, " maximus fluminum, *aquis* generavit ex " *liquidis*."

Ibid. *uberibus guttis*. Paullo aliter Virgilius, sed in loco consimili, et Lucretii, ut putem, memor, geo. ii. 245.

——— aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et *grandes* ibunt per flumina *guttæ:*

ubi totius orationis color summo est artificio adornatus.

Ibid. *flent*. Nihil novi elegantius, aut omnino gemellum: nam, quod frequentatur Græcis Latinisque, δακρυα et *lacrymæ* de sucis arborum et florum, nonnihil discrepat: in quo tamen genere libet exquisitissimam Plinii periodum apponere, nat. hist. xii. 54. " Sucus e plagâ manat, " quem opobalsamum vocant, suavitatis " eximiæ, sed *tenui guttâ ploratus* lanis " parva colligitur in cornua." Sic, ni fallor, legendum: vulgo, *ploratu*.

Non utique *ubertim*, ut *speluncæ* Cari, sed *tenuiter*.

Arnobius, lib. vii. 233.—" viscum est ex " corticibus profluens—*lacrimabili destil-* " *latione* coalescens."

Vulgaris ingenii poëta scripsisset:

——— uberibus *stant* omnia guttis:

nec esset spernendum, sed longe longeque infra Lucretianas veneres locutio jacuisset.

Ibid. *flent guttis*. Rarior constructio, quam æmulatur tamen Ausonius, parent. præfat. ver. 2.

Fleta prius *lacrymis*.

Etiam Prudentius, peristeph. x. 705.

Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga *flerat* roscidis livoribus.

Nec elegantiam Lucretii voluit Virgilius relinquere prorsus intentatam, geo. i. 480. de humidioris aëris effectu in miraculum perverso; cum quo conferas Ovid. met. vi. 312.

Et mæstum *inlachrymat* templis ebur.

Pulchre denique Columella, x. 25. Maronis memor:

Aut *fons illacrymat* putei non sede profundâ.

Ver. 351. *Dissupat:* i. e. διαδιδωσιν· distribuit, dispergit: nam veteribus *sipare* erat *jacere* et *spargere*, auctore Festo in *Prosapia*. Nec videtur discrepare Nonius: " Prosapies generis longitudo, dicta " a *prosupando*, ut proferendo." *Supare* igitur est extendere. Π. noster habet *Discipat*.

Ver. 352. *fetus fundunt*. Paullo aliter Virgilius, geo. ii. 521.

Et varios *ponit fetus* Auctumnus.

Eum vero Lucretianam phrasim non asservasse miror. An *ponit* corruptelâ potest fieri vetustioris scripturæ *fondit* brevius exaratæ, *fōdit?*

Priscianus, lib. i. p. 554. " *U* quoque " multis Italiæ populis in usu non erat, " sed e contrario utebantur *O:* unde Ro" manorum quoque vetustissimi in multis " dictionibus loco ejus *O* posuisse inveni" untur; *poblicum* pro publicum, quod " testatur Papyrianus de orthographiâ;

Quod cibus in totas, usque ab radicibus imis,
Per truncos ac per ramos diffunditur omneis:
Inter sæpta meant voces, et clusa domorum
Transvolitant: rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod, nisi inania sint, quâ possent corpora quæque
Transire, haud ullâ fieri ratione videres.
Denique, quur alias aliis præstare videmus

"*polchrum* pro pulchrum, *colpam* pro "culpam dicentes, et *Hercolem* pro Her-"culem." Ex hoc autem Lucretii loco, leviorem maculam abstergeas, quæ Ciceronem dehonestat, de finn. ii. 34. "Nos "vero, si quidem in voluptate sunt omnia, "longe multumque superamur a bestiis; "quibus ipsa terra *fundit* ex sese *partus* "varios, atque abundantes, nihil labor-"antibus; nobis autem aut vix, aut ne "vix quidem, suppetunt multo labore "quærentibus." Vulgo, *pastus;* at hominibus, non tam *pastus*, quam *partus*, vel *fetus*, telluris suppetunt. Carus noster, iii. 993.

——— alma liquenteis
Humorum guttas mater quom Terra recepit,
Feta parit nitidas fruges, arbustaque læta.

Nemesianus, ecl. ii. 32.

At mihi Flora comas *parienti* gramine jungit.

Jam *fundere partus* maxime propria est et pervulgatissima locutio: vide Virg. geo. i. 13. Verissime restitueram ex divinatione Ovidium, fast. iv. 88.

—— Ver aperit tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, *feta*que terra *parit:*

gramina scilicet, et flores. Suffragantur tres codices manu scripti. Vulgo, *patet;* cui lectioni frustra Burmannus patrocinatur.

Ver. 353. *ab:* P. V. ed. B. II. *a.*

Ibid. *cibus*, de arborum nutrimentis; quod exquisitius est, et lectoribus, harum venustatum sapore subtiliori contactis, sedulo notandum. In hanc rem longe longeque elegantissimus Plinii locus exstat, nat. hist. xvii. 2.—"*Arbores*, fetu "exinanitas, et foliorum quoque amissione "languidas, naturale est avide *esurire:* "*cibus* autem earum imber."

Ibid. *totas.* Sic omnes libri, atque cum integerrimâ Latinitate: nam ad dictionem usitatiorem atque generaliorem, *arbores* dico, in *arbusta* tacite comprehensam, respectus habetur: adi meas animadversiones in Soph. Trachin. 260. quæ supra contuli, ad ver. 283. et Arnobii locum, sub ver. 350. non prætermissis ad iv. 438. mox admovendis. Hæc figura constructionis acumen Lambini non effugit, qui pulchre illustravit etiam ex Hom. Od. M. 74, 75. et nostro vi. 757. Similiter Anacreon, iii. 16.

——— *και* ΒΡΕΦΟΣ *μεν*
Εσειρα, ΦΕΡΟΝΤΑ *τοξον:*

i. e. *παιδα* in *βρεφος* complicatum. Neque aliter Velleius Paterculus, ii. 115. ubi hæc formula non Burmannum solum, sed etiam Ruhnkenium, at quem virum! penitus delusit. "Cæsar ad alteram belli "*Delmatici* molem animum atque arma "contulit. In quâ *regione*, quali adjutore "legatoque fratre meo, Magio Celere "Velleiano, usus sit, ipsius patrisque ejus "prædicatione testatum est, et amplissi-"morum *honorum*, quibus triumphans "eum Cæsar *ornavit*, signat memoria." Sic, opinor, castigandum. Ruhnkenius malebat, *donavit* et *donorum;* quod mihi videtur loci majestatem non adæquare, et premere scriptorem. Hoc pacto, denique, malim Horatium interpretari, od. i. 12. 46.

——— micat inter *omnes*
Julium *sidus*, velut inter ignes
Luna minores:

Pondere res rebus, nihilo majore figurâ?
Nam, si tantumdem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est;
Corporis obficium est quoniam premere omnia deorsum:
Contra autem natura manet sine pondere inanis.
Ergo, quod magnum est æque, leviusque videtur,
Nimirum plus esse sibi declarat inanis;

i. e. " inter omnes *stellas*;" ut *sidus* dictionem includat minus generalem.

Ver. 354. *truncos:* Π. *troncos*, antiquissimæ scriptionis ante alias, ut videtur, membranas MSS. servantissimus.

Ver. 355. Cum his versibus bene commisit Lambinus simili argumento locos, et oratione, ad iv. 616. vi. 951, 952.—Pro *meant*, Π. habet *meat*.

Ver. 356. *Transvolitant:* Π. *Transvolant:* et hunc erroris fontem, nempe syllabæ, vel literæ, interpositæ omissionem, quoties quod supersit dictionis integram atque legitimam vocem efficiat, attigimus olim in Silv. Crit. ii. p. 6. Videas etiam inferius, iii. 1022. iv. 435. Liceat nobis hanc rem uno et altero exemplo confirmatam dare. Marius Victor, in gen. iii. ita etiam accuratius interpungendus:

Imperium ecce damus vobis res prorsus in omnes;
Totque inter species rerum, quæ sponte moventur,
Carnea membra quidem vestros largimur in usus,
Quanquam *interdictum* vobis a sanguine *vivo*
Esse volo.

Libri dant *interdum*, elapsis literis *ict;* et *vivi*. Stobæus, eth. serm. lii. ed. Tig. Δημαδης, ὁ ῥητωρ, ληφθεις αιχμαλωτος εν τη κατα Χαιρωνειαν μαχη ὑπο Φιλιππου, και ΣΥΝΕΣΤΙΑΘΕΙΣ αυτῳ, εκεινου παρα ποτον σεμνυνομενου, Πως ἡ συγγενεια και ἡ ὑπεροχη της Αθηναιων πολεως; Εγνως αν, εφη, ω βασιλευ, την της πολεως δυναμιν, ει Αθηναιων μεν Φιλιππος, Μακεδονων δε Χαρης, εστρατηγει. Libri, *συσταθεις*· ineptissime. Livius, i. 24. " Horatios Curiatiosque fuisse, satis constat; " nec ferme res antiqua alia est *notabilior*. " Tamen in re tam clarâ nominum error " manet." Vulgo, *nobilior;* optime vero inter se conveniunt vocabula, *constat*, *notabilior*, *clara*. Sed tempus est de diverticulo regrediendi in viam.

Ibid. *rigidum frigus:* i. e. quod facit rigere: unde Persius, iii. 105.

In portam rigidos calces extendit:

mortis nempe *frigore* rigentes. Dum vero Festus et Nonius interpretantur *rigidum* per *frigidum*, et hic provocat ad Virg. geo. ii. 316. egregie nugatur grammaticus uterque.

Ibid. *permanat ad ossa*. Paullo diversius Mantuanus, geo. iii. 457.

——— ima dolor balantum *lapsus ad ossa*.

Ver. 357. An *quæ*, vice *quod?* Bentleius. Haud placet, ne ambigua evadat constructio verborum; nec necessaria est mutatio, et hoc tempore contra morem sermonis Lucretiani fieret.
Voces, *sint quâ*, omittit Veronensis editio. Cæterum, non valet hæc conclusio poëtæ, quum sonus propagari possit per sæptum locum, non meatuum vacuorum viâ, sed ædificii concussione ex aëris vibrati pulsibus, aëra etiam externum inde commovente. Aliter, pro *vacuo* propugnator noster admirabili cum solertiâ, et versibus ornatissimis, digladiatur.

Ver. 358. *haud ullâ:* Π. *aut nullâ*. Ad posteriorem lectionem egregie constitui posset locus hoc modo, et omnino pro Cari consuetudine:

Quod, nisi inania sint, quâ possent corpora quæque
Transire, *id nullâ* fieri ratione videres.

In nonnullis exemplaribus inventum est *qua irent*, pro *fieri;* unde sic concinnes:

——— haud ullâ *quiri* ratione videres.

Ut contra gravius plus in se corporis esse
Dedicat, et multo vacuum minus intus habere.
Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci
Quærimus, admixtum rebus; quod inane vocamus.
Illud, in hiis rebus ne te deducere vero
Possit, quod queidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere squamigeris latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias, quia post loca pisces
Linquant, quo possint cedentes confluere undæ:

Vice *videres* autem, legitur etiam *valerent*: hinc non male tentes ad hunc modum:

——— haud ullâ fieri ratione *valeret*.

Interea, nihil est in vulgatis quod displicere debeat, vi majore codicum addicente.

Ver. 361. Codex Π. hunc ordinem verborum servat:

Nam, si tantumdem in lanæ *est* glomere:

quæ pede sunt dimidio manca. Fortasse:

Nam, si tantumdem in *lanaï* est glomere:

quam scribarum aberrationem valde usitatam esse per operis decursum deprehendemus.

Ver. 362. *Corporis*: Π. *corporum*; ut in sequente versu P. Vind. V. ed. B. similiter. Non probo, (conferas ver. 337.) quamvis in concessis habeatur vetustissimos *m* finalem aliquoties non elisisse; ut Ennius apud Priscian. i. p. 556.

Insignita fere tum millia *militum* octo
Duxit, delectos, bellum tolerare potenteis.

Ibid. *pendere*: G. V. ed. B. Π. *pondere*, facili errore. Pro *par*, Π. etiam habet *pars*.

Ver. 364. *inanis*: Π. *inani*; et fortasse melius: "manet utique τῷ inani sua natura sine pondere:" nam vulgata lectio *inanis*, secundo casu, a terminatione communi nonnihil ambigui, quod displiceat, nanciscitur.

Ver. 367. *Ut*: sic edidi ex ingenio meo, pro vulgari *At*; quum codices G. B. L. M. Π. Σ. habent *Aut*, haud dubie volentes, opinor, *Ut*.—*corporis*: P. V. ed. B. Δ. *corporum*: et pro *esse*, iidem præter Δ. *inesse*. Π. etiam *gravis*, vice *gravius*.

Ver. 368. *vacuum*: ita multo plures et castiores libri, G. P. V. ed. B. M. Δ. Π. Σ. Ω. quibus auctoritatibus, nullâ cogente necessitate, religionem habui obstare. Ordo est: "Et multo minus (præ leviore "corpore) habere intus vacuum:" et in his nihil absoni apparet, nihil salebrosi. Fatendum quidem est vulgatam lectionem, *vacui* dico, faciliorem videri, atque elegantiorem; sed de his minutioribus nos nunc dierum parum idonei judices habendi sumus. Aliud insuper non raro placuit poëtæ nostro, aliud autem ævi sequentis politissimis ingeniis.

Ibid. *Dedicat*: i. e. plane dicit—affirmat—significat—demonstrat: cujus sensûs Nonius in voce duo exempla protulit, unum ex Accii Alphesibœâ, alterum vero ex Cæcilii Annalibus: quæ videas. Nihil agunt igitur, neque ullo modo sunt auscultandi, qui receptam lectionem intemperanter solicitatum eunt.

Ver. 369. Hoc modo distinguendos versus Bentleius dixit:

Est igitur nimirum, id quod ratione sagaci
Quærimus, admixtum rebus quod inane vocamus.

Nos videmur nobismetipsis planiorem viam inivisse: sed nihil, aut parum, interest, quamcumque demum elegeris, ad poëtæ mentem, nemini non perspicuam.

Ver. 371. *ne*: B. *nec*.—*vero*: V. ed. B. *vere*.

Ibid. *deducere*: i. e. deorsum ducere

Sic alias quoque res inter se posse moveri,
Et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
Scilicet id falsâ totum ratione receptum est.
Nam, quo squamigeri poterunt procedere tandem,
Ni spatium dederint latices? Concedere porro
Quo poterunt undæ, quom pisces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum est corpora quæque,
Aut esse admixtum dicundum est rebus inane;
Unde initum primum capiat res quæque movendi.

in humilem vitæ vulgaris callem, a fastigiis templi, in quibus commorantur Veritas et Philosophia: vide ii. 7. 8. Hinc Virgilius, geo. iii. 10.

> Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
> *Aonio* rediens *deducam vertice* Musas.

Ver. 372. *fingunt:* G. *figunt.*—*præcurrere:* Ω. *percurrere.*

Ibid. Ordo est: "Cogor præcurrere "illud, quod quidam fingunt, ne possit te "vero deducere:" i. e. prius cogor, quam in argumento commode valeam procedere, vano cuidam argumento et temerario ἐν παρόδῳ occurrere.

Ver. 373. *nitentibus:* V. ed. *natentibus:* nam altera varietas lectionis, quam memorat Havercampus, *conatibus* dico, haud dubie mendose scribitur pro *conantibus*, τῷ *nitentibus* interpretamento. Sic absolute Virgilius, Æn. viii. 237.

> Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
> Dexter, in adversum *nitens*, concussit.

Ibid. *squamigeris:* i. e. animalibus. Incomitatâ dictione sic et Plinium usum esse video, nat. hist. xi. 50. "Simili mo- "do *squamigeris* atque serpentibus."

Ver. 374. *liquidas vias.* Virgilius, Æn. v. 217.

> Radit *iter liquidum.*

Quod hemistichium juvenis quidem elegantis ingenii ad celeberrimum *tonsorem* Cantabrigiensem, manu celerrimâ officium suum peragentem, cum summâ festivitate transtulit.

Ibid. *aperire vias.* Idem Maro, Æn. xi. 884.

> ———— pars claudere portas,
> Nec sociis *aperire viam.*

Ver. 377. *sint:* Σ. ac collationes Heinsianæ, *sunt:* et, in versu veniente, Π. non agnoscit *est.*

Ver. 379. Hoc dicit poëta, ex concessis adversarii concludens: "Quomodo pote- "rant pisces procedere, nisi cedentes latices "viam aperirent? quod tutemet etiam "confiteris. Atqui, hoc confessus, va- "cuum unâ operâ concedis: nam, nisi "esset vacuum, et pisces moveri possent, "nihil loci haberent latices, ad quem se "reciperent. Ergo datur vacuum, quum "pisces moveantur, et latices recedant."

Ver. 381. *Quo poterunt:* V. ed. B. *Quæ poterant:* levi aberratione, ut arbitrer, pro *quâ;* nec deterior hæc foret lectio.

Ibid. *quom,* vel *cum:* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *quo;* reliquiæ, nî fallor, vetustæ scriptionis, quam nos in hoc vocabulo passim exhibemus ad aliorum exemplum, *quom*, brevius exaratæ.

Ver. 382. *privandum est corpora.* De hoc genere constructionis satis jam diximus in superioribus, ad ver. 112.—Et ita concipienda est hæc conclusio: "Aut "igitur dicendum est nihil moveri posse, "aut admittendum vacuum: sed concedes "latices moveri, et piscibus locum dare: "admittis ergo vacuum."

Ver. 383. *dicundum.* Ita scriptum in-

Postremo, duo de concurso corpora lata
Si cita dissiliant, nempe aër omne necesse est,
Inter corpora quod fiat, possidat inane.
Is porro quamvis, circum celerantibus auris,
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Conpleri spatium: nam primum quemque necesse est
Obcupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod, si forte aliquis, quom corpora dissiluere,
Tum putat id fieri, quia se condenseat aër,

venitur in membranis antiquissimis G. et M. Non deperiit hæc orthographia Plauto per librariorum importunitatem, etiam in hunc diem, Merc. iv. 3. 28.

——————— atqui *dicundum* est tamen:

ut alibi in comico, et vetustis legibus Romanorum. Ciceronis etiam exemplaria aliquoties agnoscunt. Sed rem in præcedentibus jam attigimus.

Ver. 384. *initum:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. *initium:* male. *Initus* nempe, ingressus, exordium. Virgilius, geo. iv. 316. eâdem phrasi, atque *initum capere:*

Unde nova *ingressus* hominum experientia *cepit:*

i. e. unde novum hoc experimentum cœptum est inter homines. Confer geo. i. 42. ii. 175. Ovidius, exordium operis Lucretiani imitatus, de *almâ Venere*, ad fast. iv. 93.

Juraque dat cœlo, terræ, natalibus undis;
Perque suos *initus* continet omne genus.

Hinc autem in transitu labem tollam ex Ennii præclaro Medeæ fragmento, tot scriptoribus laudato:

Neve inde navis inchoandæ *exordium*
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo.

Libri, tum Ciceronis, tum Prisciani, *Cœpisset:* vide Lucret. i. 150.
Cæterum, Bentleius, pro adulterino totum versum videtur habuisse: sed immerito, meâ saltem sententiâ. Vide ver. 13.

Ver. 385. *Postremo:* Π. *Principio.*— *concurso:* sic P. B. L. M. Π. Σ. et probat Bentleius. Cæteri, *concursu.* Idem valent; sed, libris consentientibus, poëtæ nostro mos suus non erat extorquendus. Ita v. 1133.

——————— petuntque
Res ex *auditis* potius, quam sensibus ipsis.

Alius fortasse dixisset ex *auditu.* Plautus, merc. v. 2. 63.

——————— vidistin'? an *de audito* nuncias?

ubi consulas interpretes. Enim vero similes formulæ cum præpositione *de* passim obversantur, et in lexicographis comparent: vide mox, ver. 795.

Ver. 386. *Si cita:* B. L. M. Π. *Sic ita:* unde cogitatio subit, an alio modo longe diverso locus constitui debeat, concipique:

Postremo, duo de concurso corpora, lata
Sic uti dissiliant—:

i. e. "ita acta et *collata*, ut post junctas "superficies, dissiliant:" ut sit nominativus pendens *το duo corpora*, ad morem poëtarum primariorum. Magis perspicuam tamen esse, atque naturalem, adeoque anteponendam, vulgatam rationem non diffitemur.—Porro, pro *omne*, Π. *omnia.*

Ver. 387. *fiat:* ita P. B. Δ. Σ. Ω. *flat*, G. V. ed. Vind. L. M. Π. errore valde proclivi, pro *fiat.* Non erat caussæ, de quâ Lucretio *fuvat* suum editores temerarii obtruderent. Pro *possidat*, Δ. et Π. *possideat*, ut erat sperandum: nec dubitem, quin extra Lucretii pomœria dictionem *possido* inventuri essemus, si per incontinentes librariorum stylos res non stetisset: sed in his plerisque nihil nobis præter plorare ac desperare jam relictum esse, nimis constat.

Errat: nam vacuum tum fit, quod non fuit ante,
Et repletur item, vacuum quod constitit ante;
Nec tali ratione potest denserier aër:
Nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,
Ipse in se trahere, et parteis conducere in unum.
Quapropter, quamvis caussando multa moreris,
Esse in rebus inane tamen fateare necesse est.
    Multaque præterea tibi possunt conmemorando
Argumenta fidem dictis conradere nostris:

Ver. 388. *celerantibus:* P. V. ed. *densantibus;* B. *celciantibus;* Σ. *celebrantibus.* In sequente versu, Π. habet *aut,* pro *haud,* ut sæpissime alias.

Ver. 390. *quemque.* Sic sola, Pio procurata, editio Bononiensis, sine ullâ varietatis significatione; unde tuto colligimus eum suas membranas sequi. Cæteri tamen universi codices MSS. tam nostri quam aliorum, legunt *quisque:* quæ lectio quo pacto admittenda sit, nullus video. Neque hilum adjuvat Vossii conjectura *privum,* vice *primum:* hæc enim vox non tantummodo prorsus necessaria est ob venientem *deinde,* sed in eâ omnis argumenti cardo vertitur, et tota loci intelligentia consistit.

Ver. 391. *possideantur:* sic P. Vind. V. ed. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. adeo ut, quid impulerit Havercampum ad *possidantur* edendum, divinare nequeam.

Ver. 392. *Quod, si—*: i. e. "Si quis "putet corpora dissilire, non quod ita se "contingant, ut omnis aër excludatur, et "mutua collisio repellat, sed ob vim con-"densati aëris; nullo inani facto; hinc "patet eum esse falsum opinionis." Integritati autem hujusce loci nihil deest, ut quidam suspicati sunt. Et orationis series, et argumentationis vis atque perspicuitas, sunt omnibus suis numeris absolutissima.

Ibid. Π. habet *dissolvere;* et, in sequente versu, *condensat.*

Ver. 394. *quod:* V. ed. B. Σ. Ω. *quo;* i. e. in quo loco: haud deterius.—*fuit:* Π. *fit.*

Ver. 396. *denserier:* P. B. Δ. Π. *densarier:* G. Σ. *condensier;* V. ed. *condensarier;* L. M. *condenserier.* Nihil videtur mutandum; nam majoris auctoritatis variatio, *condensier,* scilicet, quæ vox sit, plane nescio.

Ver. 397. *jam:* Vind. V. ed. Π. *nam:* quorum ultimus etiam *possent,* vice secundi *posset.*

Ver. 398. Initium hujusce versûs pronomine *Se* suffarcinatum editores dedere, renitentibus et inclamantibus G. P. Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. et ipsâ Lucretii consuetudine, vi. 1188.

In manibus vero nervi *trahere,* et tremere artus:

ubi eadem audaculorum hominum temeritas similiter grassari non expalluit. Hunc absolutum verborum usum in primis adamat, et ante alios omnes poëtas, Carus noster: sed improbante, ut videtur, codicis Π. scriptore, qui dedit *sese,* pro *se.* Vide mox, ad ver. 787.

Ver. 399. *caussando:* i. e. caussas nectendo, ut interpretatur Servius ad Virgilii ecl. ix. 56.

Caussando nostros in longum ducis amores.

Bene Philoxeni glossarium: "Caussor, "προφασίζομαι:" et rursus Nonius Marcellus: "Caussari, caussam dicere vel "defendere. Accius Medeâ:

"Qui poti' 'st *refelli* quisquam, ubi nullu' 'st caus-
"sandi locus?"

Ita iste trochaïcus legendus est.

Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera tute.
Namque canes, ut montivagæ persæpe ferai
Naribus inveniunt, injectis frunde, quietes,

Ver. 401. *possunt:* ita Δ. et collationes Heinsianæ, quam lectionem, ut exquisitiorem sermonis varietatem, recipiendam duxi. Alii *possum.* Et *conmemorando* utique, " dum commemorantur," ut ver. 313. quod faciliorem dat constructionem cum τῷ *possunt.* Π. et Σ. habent *commemorandi*, quod superscribitur etiam in M.

Ver. 402. *fidem:* P. Π. *quidem.* Et pro *conradere*, P. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. *contradere;* Vind. *contrudere:* quod ultimum non prorsus abjudicandum videretur, pluribus testimoniis suffultum, si non esset omni ex parte venusta et integra recepta lectio. *Conradere*, quasi undique colligere argumentorum congeriem et *acervum.* Persius, vi. ult.

Inventus, Chrysippe, tui finitor *acervi:*

Horatium imitatus. Π. denique dat, *condicere.*

Ver. 403. *sagaci.* Hoc vocabulum de *canibus* maxime proprium usurpatur: unde accessu decoro, ut nihil supra, facilique in sequentem comparationem Carus delabitur. Plautus, Curc. i. 2. 17.

Canem esse hanc quidem magis par fuit: *sagax*
Nasum habet.

Ennius, ann. x. apud Festum, voce *nictare*, sic fortassis non male concinnari possit; et ipse etiam grammaticus:

" Vel, velutei *quâ endo* vinclis venatica pernox
" Apta solet, si forte feras ex *nare sagacei*
" Sensit, voce suâ nictat, ululatque ibi *acuta.*

" Unde est ipsa gannitio:" *Ululat* autem *acuta*, ut in *rauca sonans* Virgilii, et similibus.

Ver. 404. *cætera* deest in Ω.

Ver. 405. *montivagæ:* B. Π. *noctivagæ*, non absurde; Vind. *montivagi.* Pro *feraï*, B. *ferari;* G. L. M. *ferare:* volebant, opinor, *ferarū*, i. e. *ferarum:* quam lectionem fortasse in contextum consultius admiseram, nisi quod τὸ *montivagæ* ad *feraï*, quam ad *canes*, aliquantulo elegantius referri videatur, ut ipse Lucretius, ii. 1080.

Invenies sic *montivagum genus esse ferarum:*

et ibidem ver. 597. similiter. Seneca, Herc. Œt. 137.

Vix gratum *pecori montivago* nemus.

Videas etiam Ovid. fast. ii. 216. et hinc pendet Statius, Ach. i. 450.

——————— litora multum
Montivagæ dilecta deæ:

i. e. ferarum venatrici. Atque hoc punctis peculiariter dispositis cavendum existimavi. Hinc autem Silium emendabo, in Pun. iii. 296. loco appositissimo:

Ceu, pernix cum densa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber,
Nare sagax, e *colle* feras; perterrita late
Agmina præcipitant, volucres formidine, cervi.

Vulgo, *calle:* et hæ voces confunduntur etiam in Livio, xxxi. 42. 8.

Ver. 406. *injectis:* vulgo, *intectas;* V. ed. *in tectis;* B. *intectis:* volebant sine dubio, *injectis;* naribus utique intromissis in frondem: " se fronde intrudenti- " bus:" præ cujus lectionis elegantiâ sordet vulgatum: et ita demum edendum esse statui; nec lepidi lectores non statim sunt sincerissimam Lucretii scriptionem agnituri. Triviale est, et ingenii cujusvis e plebe, vel puerili versificatoris, τὸ *intectas fronde:* cæteris tamen libris omnibus inhæret.

Conversam phraseos figuram, nempe *aliquid naribus injicere*, plus semel dedit Scribonius Largus: et æque bene dici potest *nares in aliquo*, vel *in aliquod; injicere:* vide nos ad ii. 802.

Naso lectioni nostræ est appositus, met. iii. 249. de *canibus* Actæona deveranti-bus:

Undique circumstant; *mersis*que *in corpore rostris*,
Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi.

Quom semel institerunt vestigia certa viaï;
Sic alid ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras
Insinuare omneis, et verum protrahere inde.

Ibid. *quietes:* i. e. *αναπαυλας*, ut Plato, de legg. i. init.—*και αναπαυλαι—κατα την οδον—εν ταις ὑψηλοις δενδρεσιν εισι σκιαι.* Juvencus, evang. hist. ii. 16.

> Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
> Præbet, et aëriis avibus dat sylva *quietem.*

Hilarius, in gen. ver. 96.

> Ignibus instructo cœlo, pater optime, terras
> Excolere adgrederis: donas et munere opimo
> Regna hominum, pecudumque larem, *requiem-*
> que volucrum.

Plures scriptores has ferarum domos *cubilia* nominant; ut, exempli gratiâ, Livius Andronicus in *μειυρῳ* hexametro apud Terentianum Maurum:

> Dirige odorisequos ad *tecta cubilia* canes.

Sic rescribendum putem, pro *certa*, quamvis obstet quoque Marius Victorinus, sub fin. lib. i. art. gramm. eundem versum laudans. Possis quoque *cæca*, ut noster, ver. 409. *Κοιτας* etiam vocant Græci, in quibus utique feræ jacent *dormientes;* unde Statius, Theb. xii. 235.

> Per fluvios, secura vadi, *somnos*que *ferarum*
> Præter, et horrendis insessa *cubilia* monstris.

Libet insuper, dum in hac materie versamur, emendare Varium, apud Macrob. vi. 2.

> Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
> Si *celeris* potuit cervæ conprendere lustra,
> Sævit in absentem; et, circum vestigia lustrans,
> Æthera per nitidum tenues sectatur odores.

Libri, *veteris.*—Cæterum, ut ad Lucretium revertamur, non male legunt nonnulli, nec invenuste,

> ——————— *intextas* frunde quietes;

quos acerbius castigat Creechius, vir nec doctrinâ, nec ingenio, pollentissimus. Hanc lectionem equidem, præ vulgatâ, *intectas*, longe malim. Sæpissime permutantur *textus* et *tectus:* et sic haud dubie emendandus est Sallustius apud Isidorum, origg. xix. 23. quem laudat Preigerus: " Renones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, " atque *intortis* villis adeo hispida, ut imbres respuant;—de quibus Sallustius, " *Germani intextum renonibus corpus tegunt:*" i. e. artissime involutum. Vulgo, *intectum:* at, cum *tegunt*, quam putide! De confusione vero dictionum *tectus* et *textus*, vide Burmannum ad Anthol. Lat. v. 133. 3.

Ver. 407. *institerunt vestigia;* pro regimine usitatiori posterioribus, *institerunt vestigiis.* Virgilius, Æn. xi. 573. antiquiorum formularum amantissimus:

> ——— pedum primis infans *vestigia* plantis
> *Institerat*—:

atque itidem cum quarto casu, ut haud raro veteres comici, geo. iii. 164. Æn. vi. 563. vii. 689. Loco autem Lucretii non incommodi sunt Nemesiani versus, cyneg. 235.

> Namque et odorato noscunt *vestigia* prato,
> Atque etiam leporum secreta *cubilia* monstrant.

Unde non improbabili conatu Livium Andronicum, nuper admotum, tentes:

> Dirige *odorisequom* ad *secreta cubilia canem.*

Ver. 408. *alid:* G. M. *alit;* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. *aliud:* quorum postremus omittit *te.*

Ver. 409. *cæcas latebras.* Virgilius, Æn. iii. 424.

> At Scyllam *cæcis* cohibet spelunca *latebris.*

Ver. 410. *Insinuare—protrahere.* Suavissime perstat uti vocabulis similitudinem convenientissimam suam, jam adhibitam, attingentibus. Hæ tralationes scilicet vividissime repræsentant animi sagacitatem per omnes rerum sinuosas ambages insequentis Veritatem, et ex abditissimo recessu tandem in apertam lucem protrahentis. Sed necesse est, ille natus sit *ανευ Χαριτων*, qui consummatissimam ubique nostri poëtæ dexteritatem non mirabundus contempletur; dilucidam in pri-

Quod, si pigraris, paullumve recesseris abs re,
Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi;
Usque adeo largos haustus de fontibus amnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra senectus

nis facilitatem orationis cum figuris lepidissimis et argumentatione subtilissimâ, successu prorsus inimitabili, consociantis.

Ibid. *verum:* i. e. veritatem, ut passim. Hinc Livium mendâ purges, xxii. 39. 19. "Gloriam qui spreverit, *verum* habebit." De sinceritate hujusce scripturæ nemo dubitaverit perlecto loco. Editur, *veram.*

Ver. 411. *si:* P. *nisi.—paullum:* Δ. *parum.—recesseris:* ita G. P. Vind. V. ed. B. L. O. Π. Σ. Ω. alii, *abscesseris,* nisi quod Δ. *recesserit.—abs:* ita O. Π. Σ. vulgo, *ab.—re:* O. Π. Σ. *te.* Porro, pro *te,* Vind. *ut:* fortasse hinc non male:

——— paullum *est* abscesseris abs re.

Sed nihil est, quod in receptis reprehendi debeat. Huic formæ versûs calculum suum apposuit Bentleius:

Quod *nisi* pigraris, paullumve abscesseris ab re.

Quæ minus sunt perspicua, neque me habebunt applaudentem.

Ibid. *pigraris:* i. e. pigraveris, absolute pro Lucretii more, qui tamen in hac dictione habuit auctorem Accium in Nonii Marcelli collectaneis, voce *pigrare,* ii. 655. neque lectum caste, neque probe intellectum:

Melius *pigrasse, quamde* properasse, est nefas:

vulgo, *quam,* numeris claudicantibus. Et hoc vult poëta: "Minor est culpa festi-"nationis, quam nimiæ tarditatis. Illa "enim in acerrimos et strenuissimos mor-"tales non raro cadit; hæc autem non "nisi bardis et ignavis competit." De quâ potestate *τυ melius,* te non pœnitebit nostræ Silvæ Criticæ sectt. lviii. et ccvi. consuluisse. "*Pigro, ὀκνῶ, κατοκνῶ:*" Philoxeni glossarium, ad nostri poëtæ mentem. Et dictionem fortasse non aversetur Phædrus, iii. 6. 9. qui locus multum criticos exercuit:

Namque, ubi *pigrandum* est, et ubi currendum, scio.

Ver. 412. *Hoc:* V. ed. B. *Hic.—de plano:* V. ed. B. L. M. O. Σ. Ω. *deplano;* Δ. *deuplano;* Π. *deaplo:* quorum codex ultimus interpolat *quoque* post *hoc.—promittere:* G. *permittere,* ut passim variatur in istis præpositionibus ob compendium scribendi.

Ibid. *de plano:* i. e. plane; ut *de subito,* ii. 265. valet *subito* adverbialiter posito: *de præfacili* in Plauti MSS. Epid. v. 2. 21. vel fortasse *perfacili,* sonat *valde facile:* quibus centum alia exempla citra molestiam longioris investigationis possent suppingeri: vide dicta ad ver. 385.

Ver. 413. *haustus:* B. *haustis;* me judice, haud deterius.—*e:* sic G. P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. reliqui, *de.* Et *amnis,* vel *amneis,* G. M. vulgo, *magnis;* ut reliqui. Ordo est: "Lingua fundet haustus amnis "adeo largos e fontibus" ipsis derivatos; ad sententiam Ovidii, ex Pont. iii. 5. 18.

Gratius *ex ipso fonte* bibuntur aquæ.

Et hæc nostra ratio longe videtur anteferenda consilio eorum, qui malunt *amneis* in accusandi casu, sic versum constituentes:

Usque adeo largos haustus, e fontibus amneis—:

ut posterior clausula sit epexegesis quædam prioris; sed in hoc nec vola est, nec vestigium, concinnitatis. Omne punctum facilitatis et nitoris facile tulerit codex Vindobonensis, si tantæ auctoritates non irent obviam:

Usque adeo largos magnis e fontibus haustus:

in quo tamen editoris fidelitas non caret suspicionis. Bentleius malebat:

Usque adeo *largis haustus* e fontibus amneis:

edictis exemplarium MSS. valere jussis; et hæc loca, illustrationi inservientia, margini alleverat. Ausonius, profess. 21.

Serpat, et in nobis vitaï claustra resolvat,
Quam tibi de quâ vis unâ re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis.
Sed nunc, ut repetam cœptum pertexere dictis.
Omnis, ut est, igitur, per se, natura duabus

Et *torrentis* ceu Dulichii
Ninguida dicta;

ut Hom. Il. Γ. Horatius, sat. i. 7.

——————— ruebat
Flumen ut hibernum.

Clemens Alexandrinus, strom. i. in sophistas: Ποταμος ατεχνων ρηματων, ου δε σταλαγμος. Hæc hactenus vir doctissimus.

Ibid. *fontibus amnis*. Maro, geo. iii. 428.

Qui, dum *amnes* ulli rumpuntur *fontibus*—.

Ver. 414. *meo suavis:* M. *meos aiavis.* —*diti:* Π. *dicti.*

Ibid. *diti de pectore fundet*. His consimilia sunt, quæ cecinit de consulatu suo Tullius, divin. i. 13.

Inque Academiâ umbriferâ, nitidoque Lyceo,
Fuderunt claras *fecundi pectoris* arteis.

Aptus est etiam Ovidius, trist. ii. 335.

Divitis ingenii est inmania Cæsaris acta
Condere, materiâ ne superetur opus.

Componas insuper Horat. od. iv. 8. 5. Quin imo, apud eundem Nasonem, epist. xiv. 100. generalis est voci significatio, pro *pollens* quibus libet animi corporisve dotibus:

Quæque modo, ut possis etiam Jove digna videri,
Dives eras, nudâ nuda recumbis humo.

Ver. 415. *tarda senectus:* ut Virgilius, Æn. ix. 610.

——————— nec *tarda senectus*
Debilitat vires animi.

Ver. 416. *Serpat.* Hujusce vocabuli tralatio lectorum oculis ad vivum figuratos exhibet ingravescentis ævi indefessos ac tacitos incessus. Pulchre Juvenalis, quem huic loco Pius percommode admovit, ix. 129.

——————— *obrepit* non intellecta *senectus.*

Ibid. *vitaï claustra resolvat:* quasi scilicet carcere conclusæ, et vinculis corporeis implicitæ. Elegantissima est figura; lectissimæ sunt voces. Loci denique suavissimi non immemor erat Mantuanus, Æn. iv. 695.

Quæ luctantem animam *nexos*que *resolverat artus.*

Affinis est etiam versiculus, ut qui maxime, Preigero ad hunc locum illuminandum excitatus, ex Æn. x. 601.

Tum *latebras animæ*, pectus, mucrone recludit.

Sed mi lector, te rogatum velim, si quid tibi generosi in lævâ mamillæ parte saliat, an quidquam frigidius, insulsius, aut odiosius denique, atque ad nauseam faciendam pulchrius comparatum, quam illud *pectus?* Quasi scilicet proprium glossatorem fieri poëtam nobilem lectoribus erat expectandum, aut in illis rursus tanta erat inscitia præsumenda, ut quid sibi vellet phrasis *animæ latebras* non quirent assequi. Ocyus abigas eo, unde pedem infaustum promoverit, illepidum interpretamentum, eâ de caussâ tuto delitescens, quod dictionis extrusæ sono formæque non dissideat:

Tum latebras animæ, *sectas* mucrone, recludit.

Ipse divinus artifex, ibid. xii. 339.

Ense *secent* lato volnus, telique latebram
Rescindant penitus.

Ver. 418. *missa:* de linguâ scilicet, per vocem; quâ in re passim hoc vocabulum frequentatur. Satis sit Virgilii testimonium in loco non absimili, Æn. iv. 428.

Cur mea *dicta* negat duras *demittere in aures?*

et Arnobii, lib. vi. p. 192. "undique ad "se *missam vocem* Deus exaudiet."

Non dissimiliter Græci σπειρειν, et Latini *spargere;* unde aliquando dubitavi, an idem Virgilius hinc sit reformandus, ad ecl. iii. 27.

Stridenti miserum stipulâ *dispergere* carmen?

Nam quid sibi velit το *disperdere* in hoc

Constitit in rebus: nam corpora sunt, et inane;
Hæc in quo sita sunt, et quâ divorsa moventur.
Corpus enim per se conmunis dedicat esse
Sensus: quoi nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit, obcultis de rebus quo referentes
Confirmare animos quidquam ratione queamus.
Tum porro locus, ac spatium, quod inane vocamus,
Si nullum foret, haud quâquam sita corpora possent
Essé, neque omnino quoquam divorsa meare:
Id, quod jam supra tibi paullo obtendimus ante.
Præterea, nihil est, quod possis dicere ab omni

loco, vix liquet, et voces *miserum* et *stridenti* satis implent poëtæ mentem, premendâ peritiâ cantoris. Vide Silv. Crit. v. p. 107. et judicio tuo utere.

Ver. 419. *ut:* sic G. Vind. V. ed. B. L. M. Π. Ω. reliqui, *jam:* et, pro *pertexere*, Vind. et Δ. *prætexere*.

Ibid. *repetam pertexere;* ut infra, vi. 936. *repetam conmemorare:* quæ sunt locutiones, nî fallor, longe rarissimæ.

Ver. 421. *Constitit in.* Hanc lectionem præbent G. P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. et Π. etiam agnoscit *in*. Alii, *Consistit.*

Ver. 423. *conmunis:* P. *communeis;* V. ed. B. O. Π. *communes:* et *dedicat* habent omnes libri vetusti, tam impressi, quam manuscripti. Nonnullarum editionum *deliquat* Lambini fetus est, ut etiam ad ver. 368.

Effatum vero magistri ejus Epicuri, quod Lucretius in hoc loco poëtice exposuit, ita legitur apud Diogenem Laërtium, x. 39, 40. sic, ut videtur, constituendum atque adimplendum: *Το παν εστι σωμα, (τα μεν γαρ σωματα ὡς εστι, και αυτη ἡ αισθησις επι παντων μαρτυρει, καθ' ἡν αναγκαιον το αδηλον τῳ λογισμῳ μαρτυρεισθαι, ὡς περ προειπον το προσθεν)* ΚΑΙ ΚΕΝΟΝ· *ει* ΓΑΡ *μη ην, ὁ κενον και χωραν και αναφη φυσιν ονομαζομεν, ουκ αν ειχε τα σωματα ὁπου ην, ουδε δι' οὑ εκινειτο, καθα περ φαινεται κινουμενα.*

Ver. 424. *quoi*, vel *cui:* sic G. P. V. ed. M. Δ. Σ. reliqui, *quo:* et in sequente versu M. habet, *se ferentes*, vice *referentes.*

Ver. 426. *animos:* ita P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. reliqui, *animi;* minus doctâ constructione, quam est nostræ lectionis. *Confirmare animos quidquam:* *τι*, i. e. *κατα τι πληροφορησαι τον νουν*—*quidquam:* V. ed. Π. *quoquam;* Δ. *quaquam*, vulgatâ tamen lectione margini adscriptâ.

Ibid. *Confirmare animos.* Virgilius, geo. iv. 386.

Omine quo *firmans animum*—.

Ver. 428. *quâquam:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Σ. vulgo, *usquam;* Π. *quicquam.*—*sita:* P. *cita;* Π. *scita.*

Ver. 429. *quoquam:* sic G. Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. Vulgo, *quaquam*. Pro *neque*, Π. habet *nec.*

Ver. 430. *quod:* Π. *aliquid.*—*supra:* vide ad verr. 532. 544. B. O. Π. Σ. Ω. *superat;* arreptâ, ut solet evenire, primâ dictionis sequentis literâ.

Ver. 433. *Quod:* V. ed. B. Π. Σ. *quo:* et, pro *numero*, Vind. V. ed. B. P. Δ. Π. Σ. habent *rerum*, sed male.—*sit tertia*, ex transpositione, Π.

Ver. 434. *quodquomque:* Π. *quodcomque:* et loco *aliquid*, P. *aliud;* nec inscite: nempe *id ipsum aliud*, *το ἑτερον τουτο*, " de " quo loqueris, ut de re a corpore sejunc- " tâ, et secretâ ab inani; ab utroque *παν-*

Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani;
Quod quasi tertia sit numero natura reperta.
Nam, quodquomque erit, esse aliquid debebit id ipsum
Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum sit;
Quoi si tactus erit quam vis levis, exiguusque,
Corporis augebit numerum, summamque sequetur:
Sin intactile erit, nullâ de parte quod ullam
Rem prohibere queat per se transire meantem;
Scilicet hocc' id erit vacuum, quod inane vocamus.
Præterea, per se quodquomque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum,

" *της αφωρισμενη*, et sui generis." Porro, vice *id*, V. ed. *ad*.

Ver. 435. *Augmine:* Vind. V. ed. O. Δ. *agmine*, ut deamant librarii verba inusitatiora cum pervagatis commutare. Quam variationem in hac voce minime omnium mirari debemus, cum Arnobius, lib. vii. p. 249. Lucretium suum sequi mallet contra omnium aliorum poëtarum consuetudinem: " ex Epidauro tamen quid est " aliud allatum nisi *magni augminis* co- " luber?" De *serpentibus* enim alia dictio passim usurpatur. Vide ad ii. 72.

Ver. 436. *tactus: παθητικως* nimirum; " si id habeat, ex quo tactui fiat obnoxi- " um."

Ver. 437. *Corporis:* ita G. L. M. Δ. Σ. Ω. reliqui, *Corporum*. Indignabantur utique scribarum natio, *numerum* stare pro *quantitate:* hoc autem sæpius factum invenitur. Sic Xenophon, anab. vii. p. 600. ed. Oxon. *ὁ αριθμος αργυριυ*, quod aliis est *vis*, vel *copia*, *argenti*. Cicero, in Verr. ii. 72. " magnum *nume-* " *rum frumenti*, vim mellis maximam." Hirtius, bell. Afr. 67. " Ibi in campo " castris unis positis, ipse, frumentatum " circum villas cum parte equitatûs pro- " fectus, *magno* invento *hordei*, olei, vini, " fici *numero*, *parco* tritici, atque recrea- " to exercitu, redit in castra." Ita emendandum: libri, *pauco;* codex unus, *parvo*, ex interpretatione scilicet. Columella, x. 6. ut alii non raro; unde mireris interpretes ad locum tam strenue nugari:

Principio, sedem *numeroso* præbeat *horto*
Pinguis ager.

Fortasse tamen Hirtium Sedulius defendet, iii. 73.

——— quos non mala *dæmone pauco*
Sed legio vexabat atrox:

et Hyginus, fab. 194. " Post *paucum* " *tempus* nunciatur Pyrantho, navem Co- " rinthum delatam tempestate, in quâ " Arion vectatus fuerat."

Ibid. *summam sequetur*. Rarissimum locutionis genus, sed ex translatione, ut putem, hominis tardius venientis, et se tandem turbæ comitum, qui, in triumphum puta, prius egressi erant, immiscentis. " Hoc erit utique ex particulis, " quæ gregatim summam cujusvis corpo- " poris conficiunt." Aristoteles, *φυσ. ακρ.* iv. 7. *σωμα δε παλιν ἁπταν οιονται ειναι ἁπτον.*

Ver. 438. *intactile: αναφες.* vide ad ver. 305.

Ver. 439. *transire:* G. L. M. *transere*. Si quid lateat usûs antiquioris, vel aliud quod libet, egomet ei protrahendo non sum.

Ver. 440. *hocc' id:* voces transpositas exhibet Π.

Ver. 441. *quodquomque erit*, ut vacuum; *faciet quid*, ut corpus.

Ver. 442. *fungi:* B. *fingi;* O. Δ.

Aut erit, ut possunt in eo res esse, gerique:
At facere, et fungi, sine corpore nulla potest res;
Nec præbere locum porro, nisi inane vacansque.
Ergo præter inane, et corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui;
Nec, quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam, quæquomque cluent, aut hiis conjuncta duabus

fundi, ut hic mox etiam, ver. 444.—*debebit:* V. ed. B. *debebat.*

Ibid. *fungi:* χρησασθαι, *uti:* et mox ver. 444. valet *pati.* Sic Arnobius, ii. p. 62. qui pluribus locis Cari nostri lucem dabit: "Omnis enim passio, *leti* atque "interitûs *janua* est," (confer ver. 1105) "ad mortem ducens via, et inevitabilem "rebus afferens *functionem:* quam si "sentiunt animæ, et tactui ejus atque in-"cursionibus cedunt; *usu* et illis est vita, "non mancipio, *tradita:*" vide iii. 984. Philoxeni glossarium: "*Fungitur* officiis, "κεχρηται οφφικιοις."

Ver. 443. *possunt:* ita libri vetustissimi G. L. M. non temere repudiandi, cum Vind. et V. ed. Reliqui, *possint.* Erit igitur *ut possunt* phrasis *finalis*, quod dicitur, non *caussalis.*

Ibid. *geri:* i. e. moveri, crescere, dissolvi, et omnia denique sua, quæcunque sint, officia peragere. Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 67. το δε κενον ουτε ποιησαι, ουτε παθειν, δυναται, αλλα κινησιν μονον δι' ἑαυτου τοις σωμασι παρεχεται.

Ver. 444. *At:* B. Π. *Aut.*

Ver. 445. *nisi:* V. ed. B. Π. *nec:* quorum ultimus in ver. seq. *corpora tertia* transponit.

Ver. 447. Hæc, et quæ statim veniunt, ex Epicuri fontibus, ut eos nobis Diogenes Laërtius apertos reliquit, derivantur. Sic ille, x. 40. Παρα δε ταυτα, (σωματα nempe, και κενον) ουθεν ουτε επινοηθηναι δυναται, ουτε περιληπτως, ουτε αναλογως τοις περιληπτοις, ὡς καθ' ὁλας φυσεις λαμβανομενα, και μη ὡς τα τουτων συμπτωματα, η συμβεβηκοτα, λεγομενα. Qui locus, quum ad Lucretii intelligentiam summopere faciat, et diligentissime sit animadvertendus, Latine redditum quam perspicue dabimus. "Sed, præter corpus et vacuum, nihil "neque intelligi potest, vel animo com-"prehensum, vel simile eorum, quæ so-"lent animo comprehendi; quasi pro-"priam naturam possidens, et non poti-"us rerum verarum accidens, vel even-"tus."

Ver. 450. *quæquomque:* Π. *quæcunque*, ut fere semper, in hac voce, et cognatis.—*duabus:* G. L. M. *duobus:* et *his* nostri omnes usitatissime scribunt *hiis;* qui an purus sit archaïsmus, edicere confidenter non valeo. De hac autem re quid explorare quiverim, dabitur ad v. 350. Ex varietate interea antiquissimorum codicum *duobus*, nihil mutationis disquirendum; cum sit simillimum veri, librarios, ut in loco valde perspicuo, poëtam mente præcucurrisse, veniens substantivum non sperantes, sæpius utique subintellectum.

Ibid. *conjuncta*, συμπτωματα· ut *eventa* sunt συμβεβηκοτα.

Ver. 452. *numquam:* L. M. Ω. *nusquam;* et ferri potest: nam, sive dicas non esse separandum ullo *loco*, seu ullo *tempore*, quid intererit? *perniciali:* Δ. *iniciali.*

Ver. 453. *Discidio:* Ω. *Distigio.*

Ver. 454. *saxi:* ita P. et nonnullæ aliæ editiones antiquiores; ut Δ. quoque, nisi quod *s* derasa sit: reliqua omnia exemplaria, *saxis.*—*ignis:* sic omnia omni

Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.
Conjunctum est id, quod numquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque gregari:
Pondus utei saxi est, calor ignis, liquor aquaï,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Servitium contra, paupertas, divitiæque,
Libertas, bellum, concordia, cætera, quorum
Adventu manet incolomis natura, abituque;

genere exemplaria; ut plane nesciam quo modo se tueri valeat vulgatum *ignibus.*—*calor:* Π. *color.*—*aquaï:* P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. *aquarum;* L. *aquæ*, solenni mendâ.

Ex his autem varietatibus lector nasutus statim intelliget, me cogitate interposuisse τὸ *est* ex ingenio. Compendio scilicet scripturæ enatum est illud *saxis*, omisso *t* post coalitas dictiones, *saxi'st:* nam consensus librorum omnium in *ignis*, et nonnullorum lectio *aquarum*, satis ostendunt, qualem constructionem totius versûs Lucretius voluerit. Qui scribebant *aquarum*, obviam eis volebant ire, quibus placuit τὸ *ignibus*, et *saxis*, formâ vocis illatâ nemini in controversiam vocandâ; nam arbitrabantur quidam, veteres in primâ declinatione solitos esse nomina genitivo casu per *as* proferre, item dativo per *aï;* uti docet Sosipater Charisius, p. 7. exemplum tamen terminationis *aï* in dativo, ut putem, non exstat. Unde mox in grammatici loco error operarum sit necesse est, ne ipse sibi contradicat: ipsum adeas. Porro, ne numerus unitatis in voce *saxi* lectorem quemlibet remoretur, et nostrum de loco judicium videatur infirmare, sic ipse Lucretius, ii. 102.

Hæc validas *saxi* radices—:

amat etiam, quoties generalis dictio sit, eundem etiam numerum vocis *ignis*, ut ex pluribus locis abunde constat.

Ibid. *liquor aquaï:* ut in carmine perlepido, apud Anthol. Lat. Burman. iii. 51. 9. quod ex altiori petitum dabimus, ut mendâ crassissimâ expurgetur, et probis distinctionibus concinnius procedat:

Hortus salubres corpori præbet cibos,
Variosque *cultus*. *Cæpe* cultori refert,
Olus suäve, multiplex herbæ genus,
Uvas nitentes, atque fetus arborum.
Non defit hortis et voluptas maxima,
Multisque mista commodis jucunditas.
Aquæ strepentis vitreæ lambit *liquor;*
Sulcoque ductus, irrigat rivus *sata*.

Vulgo, *sæpe:* nec necessarium videtur, loco sic interpuncto, ut Heinsii divinatio, *fructus*, pro *cultus*, in contextum admittatur; nam voces *cultus* et *cultori* sic divisæ non offendunt.

Ver. 455. Aliam huic versui constructionem noster maluit, ad quam præcedentis quoque versûs ibant compositum nonnulli scribæ; sed inscitissime, cum non aliud magis poësin commendet, quam varietates hujusce modi cum judicio factæ, aut a didacticis scriptis, ut sunt ingenio minus hilari ac jucundo, satietatem efficacius defendat.

Ver. 456. *paupertas:* sic G. P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui, ut in vulgatis editionibus, vocabula *paupertas* et *libertas* exhibent ordine transposito. Delicatuli scilicet exscriptores quidam par pari jungendum esse sibi per summam inscitiam persuaserant; nam contra, τὸ *que*, non alias in sententiâ adhibitum, duo nomina prorsus aliena insuavissime consociasset: quod tamen editores haud perspexere, neque etiam absurdum esse, poëtarum ingenia legibus, ex nostro arbitrio cogitatis, citra necessitatem contineri.

Hæc solitei sumus, ut par est, eventa vocare.
Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo;
Tum, quæ res instet, quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidâque quiete.
Denique, Tyndaridem raptam, belloque subactas
Troiugenas genteis quom dicunt ESSE, videndum est,
Ne forte hæc per se cogant nos ESSE fateri;

Ver. 457. *Libertas:* sic G. P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω.

Ver. 458. *natura:* abest in B.—*abitu:* Vind. Π. Σ. *habitu.*

Ver. 460. *Tempus non est—rebus ab ipsis.* Hinc Virgilius, Æn. vii. 37.

Nunc age, qui reges, Erato, quæ *tempora rerum*—.

" Quia, ut diximus supra, ad Æn. iii. " 587. secundum Lucretium, *tempora,* " nisi ex *rebus* colligantur, per se nulla " sunt." Servius.—BENTLEIUS. Diogenes Laërtius, x. 73.—*ταις ἡμεραις, και ταις νυξι, συμπλεκομεν χρονον, και τοις τουτων μερεσιν· ὡσαυτως δε και τοις παθεσι, και ταις απαθειαις, και κινησεσι, και στασεσιν· ἰδιον τι συμπτωμα περι ταυτα παλιν, αυτο τουτο, εννουντες, καθ' ὁ χρονον ονομαζομεν.* Verba sunt ipsius Epicuri, atque hoc modo distinguenda. Similiter, Isidorus, origg. v. 31. " *Tempus* per se non intelli- " gitur, nisi per *actus humanos.*"

Ver. 461. *sensus:* Σ. *tempus,* sed vulgatum est in margine. V. ed. interpolat *quum* post *consequitur:* et, pro *ævo,* dat Π. *ævum;* i. e. *ævō.*

Ver. 462. *Tum:* Π. *Cum;* Σ. *Tunc.* —*instet:* Ω. *inest.*—*deinde:* Π. *denique.*

Ver. 463. *quemquam:* Π. *quicquam:* et vocabula *quemquam tempus* transposita dant Vind. Π.

Ver. 464. *placidâ quiete.* Virgilius, Æn. ix. 187.

———— *nec placidâ* contenta *quiete* est.

Ver. 465. *Tyndaridem:* Π. *Tyndaridam.*

Ver. 466. *quom:* P. Vind. B. Δ. Π. Σ. *ut,* æque bene: i. e. " considerare debe- " mus *quo modo,* quo nempe sensu, de " his eventis dicant ea *esse;*" quasi de rebus *jam nunc exsistentibus;* et ob hanc rationem *tempus,* utpote eventis consociatum, sit aliquod certum, et reapse permanens.

Ibid. Res gestas non esse per se: verr. 479, 480. BENTLEIUS.

Ver. 467. *nos:* Δ. *vos.*—*Esse:* P. *cuncta;* Vind. Π. *contra.*

Ver. 468. *quorum:* Π. *quando;* G. *corum,* solitâ variatione, ut *cur* pro antiquo *quur,* et similia, ex mutatâ pronunciatione originem ducentia. *fuerunt:* ita G. L. *fuerit,* M. mendoso unius literulæ ductu, pro *fuerũt,* i. e. *fuerunt.* Reliqui, *fuere.*

Ibid. *secla hominum.* Maro, geo. ii. 295.

Multa *virûm* volvens durando *secula* vincit.

Ver. 469. *abstulerit ætas.* Idem conditor Æneïdos, vi. 429.

Abstulit atra *dies*—.

Arnobius, lib. iii. p. 104.—" quidquid " prior *ætas abstulisset*—."

Ver. 470. *terris.* Hæc est omnium librorum, quotquot sunt, scriptorum lectio. Quod in editis legitur, *το* rebus nempe, commentum est ipsorum editorum, poëtæ laboranti succurrere volentium. In his autem angustiis, unde Lucretius, salvo suo argumento, et receptis lectionibus pertinaciter retentis, nullo acumine extricari potest, molliorem medicinam potius

Quando ea secla hominum, quorum hæc eventa fuerunt,
Inrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.
Namque aliud terris, aliud legionibus ipsis,
Eventum dici poterit, quodquomque erit actum.
  Denique, materies si rerum nulla fuisset,
Nec locus, ac spatium, res in quo quæque geruntur;
Numquam, Tyndaridis formæ conflatus amore,
Ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
Clara adcendisset sævi certamina belli;

faciendam esse existimavi, reponendo scilicet *legionibus* in locum τῦ *regionibus*; ut idem valeat ista dictio cum στρατῷ Græcorum, *populo* generaliter: vide nos ad Soph. Philoct. 387. Hinc Virgilius, Æn. v. 824.

> Tritonesque citi, Phorcique *exercitus* omnis.

Voces autem *regio* et *legio* subinde confundi, nos docuimus ad Horat. sat. i. 6. 4. ex certissimâ emendatione: et in Lucretii loco vel aptissima haberi potest dictio; quum de rebus bellicis et *exercitibus* Graiorum atque Trojanorum instituatur sermo. Vide ad iii. 1341.

Porro, argumentum Lucretii sic se habet: " Quicquid transactum sit, id recte dicas " vel *hominibus* quisbusdam, vel *terris* " quibusdam (et restat nihil tertium) " *evenisse;* ea autem *esse* nullo modo " recte dixeris: ergo *tempus* etiam, his " conjunctum, *nullum est;* neque aliud " in naturâ rerum, præter *corpus* et *in*- " *ane*."

Ver. 474. *conflatus Ignis.* Elegantissime dictum est, quum *incendia* solus suscitet ventorum *flatus*. Hinc, ob usum *follium* fabrilium in hoc negotio, *auras* accipientium atque reddentium, Virgilius, geo. i. 508.

> Et curvæ rigidum falces *conflantur* in ensem.

Hinc etiam, si cum his comparare velis, quæ statim sequuntur de voce *glisco*, elegantiam Valerii Flacci, ii. 278. plenius degustabis:

> ———————— facit ipse verendam
> Nam deus, et *flatu* non inscia *gliscit anhelo*.

Pro *formæ*, vetustissimi libri G. L. M. *forma:* quid sibi velit plane nescio, nisi sit error etiam in *amore*, sic auferendus:

> Numquam, Tyndaridis *formâ* conflatus, *amoris* Ignis:

sed non satis caussæ esse videtur, ut a vulgatis abscedamus.

Ver. 475. *Alexandri Phrygio pectore.* Poëtice dictum est, et ad morem unice Lucretianum, pro *Phrygii Alexandri pectore.* Vide supra, ad verr. 10. 120. iii. 372. et nos ad Mosch. idyll. ii. 121. Ita Virgilius, Æn. viii. 526.

> *Tyrrhenus*que *tubæ* mugire per æthera *clangor:*

pro, *clangor Tyrrhenæ tubæ.*

Ibid. *Ignis gliscens.* Vocabulum *glisco* satis pervagatum est; sed *igni* et gemellis vocibus potissimum conjungi solet, ut usu summe proprio. Pulchre de Sirii ardoribus Valerius Flaccus, v. 372.

> ———— illum tanto non *gliscere* cœlo
> Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.

Ubi satis mirari nequeo, Heinsium, ex varietate codicis *foribus*, conjecisse *roribus*, quasi commutatio τῶν *r* et *t* minutioris scripturæ non multo magis in proclivi staret, quam τῶν *r* et *f;* cum præsertim recepta vox longe sit longeque elegantior. Sed nihil intactum relinquebat, vir omnium ingeniosissimus in hac solertiâ conjectandi. Anthol. Lat. Burm. iii. 265.

> Crescit arbor, *gliscit ardor*, ramus inplet literas.

Hinc autem videtur Sallustius corrigendus, Jugurth. 4. 6. " Scilicet non ceram

Nec clam durateus Troianis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum:
Perspicere ut possis, res gestas funditus omneis
Non ita, utei corpus, per se constare, neque esse:
Nec ratione cluere eâdem, quâ constat inane:
Sed magis ut merito possis eventa vocare

"illam, neque figuram, tantam vim in "sese habere; sed memoriâ rerum ges- "tarum eam *flammam* egregiis viris in "*pectore gliscere*, neque prius sedari, quam "virtus eorum famam atque gloriam adæ- "quaverit." Vulgo, *crescere;* ex glossâ, ut putem; nam phrases Lucretianas adamat, ut est antiquioris orationis sectator, castigatissimus historicus. Vide Nonium in voce *gliscit*, i. 83.

Ver. 476. *Clara:* i. e. splendida—fulgentia, ut constet cum *ignis* et *adcendisset.* Virgilius, Æn. ii. 705.

——— et jam per mœnia *clarior ignis*
Auditur, propiusque æstus *incendia* volvunt.

Ibid. *adcendisset sævi certamina belli.* Idem, Æn. vii. 482.

——— *bello*que animos *adcendit* agrestis:

et rursus, ibid. x. 146.

——— duri *certamina belli:*

ut alibi sæpius similiter; et *sæva prælia*, xi. 727.

Ver. 477. *clam.* Π. *tam;* abest B.—*durateus:* Π. *dura reus;* Σ. *dura tenus.* —*Troianis:* sic P. B. Vind. L. M. O. Π. Σ. et elegantissime dicitur *inflammare Trojanis;* ut summæ sint inscitiæ postulandi, qui librorum reliquorum lectioni, *Trojaï* scilicet, nostram posthabuerint. V. ed. *Troianus.*

Ibid. *durateus.* Civitate Româ non mutatam Homeri dictionem donavit noster. Od. Θ. 493.

Αλλ' αγε δη μεταβηθι, και ἱππου κοσμον αεισον
ΔΟΥΡΑΤΕΟΥ, *τον Επειος εποιησε συν Αθηνῃ·*

i. e. lignei, ut Propertius, iii. 7. 42.

Victor Palladiæ *ligneus* arcis *equus.*

Euripidi est *δουρειος ἱππος*, Troad. 14. quam formam sequitur Aurelius Victor, orig. gent. Rom. i. 7.—"de enumera- "tione eorum, qui *equo durio* digredie- "bantur."

Ibid. *partu.* Hinc Virgilius, Æn. ii. 238.

——— Scandit fatalis machina muros,
Feta armis:

conferas ibid. ver. 20. Æn. vi. 516. qui auctorem habuit Euripidem, l. c.

Εγκυμον' ἱππον:

et Lycophrona, ver. 342.

——— *τον ωδινοντα μαρμαρον λοχον.*

Hac tralatione licentius abutitur Tryphiodorus, ver. 382—389. elegans tamen locus est, neque indignus, qui in transcursu emendetur:

Τοιος αριστηων λοχος ερχεται, οἱς επι χαρμην,
Τευχεσιν αστραπτοντας αμαυροτατην ῾ΥΠΟ *νυκτα,*
Τεξεται οβριμος ἱππος· επι χθονα δ' αρτι θοροντες,
Ες μοθον ὁρμησουσι τιλμοτατοι πολεμισται.

Vulgo, *επι.* Et ejusdem figuræ est vox *θοροντες*, et tota phrasis *επι χθονα θοροντες·* vide Stat. silv. i. 2. 109. unde egregie illustrabitur noster, v. 224.

Tum porro puer, ut sævis *projectus* ab undis
Navita, nudus *humi jacet*, infans, indigus omni
Vitali auxilio.

Porro, Ovidius, art. am. i. 364. de Trojâ:

Militibus *gravidum* læta recepit *equum.*

Denique, cum potiores videantur dactyli, legibus metri non obstantibus, consultius fortasse excudendum curavissem per diæresin *Troïanis*, ut Seneca, Troad. 824.

Misit infestos *Troiæ* ruinis.

Ver. 478. *equus:* G. M. *equos;* veterrimam scripturam, et fortassis in Lucretio verissimam quoque, retinentes.

Ver. 479. *Perspicere:* Π. *Perspice.*—

Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quæ constant principiorum.
Sed, quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis
Stringuere; nam solido vincunt ea corpore demum;
Et si difficile esse videtur credere quidquam

possis: V. ed. Vind. Π. Σ. *possit:* unde oboritur suspicio, his inter se collatis lectionibus, ita refingendum esse:

Perspici utei possit res gestas—.

Ver. 480. *ita utei:* absunt a G. et M. —*neque:* ita G. P. V. ed. B. Vind. L. M. O. Π. Σ. Ω. et auribus meis mollius. Reliqui, *nec.*

Ver. 481. *cluere:* G. M. Π. Σ. *luere;* L. *fluere;* V. ed. *duere*, coalescentibus, ut sæpe alias, literis *c l* in *d.*—*quâ:* Ω. *quia.*—*constat:* B. Ω. *constet.*

Ver. 483. *Corporis:* V. ed. Π. *Corporum:* mendosissime; sed jam dictus est nobis hic Hylas.—*gerantur:* V. ed. *geruntur.*

Ver. 484. Hi versus Epicuri verba, sed cultu poëtico adornata, repræsentant, sic ut leguntur apud Diog. Laërt. x. 40. *Των σωματων τα μεν εστι συγκρισεις, τα δε εξ ὧν αἱ συγκρισεις πεποιηνται· ταυτα δε εστιν ατομα, και αμεταβλητα.*

Ver. 485. *concilio:* Ω. *consilio.*—*quæ.* L. Σ. *qua;* V. ed. *que.*

Ver. 487. *Stringuere:* ita G. L. M. reliqui, *Stringere.*—*nam:* Π. *non.*—*vincunt:* P. V. ed. *evincunt.*

Ibid. *Stringuere:* i. e. elidere—deterere—deradere—defringere—desecare. Virg. Æn. viii. 62.

—— ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringuentem ripas, et pinguia culta secantem.

"Radentem, imminuentem;" Servius: ut noster, v. 257.

———— ripas *radentia* flumina *rodunt.*

Adsit Ausonii distichon, incomparabili venustate, id. ii. 55.

Ne fortunatæ spatium *inviolabile* vitæ
Fatali *admorsu stringeret* ulla dies:

ad limæ fabulam et viperæ forsitan alludens, nec immemor Virgilii, geo. ii. 379. Libet etiam, dum in hoc sumus, emendatiorem dare Prudentium, psychom. 305.

Dixit; et, auratis *perstringens* aëra pennis,
In cœlum se virgo rapit.

Vulgo, *præstringens*, ineptissime; nam ea vox valet, *superficiem rei tergere.* Varietas Vat. cod. *perfringens*, interpretamentum erat veræ lectionis. Dici vero vix potest, quam crasse et nullo cum judicio, ut mos est grammaticorum, de his dictionibus Nonius Marcellus egerit; et maxime, dum vocem simplicissimæ potestatis in tot diversas significationes dispertiatur. Sed rem proprio acumine recte intelligent nasuti lectores, me tacente. Idem de lexicographis in omni linguâ dictum esto. Adi nos, iii. 1057.

Ver. 488. *credere:* P. Δ. Π. Σ. *fors ita;* et vere, ut opinor; Vind. V. ed. B. *forsitan*, et *τι η* videtur derasum in Π. in margine O. et Σ. totus versus sic fere scriptus exhibetur:

Forsitan et quicquam etsi difficile esse videtur.

Ver. 490. *fulmen.* Duo codices vetustissimi G. M. præbent *flumen:* et, quamvis non sum admonendus, pervicacissimi esse moris librariis scriptoribus has voces confundere, pene adducor, ut huic lectioni assensum largiar: nam *flumen cœli* elegantissima fuerit periphrasis, et Lucretio dignissima, *liquidi fulguris.* Adeas mox ver. 495. v. 282. et ante omnia, in ii. 383. animadversa nobis. An alius quilibet Latinorum dixerit *cœli fulmen*, nec negem equidem, nec affirmem. Locus Avieni est in Arateis, ver. 775. huic disputationi impense commodus, quem distinguam accuratius:

In rebus solido reperiri corpore posse:
490 Transit enim fulmen cœli per sæpta domorum,
Clamor ut, ac voces: ferrum candescit in igni;
Dissiliuntque fere ferventi saxa vapore:

———— nam quâ se laniger alto
Cœlo Aries tollit, quâ Piscibus astra duobus
Augentur, rutilat subter Nereïa Pistrix
Efflua, percurrens non multi *fluminis astra.*

Efflua utique, se effundens per magnum cœli spatium. Erunt fortasse, qui conjicient rescribi debere *luminis:* et suo judicio per me fruantur.

Ver. 491. *ut ac:* ita O. Δ. Π. G. autem, B. L. M. *it ad;* Vind. V. ed. Σ. Ω. *ut ad.* Conjeceram, ad nonnullorum librorum scripturam:

Clàmor *item*, ac voces:

sed nihil expiscor, cui cedere debeat recepta lectio, quæ Carum ipsum suffragantem habet, ad vi. 227.

Transit enim validum fulmen per sæpta domorum,
Clamor *uti, ac* voces.

Possis etiam, ut alii, non male tentare ad hunc modum:

Clamor *uti it vocis.*

Sed hæc leviuscula sunt, et exitûs incertissimi.

Ibid. *candescit;* ideoque particulis igneis permeatur. Non alienus est huic etiam loco Virgilius, Æn. xii. 91.

Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygiâ *candentem* tinxerat undâ.

Ver. 492. *fere:* ita P. Δ. neque aliter divinaverat Preigerus, qui videndus est etiam ad ii. 370. Egomet dudum proprio acumine hanc eram emendationem assecutus, adductus versu Virgiliano, geo. iii. 363.

Æraque *dissiliunt vulgo:*

nam vere Gellius, i. 21. "Non verba "autem sola, sed versus prope totos, et "locos quoque Lucretii plurimos, secta- "tum esse Virgilium videmus." Reliqui, *fero:* nisi quod in V. ed. O. Π. *ferro* sit. —*ferventi:* sic G. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. probante etiam Bentleio: reliqui, *ferventia.* Non improbavissem, si suasissent scripti, ut neque Lambinus:

Dissiliuntque *fero ferventia* saxa vapore.

Ibid. *Dissiliunt vapore.* Arnobius, lib. iv. p. 130.—"habitudinem fictilibus "contribuit vasculis, ne *flammarum dis-* "*siliant vi* victa."

Cæterum, haud dubie locus hic in oculis erat Virgilio ad geo. iv. 135.

— quum tristis hiems etiamnum frigore *saxa*
Rumperet—.

Ver. 493. *Conlabefactatus:* sic L. M. Σ. *Tum labefactatus:* P. V. ed. B. O. *Cum labefactatus:* Vind. Δ. Π. Ω. et G. sine *Cum.* Pro *rigor*, Π. *rigo.*

Ibid. *Conlabefactatus:* i. e. factus corruere. Versus Ovidiani de Hercule, subruente domum saxosam Caci, graphice dabunt expositam vim hujusce dictionis, fast. i. 566.

Nititur hicc' humero (cœlum quoque sederat illi)
Et vastum motu *conlabefactat* onus:

i. e. *dextro* humero; confer Virg. Æn. viii. 237. quem in his omnibus libentissime Naso sequitur: sic enim scribendum est ad fidem codicis Arundeliani. Evulgatur, *humeris.*

Ibid. *rigor auri:* ut Virgilius, geo. i. 143.

Tum *ferri rigor*—.

Carmen non infimi leporis apud Anthol. Lat. Burm. iii. 134. maculâ emundabo:

Femineam maribus nam confert Pyrricha classem,
Et veluti in morem militis arma movet:
Quæ tamen haud ullo *chalybis* sunt *stricta rigore,*
Sed solum reddunt buxea tela sonum.

Stricta: i. e. ἐληλαμένα· in laminas vi malleorum tundentium ducta. Vulgo legitur, *tecta.* Persius, sat. iii. 66.

Hæc baccam conchæ *rasisse*, et *stringere* venas
Ferventis massæ crudo de pulvere, jussit.

Compone his nuper dicta ad ver. 487.

Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu:
Tum glacies æris, flammâ devicta, liquescit:
Permanat calor argentum, penetraleque frigus;
Quando utrumque manu, retinentes pocula rite,

Ver. 494. *Tum:* L. Δ. *cum.*—*æris:* P. O. *acri;* Vind. B. *acris.*

Ibid. *glacies æris.* Habes, lector, egregiæ venustatis locutionem, et ingenium felicissime audax prædicantem. *Glacies æris:* i. e. "æs, utcunque sit *gelidum* "*rigidum*que, flammæ potestati cedit." Homerus, Il. E. 75.

——— ΨΥΧΡΟΝ δ' εἷλε ΧΑΛΚΟΝ ὀδουσιν.

Statius, Theb. xi. 545.

Ille, dolens nondum, sed *ferri frigore* primo
Territus, in clypeum turbatos colligit artus.

Et his lautissimum Sidonii Apollinaris ferculum apponi meretur, xxiv. 55.

Seu contra rabidi leonis æstus
Vestit *frigore marmorum* penates.

Ibid. *flammis devicta.* Virgilius, geo. iii. 560.

——— nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut *vincere flammâ.*

Ver. 495. *Permanat calor.* Egregie vero, atque ut optimum poëtam decuit, cum *fluidus* calor sit: redeas ver. 490. et locos ibi laudatos. Eleganter in hac materie Catullus, li. 9.

——— tenuis sub artus
Flamma dimanat.

Non minore cum sublimitate Virgilius, quam elegantiâ, hanc tralationem extulit, ad Æn. x. 270.

Ardet apex capiti, cristisque a vertice *flamma*
Funditur, et vastos umbo *vomit* aureus *ignis:*

ut "vomit *undam,*" geo. ii. 462. Sed felix audacia Sidonii Apollinaris omnes procul a se reliquit, xvi. 24.

Quique trium quondam puerorum in fauce sonasti,
Quos, in Chaldæi positos fornace tyranni,
Roscida combusto *madefecit flamma* camino:

quasi *refrigeraret* potius caminus, quam læderet. Quem sic, optimo cum successu, ausus est Sedulius imitari, hanc ipsam historiam attingens, carm. i. 218.

——— flagrante *camini*
Servavit sub *rore* pios.

Ita castigandus est: vulgo, *camino.* Confer locum Euripidis sub ver. 536. hujusce libri.

Ibid. *penetrale frigus:* quasi jacula tenuia atque cuspidatas particulas, immittens. Pulchre Ausonius, qui in transcursu emendabitur, idyll. viii. 10.

Mordeat Autumnas *frigus subtile* pruinas,
Et tenuata *moris* cesset mediocribus æstas.

Vulgo, *modis;* ineptissime. Et sic fortasse rectius prior versus procederet:

Mordeat *Autumnos* frigus subtile *pruinis:*

respicit autem poëta Virg. geo. ii. 321. Et suavissime apud ejusdem Ausonii edit. Delph. p. 425. Q. Cicero:

Pigra Sagittipotens *jaculatur frigora* terris:

unde *το acutum gelu* Horatii. Denique, Lucretium sic expressit Maro, geo. i. 93.

——— aut Boreæ *penetrabile frigus* adurat.

Ver. 496. *utrumque:* V. ed. *utrinque;* B. *utramque;* O. *utraque.*—*retinentes:* G. Π. *retinentis.*

Ibid. *retinentes.* Idem valet simplici *tenentes* in hoc loco. Ita Cicero in Verr. iv. 84. "Sagittæ pendebant ab humero; "sinistrâ manu *retinebat* arcum; dextrâ "ardentem facem præferebat:" ut noster, ii. 25.

Lampadas igniferas *manibus retinentia* dextris.

Adde Catullum, lxii. 63.

Non flavo *retinens* subtilem vertice *mitram:*

quem sequitur auctor Ciris, verr. 170. 511. unde nihil est in Theocrito novandum, vii. 64.

——— στεφανον περι κρατι ΦΥΛΑΣΣΩΝ.

Ibid. *rite:* i. e. solenni more, uti fit in conviviis et libamentis; cui usui quasi consecratur hoc vocabulum, et ornamento poëtico tantum in hoc loco, sed venuste,

Sensimus, infuso lympharum rore superne:
Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum,
Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus,
Esse ea, quæ solido atque æterno corpore constent;
Semina quæ rerum, primordiaque, esse docemus:
Unde omnis rerum nunc constet summa creata.
  Principio, quoniam duplex natura duarum
Dissimilis rerum longe constare reperta est,
Corporis, atque loci, res in quo quæque geruntur;

videtur inservire. Porro, leguntur parallela in vi. 949.

Ver. 497. *infuso rore:* Huc respexit Virgilius, geo. i. 385.

> Certatim largos humeris *infundere rores.*

Et effectum, quem Lucretius denarrat, Ovidius ita tetigit, epist. xxi. 220.

> Argenti color est inter convivia talis,
> Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ.

Ver. 498. *solidi nihil:* Π. *solidum nil.*

Ver. 499. *vera:* P. V. ed. B. *rara.* Forte an vellent:

> Sed quia *clara* tamen ratio—:

nam aliquoties permistas esse librariis voces *clarus* et *rarus*, disces a Burmanno ad Ovid. met. vii. 622.

Ver. 500. *Cogit ades:* Vind. P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *Cognita de;* Π. *cognita de sed.*

Ibid. *versibus expediamus.* Sic Maro, Æn. vi. 759. *Expediam dictis.* Varia lectio in B. *expeditos* fortassis corruptela sit τυ *expedibo*, glossæ margini appictæ; de quâ verbi formâ plus semel Nonius, ex Ennio Plautoque,

Ibid. *ades, paucis dum.* Terentius, initio Andriæ:

> *Ades, dum paucis* te volo.

Formulam sic immutavit Virgilius, Æn. iv. 116. nonnihil attollens et expoliens, ut graviorem poësin cohonestaret:

> ———————— *paucis, adverte,* docebo:

atque iterum, ibid. xi. 314.

> Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti,
> *Expediam*, et *paucis*, *animos adhibete*, docebo.

Ver. 501. *ea:* P. V. ed. *et.*—*ea quæ:* P. *aliquo.*—*constent:* G. Σ. Ω. *constet.* Et septem versus sequentes in Π. non comparent.

Ver. 504. *duarum:* B. *duorum:* vide supra, ver. 450.

Ver. 505. Miror Lucretium perspicuitati consultum non ivisse dictionum inversarum positu:

> Dissimilis *longe rerum*—.

Ibid. *constare:* Δ. *præstare.* Forte, *perstare;* quod, scriptis faventibus, non esset improbandum.

Ver. 506. *Corporis:* Vind. V. ed. *Corporum;* mendosissime. In superioribus satis dictum est.

Ver. 507. *Esse sibi per se:* i. e. se habere solam, sine rei cujus libet mixturâ; sibi res suas habere, ut Plautus plus semel est locutus; simplicem, ασυνθετον.

Ibid. *puram:* ut Mantuanus, Æn. vi. 746.

> Concretam exemit labem, *purum*que reliquit
> Ætherium sensum, atque auraï *simplicis* ignem:

purum, extraneis omnibus liberum atque expurgatum. His Servii commentarius lucem injiciet. " *Simplicis* autem, nostri " comparatione, qui constat de ligno et " aëre: ille enim ασυνθετος per se plenus " est et *æternus*, quia simplex: omnia " enim συνθετα, id est, composita, exitum

Esse utramque sibi per se, puramque, necesse est.
Nam, quâquomque vacat spatium, quod inane vocamus,
Corpus eâ non est: quâ porro quomque tenet se
Corpus, eâ vacuum nequaquam constat inane.
Sunt igitur solida, ac sine inani, corpora prima.
  Præterea, quoniam genitis in rebus inane est,
Materiem circum solidam constare necesse est:
Nec res ulla potest verâ ratione probari
Corpore inane suo celare, atque intus habere,
Si non, quod cohibet, solidum constare relinquas.

"sortiuntur: unde et *atomos* perpetuas "dicunt, quia simplices sunt, nec recipiunt sectionem."

Ver. 508. *quâquomque vacat:* V. ed. B. *quocumque vocat.*

Ver. 510. *nequaquam:* V. ed. *ut quaquam;* i. e. *haut*, pro *haud:* unde fortasse sic legendum est:

—— eâ vacuum *haud* quâquam *consistit* inane.

Nam voces *consto* et *consisto* confundi solent, ut mox ad ver. 873.

Ibid. *vacuum inane;* ut mox ver. 521. *inane vacaret;* et imitatus est Virgilius, ad Æn. xii. 906. quod Havercampus prior monuit:

Tum lapis ipse viri *vacuum* per *inane* volutus.

Similiter Arnobius, lib. ii. p. 57.—"loci "illius hospitium, quod habeat rem nullam, et sit *inane* ac *vacuum*."

Ver. 511. Horum corporum primigeniorum, sive atomorum, uberrima exstat atque luculentissima descriptio apud Plutàrchum, de plac. phil. i. 3. quam ideo apponam. *Επικουρος Νεοκλεους Αθηναιος, κατα Δημοκριτον φιλοσοφησας, εφη τας αρχας των οντων, σωματα λογῳ θεωρητα, αμετοχα κενου, αγεννητα, αΐδια, αφθαρτα, ουτε θραυσθηναι δυναμενα, ουτε διαπλασμον εκ των μερων λαβειν, ουτ' αλλοιωθηναι· ειναι δ' αυτα λογῳ θεωρητα. Ταυτα μεν τοι κινεισθαι εν τῳ κενῳ και δια του κενου· ειναι δε και αυτο το κενον απειρον, και τα σωματα απειρα.*

Ver. 512. *genitis:* Vind. V. ed. Ω. *genitus;* Δ. *genitusi;* unde, quoniam P. B. Δ. non agnoscunt *est* ad finem versûs, haud deterius legas, et summe probabiliter, ad hunc modum:

Præterea, quoniam *genitum est* in rebus inane.

inane est: Vind. V. ed. Ƀ. Π. Σ. *inanes*, coalitis nempe vocibus *inane 'st* ut supra *genitu 'st* codicis Δ. quæ scriptura etiam in vetustis exemplaribus excusis passim obtinet.

Ver. 513. *solidam:* G. *solide:* et abest *est* B.

Ver. 514. *potest:* B. *potes:* voluit fortasse *potis.*

Ver. 515. *celare atque:* Π. *cedere nec.* Et B. in sequente versu habet *solidam;* ut Δ. in ver. 517. *nec*, pro *nisi.*

Ver. 518. *tectum:* sic P. cum collationibus Heinsianis, quamvis non satis liquet, an hæ pro varietatibus codd. MSS. an propriis viri maximi conjecturis, quas in librorum margines manibus non parcentibus conferebat, sint habendæ. Impense placet hæc lectio, præ reliquorum exemplarium *τῳ rerum*, dictione supervacaneâ prorsus et ineptâ. Phrasis *tectum cohibere* vicissim respondet *τοις celare*, atque *intus habere* in ver. 515.

Ver. 520. *cætera:* Π. *æterna.*—*dissoluantur:* V. ed. *dissouantur:* et, in versu præcedente, Ω. habet *constant.*

Ver. 521. *si nihil*, vel *nil*, *esset:* sic G.

Id porro nihil esse potest, nisi materiaï
Concilium, quod inane queat tectum cohibere.
Materies igitur, solido quæ corpore constat,
Esse æterna potest, quom cætera dissoluantur.
  Tum porro, si nihil esset, quod inane vacaret,
Omne foret solidum: nisi, contra, corpora certa
Essent, quæ loca conplerent, quæquomque tenerent;
Omne, quod est, spatium, vacuum constaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus inani
Distinctum; quoniam nec plenum gnaviter exstat,

P. et V. ed. nisi quod hæc *est* habeat; sed reliqui omnes, *siquidem nihil est:* et, pro *vacaret*, L. M. *vocaret.* Ex his autem varietatibus non possumus non ambigere de receptæ lectionis sinceritate. An ita scripserit Lucretius?

> Tum porro, *siquidem* nihil *est*, quod inane *vocaris.*

Sed longe commodiora sunt vulgata, et nihil habent, quod lectorem remorari debeat, nisi discrepantiâ tot proborum exemplarium moveremur. Sagacior aliquis fortasse, quod probari possit, quibit excudere: nos desinimus.

Ver. 522. *nisi:* V. ed. B. Π. *nec.*—*contra:* V. ed. B. *concta.*—*certa:* P. Δ. Π. Σ. *cæca:* et idem dictum sit de hac voce in ver. 527.

Ibid. *certa:* i. e. quædam; ut vi. 783.

> *Arboribus* primum *certis* gravis umbra tributa est:

et Virgilius, geo. i. 60.

> Continuo, has leges, æternaque fœdera, *certis*
> Inposuit natura *locis:*

adeo ut non opus sit Lucretio interpolatæ vocis vulgatioris *cæca*, ad plurium editorum voluntatem, contra meliorum librorum suffragium. Vide mox verr. 527, 676. in quorum locorum priore idem facinus editores ausi sunt, obtrudentes suum *cæca* Lucretio, pro *certa* fidelium exemplarium.

Ver. 525. *Alternis:* Π. *Alterius;* de quâ confusione, vide Burm. ad Anthol. Lat. ii. 247. 5.

Ibid. *Alternis:* i. e. alternatim, per vices. Virgilius, ecl. iii. 59.

> *Alternis* dicetis; amant alterna Camœnæ.

Plenam locutionem Lucanus extulit ad i. 410.

> —— litus dubium, quod terra, fretumque,
> Vindicat *alternis vicibus.*

Ver. 526. Editiones recentiores inferciunt *est* post *distinctum*, exemplaribus scriptis adversantibus, cum antiquissimis excusis; si excipias nostrum codicem Σ. qui habet *distinctus;* corruptelam, ut non temere dixeris, τὸ *distinctust*, vel *distinctum est.* Sed librarii ad inferendum *est* contra exemplaria sua longe fuissent promptiores, quam omittendum, iisdem retinentibus.—*gnaviter:* V. ed. *naniter.*

Ver. 528. *pleno:* G. Vind. B. *pœna;* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *plena.*—*inane:* L. M. B. O. Δ. Π. *inani:* unde haud dubie sic versus est concinnandus.

> Quæ spatium *plenum* possint distinguere *inani.*

Ver. 529. *icta:* B. *ictus;* V. ed. *ictu.*

Ver. 531. *queunt:* Vind. V. ed. B. *queant.*—*tentata:* quidam codd. Pii, *temerata:* male.—*labare:* V. ed. B. Ω. *labore;* facili errore.

Ibid. *tentata:* eleganter, ut alii non raro, et in primis Virgilius. Exemplo sit ecl. i. 50.

Nec porro vacuum: sunt ergo corpora certa,
Quæ spatium pleno possint distinguere inane.
Hæc neque dissolvi plagis, extrinsecus icta,
Possunt; nec porro, penitus penetrata, retexi;
Nec ratione queunt aliâ tentata labare:
Id, quod jam supra tibi paullo obtendimus ante.
Nam neque conlædi sine inani posse videtur
Quidquam, nec frangi, nec fundi in bina secando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem; quibus omnia confaciuntur.

Non insueta gravis *tentabunt* pabula fetas.

Ibid. *labare:* i. e. ita turbari, ut partium cohærentia discutiatur. Ennius apud Nonium, voce *cæmenta:*

Labant, labuntur, saxa; cæmentæ cadunt:

i. e. ita labant saxa, ut decidant. Sic rescribendum, pro *labat.*

Ver. 532. *supra:* sic Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *supera;* et irrationabiliter, et nullo fructu. Variare sermonem suum poëtæ liceat.

Ver. 533. *conlædi:* vide me ad ii. 469.

Ver. 534. *fundi:* sic G. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *findi.* P. *scindi.* Arridere poterat *findi,* nisi tot libri maximæ auctoritatis contra starent, et faceret phrasis *in bina secando* leve desiderium dictionis non aliud valentis in hoc loco. *Fundi* vero potest *dispergi* et *labefactari*, ita ut prior textura pereat. Translatio est ab *aquâ;* quæ, semel humi effusa, colligi nequit, et in priorem statum redintegrari. Neque exempla huc facientia non passim legentium oculis ingeruntur. Exspectares autem in hoc loco scriptores librarios pro *fundere* magis obvium vocabulum statim reposituros esse, sapore poëtico leviter contactos.

Ver. 535. *neque:* V. ed. *nec.*—Et si conferas supra, ver. 495. intelliges quam lepidâ cum varietate sua immutaverit epitheta noster, artifex orationis solertissimus.

Ver. 536. *penetralem:* M. *petralem.*—*confaciuntur:* V. ed. *conficiantur;* et, opinor, B. quamvis compareat cum *t* variatio, *confitiantur.*

Ibid. *ignem—omnia confaciuntur.* Euripides, Med. 1187.

Χρυσευς μεν αμφι κρατι κειμενος πλοκος
Θαυμαστον ιει ναμα ΠΑΜΦΑΓΟΥ. ΠΥΡΟΣ.

Ver. 537. *quo:* sic, opinor, universi codices MSS. et editiones antiquæ: mirâ tamen perversitate atque audaciâ editores suum *quam* nobis obtrudunt.—*quæque:* V. ed. *quæcumque.*

Ibid. et ver. 538. *quo Tam.* Simili prorsus colore constructionis noster, in iv. 252.

——— et *quanto plus* aëris ante agitatur,
Tam procul esse *magis* res quæque remota videtur.

Ver. 538. Videtur legendum:

Tam magis *ictibus hæc* penitus.—Faber.

Imo, *his rebus:* i. e. humore, frigore, igni. Bentleius.

Ibid. *his*, vulgo: Σ. *hiis;* ut tantum non semper nostri codices; quod supra diximus, ad ver. 450.

Ver. 540. *utei:* O. Π. *ut.*—*docui, sint:* L. *docuissent.*

Ver. 541. *nisi:* Vind. V. ed. B. Π. *nec.*—*fuisset:* Δ. *fuissent.*

Ver. 542. *redissent:* Π. *dedissent;* B. *dedisset.*

Ver. 543. *nihiloque renata:* P. Vind.

Et, quo quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis hiis rebus penitus tentata labascit.
Ergo, si solida, ac sine inani, corpora prima
Sunt, ita utei docui, sint hæc æterna necesse est.
  Præterea, nisi materies æterna fuisset,
Antehac ad nihilum penitus res quæque redissent;
De nihiloque renata forent, quæquomque videmus.
At, quoniam supra docui, nihil posse creari
De nihilo, neque, quod genitum est, ad nihil revocari;
Esse inmortali primordia corpore debent,

V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *nihilo quæsita:* unde dederit fortasse noster:

De nihiloque *excita* forent, quæquomque videmus.

Sic Virgilius, Æn. iii. 676. et alibi, hac verbi formâ usus est:

At genus e sylvis Cyclopum, et montibus altis,
Excitum, ruit ad portas.—

Ω. *nihilo quoque nata;* G. L. M. *nihilo quæ ranta—forent:* Vind. *fuerint.*

Ver. 544. *supra:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. et, ut putem, omnes alii, nisi, ut in re tenui, et momento nullo, tacere voluissent lectionum variarum oculati collatores. Vulgo, *supera.*

Ver. 545. *neque* abest Σ. ut *est* etiam Δ.

Ver. 547. *supremo tempore:* i. e. cum hora interitûs accesserit. Et notabilis est hujusce vocabuli frequentatio in extremis rerum designandis: vide supra, ad ver. 94. nonnulla hanc rem spectantia. Catullus, lxii. 151.

Quam tibi fallaci *supremo* in *tempore* deesse.

Porro, in præcedente versu, V. ed. habet *corpora*, pro *corpore.*

Ver. 548. *subpeditet.* Ita sæpe noster absolute, pro *suppetat*, uti Lambinus etiam dudum monuit. Hinc recte capias Fabii locum, instt. orat. i. 1.—" cum in-" offensa atque indubitata literarum inter" se conjunctio *suppeditare* sine nullâ co-" gitandi saltem morâ poterit." Ex hoc genere phrasis est Tacito, et aliis usurpata; ut ei ad hist. i. 1. " Quod, si vita " *suppeditet.*" Vide plura in Grævii commentariis ad Cicer. in Verr. v. 38. Cæterum, super hoc nostri poëtæ argumento locus exstat eloquentissimus Tertulliani, de resur. carn. 12. cujus perorationem lectoribus apponam: " Omnia in " statum redeunt, cum abscesserint; om-" nia incipiunt, cum desierint; ideo fini-" untur, ut fiant: nihil deperit, nisi in " salutem. Totus igitur hic ordo revo-" lubilis rerum, testatio est resurrectionis " mortuorum." Adi Min. Fel. xxxiv.

Ver. 549. *solidâ simplicitate:* i. e. ita absolutissime una, atque ab aliis omnibus secreta, ut nec penetrari, nec frangi, nec dissolvi possint, quâcumque demum vi adhibitâ: ideoque æterna sint necesse est.

Ver. 550. *ævom:* sic G. et sane, in quantum liceat ex codicum Virgilianorum varietatibus, atque aliis quibusdam locis veterum, judicare, hoc antiquioris scriptionis exemplum in hac voce diutius permansisse fidenter dixerim; atque adeo, Havercampo morem gerens, in nostrâ quoque editione servandum statui. Insuper, pro *servata*, L. habet *renovata;* perperam. Mihi quidem sic videtur versus hicce rescribendus, vel invitis libris, transpositione tantummodo literarum factâ:

Nec ratione queunt aliâ, *versata* per ævom:

i. e. agitata—jactata—pulsata. Locus est

Dissolvi quo quæque supremo tempore possint,
Materies ut subpeditet rebus reparandis.
Sunt igitur solidâ primordia simplicitate,
Nec ratione queunt aliâ, servata per ævom,
Ex infinito jam tempore res reparare.
  Denique, si nullam finem natura parasset
Frangundis rebus, jam corpora materiaï
Usque redacta forent, ævo frangente priore,
Ut nihil ex illis a certo tempore posset,
Conceptum, summum ætatis pervadere finem;

inferius, ver. 635, ad omnia gemellus, atque hic integer exhibendus, ut comparatio commodior instituatur:

> At, quoniam fragili naturâ prædita constant,
> Discrepat, æternum tempus potuisse manere,
> Innumerabilibus plagis *vexata per ævom.*

Optima vero est vox *verso* in hoc sensu; confer vi. 125. Æn. vi. 362. et Broukhusium ad Propert. iii. 6. 19.

Ver. 552. *nullam:* P. V. ed. B. *nullum.*

Ver. 553. *materiaï:* P. Δ. *materiesque;* Vind. V. ed. O. Π. *materiæque;* Σ. Ω. *materieque;* B. *materiam;* L. M. *materiæ:* unde rectissime effecta est recepta lectio, et in contextu editoribus collocata; hanc enim aberrationem per hos libros frequentissimam manus scribarum aberravere. Vere Gronovius ad Plaut. Cas. prol. 30. ubi libri dant *comœdiæ:*

> Aures vacivæ si sunt, animum advortite:
> *Comœdiaï* nomen dare vobis volo.

Et *vacivæ aures*, ut noster, ver. 45. hujusce libri, *vacuas aureis.* Hinc etiam versus Ennianos, apud. Cic. de senect. 6. acumine proprio correxeram, post Lambinum tamen:

> Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
> Antehac, dementes sese flexere *viaï?*

Vulgo legitur, *via.*

Ver. 554. *redacta:* P. Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. *reducta.—forent:* G. L. M. *fovent.*

Ver. 556. *finem:* sic P. V. ed. M. O. Δ. *finis*, Vind. L. B. Π. Σ. *fine*, G. vulgo, *florem.* Phrasis *summum ætatis pervadere finem* valet, "maturitatem suam, "quam sibi natura præscripserit, com-"plere." Virgilius vocat *ævi terminum*, ad geo. iv. 206. et ex professo quasi plenius declarat ad Æn. x. 472. ille optimus Lucretii interpres:

> ——————— Etiam sua Turnum
> Fata vocant, *metas*que *dati pervenit ad ævi.*

Et cum *τῳ summum finem* committas aliud Virgilianum, geo. iv. 116.

> ——— *extremo*——sub *fine* laborum.

Non igitur erat caussæ, ut editores illud *florem* ex aliis Lucretii locis huc arcesserent, libris melioribus ac pluribus aliter jubentibus. Vide ii. 1129.

Ver. 557. In hanc prudentissimam, atque veritatis simplicissimæ universalem quidem, sententiam dudum Pindarus concesserat; cujus versus longe pulcherrimi his annotationibus, ut purpureus quidam pannus, assuentur. Leguntur autem in Pyth. iv. 484.

> Ῥᾳδιον μεν γαρ πολιν σει-
> σαι και αφαυροτεροις· αλλ' επι χω-
> ρας αυθις ἑσσαι, δυσπαλες
> Δη γινεται ἐξαπινας,
> Ει μη Θεος ἁγεμονεσσι κυβερ-
> νατηρ γενηται.

Probe scholiastes: *Το μεν γαρ διασεισαι πολιν και τοις ασθενεστεροις ῥᾳδιον εστι, μη ΤΙ γε δη τοις εν δυναμει κειμενοις.* Sic reponendum est; mendose circumfertur, *μη*

Nam quid vis citius dissolvi posse videmus,
Quam rursus refici: quapropter longa diei
Infinita ætas ante acti temporis omnis,
Quod fregisset adhuc, disturbans dissoluensque,
Numquam id reliqüo reparari tempore posset:
At nunc nimirum frangundi reddita finis
Certa manet, quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus

τα γε. Hesychius: Μη τι γε· πωσγε μαλλον; ut apostolus, 1 Cor. vi. 3. cujus etiam memor erat Alberti: Ουκ οιδατε, ὅτι αγγελους κρινουμεν; μη τι γε βιωτικα. Clemens Alexandrinus, Pæd. ii. 2. Ὁ γαρ ακρατος, κατα τον κωμικον, ολιγα αναγκαζει φρονειν, μη τι ΓΕ σωφρονειν. Sic legendum: vulgo, μη τι ΔΕ. Error hujuscemodi de Plutarcho tollendus restat ad finem tractatûs de educatione liberorum:—οἱ δ' ὅλως φαυλως ζωντες ουδε τοις δουλοις παρρησιαν αγειν επιτιμωσι, μη ΤΙ γε δη τοις υἱοις. Libri exhibent, τα. Jamblichus, vit. Pyth. sect. 211.—και μητι πληρουσι χρωμενον τροφαις, ακαιροις, μητι προσφερομενον τοιαυτα, αφ' ὧν χυμοις αἱ ἑων σωματων ἑξεις γινονται· ΜΗ ΤΙ δη μεθυοντα ΓΕ, αλλ' ἡκιστα παντων. Ita corrigendum dixerim. Vulgo, μητι δη μεθυοντα τι. Sed vereor, ne nimii videamur; et redeundum est in viam.

Ver. 559. *Infinita:* sic Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui, *Infinitæ;* sed nostro perquam familiare est ad hunc modum in majorem emphasim epitheta congerere.—*omnis:* P. *omne;* Π. *omnes.* Ita capias verborum constructionem: "Quapropter longa (imo) infinita ætas "diei, (quæ est) omnis præteriti tempo-"ris—." Conferas autem ver. 234. supra.

Ver. 561. Editio Veronensis: *Reliqüo id nunquam.* Optime. Bentleius. Sed ordini nostro favent G. L. M. et Π. qui cum Ω. non agnoscit *id.* L. habet, *Nunquam deliquo:* P. *Id reliquo nunquam;* Vind. O. Δ. Σ. *Id nunquam reliquo.* Nihil, aut parum, interest, quid ex his omnibus velis eligere.

Ibid. *reliqüo.* Sic *reliqüas,* iv. 974. et Phædrus, iv. 24. 12.

——— Cum *reliqüum* posceret—.

In his autem et similibus mos antiquitatis fuisse non videtur geminasse *literas;* unde sic Plautum equidem, Trinum. ii. 4. 109. rescripserim:

——— nam is de stultitiâ meâ
Solus superfit præter, vitam *reliqüus.*

Quæ latius patet in comicos observatio. Sic etiam Græci in purioribus editionibus. Arat. Phæn. 20.

Ουρανω ἑλκονται παντ' ηματα συνεχες αιει:

et in Dios. 94.

Δυνει δ' αιηφιλος μαλακῳ ὑποδειελος αιγλῃ;

quibus superadditum singulare exemplum ex Homeri penu sufficiat, Il. Β. 113.

Ιλιον εκπερσαντ' ευτειχεον απονεεσθαι.

Unde constantissimam sinceriorum codd. Latinorum scripturam in vocibus ab *icio* compositis, *abicio—inicio—obicio—subicio*—et similibus, quam rejiciunt editores, nisi quoties syllaba contrahenda sit, vehementer suspicor in omnibus esse retinendam, et vetustioribus potissimum poëtis: sed unusquisque suo judicio fruatur.

Ver. 562. *reddita;* pro simplice *data:* videas ad ver. 204.

Ver. 563. *refici videmus:* L. M. *refice demus.* Et V. ed. B. in sequente versu *At* habent, pro *Et.*

Ver. 565. *ævi florem.* Virgilius, Æn. vii. 162.

Stare, quibus possint ævi contingere florem.
Huc adcedit, utei solidissima materiaï
Corpora quom constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiunt; aër, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, et quâ vi quomque gerantur:
Admixtum quoniam semel est in rebus inane.
At contra, si mollia sint primordia rerum,
Unde queant validei silices ferrumque creari,

————— *primævo flore* juventus.

Ex Homero autem derivata hæc figura per universam Græciam Latiumque fluxit, Il. N. 484.

Καὶ δ' ἔχει 'ΗΒΗΣ ΑΝΘΟΣ.

Ver. 566. *Huc:* Π. *Nunc:* vide ver. 580.

Ver. 568. *fiunt:* ita P. Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. *fiant* placuit editoribus, inde totum locum, nî fallor, pessum dantibus; levissimo tantum puncto ad *fiant* posito, et confusis omnibus. Nos ita scripsimus et distinximus, ut mens auctoris clarissime elucescat, nec indigeat interpretis.—Porro, versus in codd. O. Σ. et Ω. ad hunc modum exhibetur:

Mollia, quæ fiunt: *aqua, et aër*, terra, vapores:

cui rationi longe anteferenda est vulgata.

Ver. 569. *quomque:* G. P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. *quæque:* male.—*gerantur:* sic G. P. Vind. B. O. Π. Σ. et τὸ *genantur* aliorum librorum ortum putaverim ex *generantur*, quod legitur in Veronensi.

Versûs autem hæc est interpretatio, impendio facilis, si ad utrumque relativum illud *quomque* arcessatur: "Quocunque "tandem pacto hæ res molles exsistant, "et quâcumque demum vi negotia earum "omnigena administrentur."

Bentleius obelo hunc versum, quasi adulterinum, confoderat; oculos ex pravâ vulgarium editionum constitutione caligare sibi passus.

Ver. 570. *semel:* V. ed. *simul:* mendose: et statim *Ac*, pro *At*.—B. non habet *est*.

Ibid. *quoniam*. Non enim difficile est concipere, res quasdam posse *molles* fieri, si spatia sint in corporibus omni vacua materie.

Ver. 573. Lego:

————— nam funditus *omni*
Principio *solidamenti* natura carebit.

Vide ver. 615. Bentleius.

Procul dubio, naribus emunctis viri, mortalium omnium acutissimi, repetitæ dictiones, *funditus fundamenti*, displicuere. Sed hujusce emendationis nollem in me suscipere defensionem: nam nihil adjumenti est ex loco, ad quem provocat; atque his vocabulorum consonantium vicinitatibus Lucretium delectari satis liquet, ut nobis in superioribus jam contigit observare: vide ad ver. 594.

Ver. 575. *pollentia:* Π. *palentia:* et, in versu proxime veniente, pro *condenso*, Π. habet *cum denso*, quod est usitatissimum aberrationis genus.

Ver. 577. *vireis:* ex Π. erasum est hoc vocabulum.

Ibid. *validas vireis*. Virgilius, Æn. vi. 834.

Neu patriæ *validas* in viscera vertite *vires*.

Ver. 578. Hic versus, et sex sequentes, multo commodius leguntur in hoc loco, apud G. P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. Vulgo ponuntur post ver. 635. editionis nostræ.

Hoc autem modo poëtæ ratiocinatio procedere videtur: "Si tibi concedam non

Non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur solidâ pollentia simplicitate;
Quorum condenso magis omnia conciliatu
Artari possunt, validasque obtendere vireis.
 Porro, si nulla est frangundis reddita finis
Corporibus, tamen ex æterno tempore quæque
Nunc etiam superare necesse est corpora rebus,
Quæ non dum clueant ullo tentata periclo.

" esse rerum frangendarum finem, mihi " necesse est vicissim concedas, certa esse " corpora, quæ nondum diffringantur: " hanc enim concessionem tibi extorque- " bit validissimum oculorum testimoni- " um. Ergo conclusio, quam volo, ne- " cessario exsurgit; *solida* utique esse, " non contra *mollia*, rerum omnium pri- " mordia: aliter enim, undenam per in- " finitum ætatis ante actæ tempus, cum " tot plagis semper tuditantibus conflicta- " ta, in ævum nostrum durare potuis- " sent?" Hinc autem liquidissime patet, nos, prudente consilio subnixos, in hanc transpositionem septem versuum, cum quibus jam nunc versamur, concessisse.

Ver. 579. *quæque:* i. e. singula ea corpora, ex quibus res peculiariter constant, atque efficiuntur. Hanc lectionem præbent G. P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. reliqui, *quædam*, editoribus avide arreptam, sed, me judice, minus necessario.

Ver. 580. *Nunc:* Ω. *Hunc;* nec mirum; nam literæ majusculæ *N* et *H* in libris sunt quam simillimæ.—Π. infercit *et* post *est*.

Ibid. *superare:* i. e. superesse: ut Virgilius, Æn. iii. 339.

Quid puer Ascanius? *superatne*, et vescitur aurâ?

Ubi turbas, quas ciet Servius, de hoc sensu verbi, satis mirari nequeo, post Carum nostrum, atque Sallustium in Gellii collectaneis, i. 22. qui consulendus est, ne longior nullo cum fructu sim.

Ver. 581. *non dum:* Ω. *non dura.*—*clueant:* L. M. *cieant;* Vind. O. Δ. Π. *queant;* Σ. *possint.*—*ullo:* Π. *nullo;* i. e. ab *ūllo*.

Ver. 583. *Discrepat:* i. e. huic argumento *dissidet*, non congruit, contradicit; ad verbum, *aliud dicit* ei, quod argumenti tui tenor postulat.

Ver. 585. *generatim:* B. *generatam;* L. M. *generaim.*

Ver. 586. *crescendis:* ita Vind. L. M. O. Δ. Π. ut ver. 553. *frangendis rebus:* vulgo editur cum reliquis, *crescendi.*—*tenendi:* ita P. Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. probante Bentleio: alii, *tuendi:* quæ vox est in hoc usu pervagatior, neque invitis membranis arripienda. Cicero, nat. deor. ii. 54. " Nam, cum tribus rebus animantium *vita teneatur*, cibo, potione, spiritu; ad hæc omnia percipienda os est aptissimum." Seneca, Herc. Œt. 1775.

Quid, misera, duras, vita? quid *lucem* hanc *tenes*?

Porro, de librariorum aberrationibus in verbis *tueri* et *tenere*, te conferas ad Burman. in Ovid. fast. iv. 225. et Drakenborch. in Liv. x. 3. 2.

Ver. 587. *Et:* B. *Sed*, quod fluxit a *Set.*—*queant:* Π. *queat.*—Porro, punctis pensitate dispositis, ivi cautum, ne alio referas dictiones *per fœdera naturaï*, quam ad *sancitum*.

Ver. 588. *sancitum per fœdera.* Virgilius, Æn. xii. 200.

———— qui *fœdera* fulmine *sancit*.

At, quoniam fragili naturâ prædita constant,
Discrepat, æternum tempus potuisse manere
Innumerabilibus plagis vexata per ævom.
Denique, jam, quoniam generatim reddita finis
Crescendis rebus constat, vitamque tenendi;
Et quid quæque queant, per fœdera naturaï,
Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat;
Nec commutatur quidquam; quin omnia constant
Usque adeo, variæ volucres ut, in ordine cunctæ,

Π. curtam habet vocem *quandoquidem*, abscisis duabus ad finem literis; et, pro *nequeant*, legitur *nequeas*, mendose, in Priscian. x. sub fin.

Ver. 589. *conmutatur:* V. ed. B. *communicatur;* L. M. *comitatur.*—*quin:* Vind. V. ed. B. *quando:* i. e. *qn.* Parum interest, utrum eligas.

Ver. 590. *variæ volucres:* i. e. si interpretes sunt auscultandi, *varia avium genera:* quam tamen interpretationem in hoc loco nullus equidem probaverim. Intelligas velim potius, *pictæ*, pulchris coloribus decoræ, *ποικιλαι:* quibus concinit *τε maculis* versûs insequentis. Virgilius, Æn. iv. 525.

——— pecudes, *pictæque volucres.*

Idem ad geo. iii. 264.

Quid *lynces* Bacchi *variæ*—:

sed in Æn. i. 323.

——— *maculosæ* tegmine *lyncis:*

quibus locis opportunus superveniet Ovidii met. iii. 669.

*Pictarum*que jacent fera corpora *pantherarum.*

Denique, idem Maro, geo. i. 44.

—— ubi nascentem *maculis variaverit* ortum.

Porro, hinc explices controversam phrasim Petronii, cap. 2. "*maculosa* oratio;" i. e. picta, et figuris affectate variata. Cicero, de clar. orr. 85.—"Lysiæ similem, "quo nihil esse potest *pictius.*"

Ipse Petronius, cap. 118.—"controversiam sententiolis vibrantibus *pictam.*" Confer Pers. sat. v. 25. et nos ad Moschum, ii. 67.

Ibid. *in ordine cunctæ:* ἑκαστη εν τῳ ἰδιῳ ταγματι, uti locutus est apostolus, ad 1 Cor. xv. 23. i. e. ordine sic fideliter per fœdera naturæ in singulis conservato, ut nullo tempore in eâdem volucrium classe permutatio fiat macularum.

Ver. 591. *Obtendant:* P. V. ed. O. Δ. Π. *Ostendunt;* nec displicet.—*generaleis:* Vind. *genitales.* Nec male; sed vulgato potius standum putem: *generales* utique, suo generi propritim datas.—*corpore:* Π. Σ. *corpori*, cum vulgaribus libris editis: minus exquisite, et ex indoctorum scribarum importunâ correctione: vide iii. 634. V. ed. *macula.*

Ver. 592. *Inmutabile:* V. ed. B. *Immobiles;* Vind. L. M. O. Σ. *Immutabiles:* Π. *Imitabiles.* B. porro, *quoque materiaï*, ordine inverso.

Ver. 594. *ratione revicta.* Persius, v. 39.

Ut premitur *ratione* animus *vinci*que laborat.

Horatius, od. iv. 4. 23.

——— victrices catervæ,
Consiliis juvenis *revictæ*—.

Ubi male Bentleius maluit *repressæ;* quod vocabulum multo magis glossam redolet, et captum attingit librariorum, quam recepta. Inanem prorsus operam insumpsit vir summus exemplis corradendis vocis obviæ, atque pervagatæ, *repressit;* neque animum advertit, paronomasi-

Obtendant maculas generaleis corpore inesse;
Inmutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirum: nam, si primordia rerum
Conmutari aliquâ possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quâ nam sit ratione, atque alte terminus hærens;
Nec totiens possent generatim secla referre
Naturam, motus, victum, moresque, parentum.
    Tum porro, quoniam est extremum quoique cacumen

am haud invenustam poëtam captavisse dictionibus *victrices* et *revictæ;* ut uno tempore tam milites, quam imperatorem, egregiâ laude insigniret. Quos scilicet hostes vincere nequirent, consilium vicit, et disciplina. Non discrepat Drydenus nostras, conatu longe felicissimo:

The *vanquish'd victor* sunk upon her breast.

Vide locum ex Anthol. Lat. ad finem notarum in ver. 55. hujusce libri.
Hoc Cruquii commentatorem non effugit: "Mire autem *revictæ*, quia supra dixit "*victrices*."

Ver. 598. *totiens:* ita P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. de quâ scripturâ satis sit semel monuisse.—*possent:* Π. *possint;* P. V. ed. *posset.*

Ver. 599. *Naturam:* B. *Natura:* et G. L. M. vocabula *motus* et *mores* transposita exhibent: minus concinne.

Ibid. *mores parentum referre.* Hoc pacto Virgilius, geo. iii. 128.

Invalidique *patrum referant jejunia* nati.

Ver. 600. In lectionum vexatissimâ varietate, nos, pro acumine ingenito probabilitatem secuti, textum concinnavimus. Jam vero librorum testimonia recenseantur, quo melius de conatibus meis sententiam lectores æqui ferre poterunt.
Te est, quod vulgaribus abest editionibus, agnoscunt P. G. V. ed. B. L. M. Σ. Ω. Pro *quoique* nostro, editur vulgo *quoiusque*, vel *cujusque;* sed G. L. M. habent *quoque;* P. autem, Vind. V. ed. B. Σ. *quodque.* Res est sane incertæ divinationis; sed putem non deterius fore, neque probabilitati alienius, si versum sic refingas:

Tum porro, quoniam est extremum *in quoque* cacumen:

sed, quoties erratum sit circa præpositionem *in*, cum vox præcedens a literâ *m* desineret, quis nam est docendus?

Ver. 601. *Corporis:* V. ed. Π. *Corporum.*—*illius:* sic P. G. Vind. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. Vulgo, *est aliquod;* B. *illud quod.* Vulgares etiam editiones habent *nostri quod;* quem verborum ordinem nullus videtur codex vindicare. Denique, est ordo verborum: "Porro, quoniam est "cuique (corpori) cacumen illius corpo-"ris, quod—." Jam vero fuerint fortasse, quibus ad hanc normam constitutus locus magis arridebit, nec majore cum mutatione:

Tum porro, quoniam est extremum *quodque* cacumen
Corporis *ullius*, quod—:

quibus equidem hoc volentibus non repugnem. *Ullorum* et *illorum* statim permiscentur iterum, ad ver. 612.

Ver. 602. *nimirum:* Π. *mirum.*

Ver. 604. *se:* abest V. ed.—*posthac:* V. ed. B. Δ. Π. Σ. *posthæc:* tantumdem est. Pius etiam habet *concretum*, vice *secretum.*

Corporis illius, quod nostri cernere sensus
Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat,
Et minumâ constat naturâ: nec fuit umquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit;
Alterius quoniam est ipsum pars primaque, et ima:
Inde aliæ, atque aliæ, similes ex ordine partes
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ, quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere; unde queant nullâ ratione revelli.
Sunt igitur solidâ primordia simplicitate,

Ver. 605. *est* non comparet in M. *ipsum* in Π. et *pars* in Vind. V. ed. B. M. Σ. Pro *est*, V. ed. B. habent *sunt*; et, pro *ima*, M. *una*, maxime frequenti permutatione.—Cæterum, nullo modo displicet versus, prout integer diverse repræsentatur in Bononiensi:

Alternis quoniam *sunt* ipsum primaque, et ima:

quæ videntur exquisitiora, et, omnibus demum perpensis, mihi quidem verissima: sed in re incertâ, nec maximi momenti, non libet inutiliter novare. De commutatis *alternis* et *alterius* supra diximus, ad ver. 525.

Ver. 607. *Agmine*: P. *Augmine*: vide ad ver. 435.—*corporis*: V. ed. Π. *corporum*: et, in sequente versu, V. ed. *nequeant*.

Ver. 609. *Hærere*: V. ed. B. Π. *Hærens*; Vind. *Habere*.—*unde*: sic Vind. V. ed. P. G. L. M. O. Π. Σ. Ω. sed Δ. *inde*: *ut* est in vulgatis editis.—*queant*: sed *nequeant* contra libros editi plerique; V. ed. Π. *queat*.—*nullâ*: sic P. V. ed. B. Δ. Ω. reliqui, *ullâ*; quod cum *queant* stare non poterit.

Ver. 610. Deest hic versus in O. Δ.

Ver. 612. *ex*: Δ. *etiam*.—*ullorum*: ita P. Π. reliqui tamen consentiunt in *illorum*; quod si verum sit, valde saltem fuerit ambiguum atque inconcinnum.

Ver. 614. *nec*: Vind. Δ. Σ. *neque*.—*jam*: ita P. Δ. reliqui omnes, *tam*. Π. inserit vocem *cujus* inter *diminui* et *jam*.—Porro, G. et editi quidam legunt *deminui*: mendose, neque huic loco satis commode. Longe scilicet diversæ rationis sunt dictiones *deminui* et *diminui*. Illa vult *detrahi*, vel *deduci*, particulis amovendis; hæc autem *separari*, vel *diffringi*, particulis *vi* quâdam disparatis.

Ver. 616. *minumum*: Vind. Π. *nimium*, errore solenni scribarum.

Ibid. *parvissima*. Sic Varro apud Nonium, voce *rictum*: "Rictus *parvissimus*." Exempla ex recentiorum scriptis in lexicis communibus memorantur. Noster alibi similiter. Sic etiam Vegetius, de re militari, i. 8. "Sed nos disciplinam militarem populi Romani debemus inquirere; "qui ex *parvissimis* finibus imperium "suum pene Solis regionibus, et mundi "ipsius fine, *dissepit*." Sic, opinor, legendum, duabus literis immutatis, pro vulgato *distendit*; quod certe vitii affine est. Lucretius mox, ver. 998. hujusce libri:

Aër *dissepit* colleis, atque aëra montes.

Porro, argumentum, cui heic nititur poëta, puerulis etiam, quos vel prima elementa geometriæ imbuerint, non ignotum est.

Ver. 617. *partibus*: Vind. *rebus*.

Ver. 619. *præfiniet*: i. e. præ illâ, quasi in ejus fronte scilicet, finem ponet, quem transgredi et perrumpere non liceat. Ita legunt P. Vind. V. ed. G. M. Δ. Σ. Ω.

Quæ minumis stipata cohærent partibus arte;
Non ex illorum conventu conciliata,
Sed magis æternâ pollentia simplicitate:
Unde neque avelli quidquam, nec diminui jam,
Concedit natura, reservans semina rebus.
Præterea, nisi erit minumum, parvissima quæque
Corpora constabunt ex partibus infinitis:
Quippe, ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem; nec res præfiniet ulla.
Ergo rerum inter summam, minumamque, quid escit?
Nihil erit, ut distet: nam, quam vis funditus omnis

neque erat caussæ, ut reliquorum *perfiniet* ab editoribus omne sibi punctum ferret.—Porro, Π. *Dimidia.*

Ver. 620. *quid:* Vind. M. Ω. *quod.*—*escit:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *esset:* et, pro *que quid*, Π. *quicquid.*

Ibid. *escit:* i. e. erit, Festo interprete; in cujus collectaneis leguntur etiam *obescit* et *superescit*, pro oberit et supererit, cum exemplis ex Ennio Attioque. Occurrunt insuper *escit* atque *escunt* in vetustis legibus Romanorum. Emanavit autem ex Ionum *ἔσκον*, quam Mæonides usurpat dictionem; uti bene Faber observavit.

Ver. 621. *Nihil:* sic G. L. M. Σ. sed P. Vind. V. ed. B. Π. *Nil;* quod idem est: vulgo, *non.*—*distet:* ita G. P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui, *distent;* ex correctione procul dubio scribarum, lectionem nostram male concoquentium: sed inscitissime, nam sic passim probatissimi scriptores absolute loquuntur. Prorsus gemella est locutio, ne latius dispicientes evagemur, Horatiana, epist. i. 17. 44.

——————— *distat*, sumasne pudenter,
An rapias:

i. e. *hoc* distat: quæ est constructio plena hujusce phraseos.—Pro *ut* insuper, G. *aut;* quasi legendum sit,

Nihil erit; *haud* distet.

Vice *funditus* denique, V. ed. *funditur.*

Ibid. *nam:* i. e. "si dixeris enim aliquam differentiam intercedere id, quod summum est, atque id, quod minimum; concludere licebit, parvissimam quamque particulam æque ex infinitis partibus constare, ac omnem materiæ universalis congeriem: quod et fidem superat, et veræ repugnat rationi. Ergo nihil est in his re verâ differentiæ."

Ver. 624. *Quod:* i. e. secundum quod, uti passim locutus est noster, nec minus omnes Græci Latinique: vide supra ad ver. 222. Et sequor in hac lectione G. P. Vind. B. L. Δ. Σ. vulgo, *Quoi.*—*ratio:* Π. *vero;* V. ed. B. *non;* qui error ex compendio scripturæ, *rō*, fluxit.—*vera:* B. *natura.*

Ver. 625. *animum:* Vind. *animi.*

Ver. 626. *jam:* Π. *item.*

Ver. 627. *constent:* G. *constat;* V. ed. B. L. Δ. Σ. *constant.*

Ver. 628. *Illa:* Π. Σ. *Illo.*—*esse tibi:* Σ. *esset ibi.*—*solida atque:* M. *solidant.* Et, ad finem versûs, *est* in Ω. comparet.

Ver. 629. *ni:* sed P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *si;* et, opinor, vere, si modo probam sequentis versûs scripturam restituas:

Denique, *si* minumas in parteis cuncta resolvi
Cogere *non suesset* rerum natura creatrix—.

Quum vero de suffragiis codicum L. M. apud Havercampi editionem altum sit

Summa sit infinita, tamen, parvissima quæ sunt,
Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quod, quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis jam prædita partibus exstent,
Et minumâ constent naturâ: quæ quoniam sunt,
Illa quoque esse tibi solida, atque æterna, fatendum.
Denique, ni minumas in parteis cuncta resolvi
Cogere consuesset rerum natura creatrix,
Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:
Propterea, quia, quæ nullis sunt partibus aucta,

silentium, licet vix ambigem eos reliquis non refragari, a contextûs mutationibus ex ingenio me consultius esse temperaturum existimavi.

Ver. 630. *natura creatrix*. Anthologia Lat. Burm. iv. 47. 1. hanc locutionem mutuata est.

> Humano generi legem *natura creatrix*
> Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant.

Ver. 632. *nullis:* ita P. Vind. G. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. L. sed M. *nulli:* editores autem, exemplaribus scriptis, quotquot exstant, reclamantibus, ex ingenio dederunt *multis;* mentem poëtæ non satis perspectam habentes. Lucretius utique opponere vult atomis, vel *minimis* corporibus, ea, quæ *grandiuscula* sunt et tamen simplicia, *nullis* nempe *aucta partibus;* qualia affirmat esse rebus gignendis minus apta: rerum enim creatio non confit, nisi ex corporibus, grandioribus illis quidem, sed quæ ex minimis primordiis coagmentantur, atque in eadem resolvi possunt. Ex *minimis* igitur particulis non ulterius dividendis, invicem cohærentibus, et commiscentibus, omnia producuntur; non ex corporibus augmine majori, quæ in minima primordia se dissolvi negant.
Porro, ex Lucretii sententiâ, aliud obstat, quo minus corpora, res omnes efficientia, sint grandiora, et pariter individua: figuras utique omnigenas per se haberent, nondum collisa atque intermixta; uti docet noster in ii. 494.

> Ergo formaî novitatem corporis augmen
> Subsequitur.

Iis tamen, qui censebunt minime his esse acquiescendum, non improbabilem conjecturam propinabimus; unde, literis colliquefactis, lectio recepta facile exoriri poterat:

> ———— nullis sunt partibu' *secta:*

Vide verr. 534. 747.

Ibid. *partibus aucta*. Arnobius, lib. iii. p. 105. "Neque enim veri est simile "haberi hæc frustra, aut improvidam in "illis suave ludere voluisse *Naturam*, ut "eos his *partibus aggeraret*, quibus uten-"dum non est." Lege, *partibus augeret;* nam non tantummodo ad Lucretianam orationem effingendam se passim Arnobius composuit, sed hunc ipsissimum locum videtur ob oculos habuisse.

Ver. 634. *pondera:* V. ed. B. *pondere.*

Ver. 635. *quos:* ita Π. verissime, ut opinor: P. Vind. V. ed. B. M. Δ. *quas;* L. Σ. Ω. *quæ.*—*geruntur:* L. *genuntur;* cujus tamen fides penes Havercampum sit, quem necessario in his rebus sequimur.

Ver. 636. *rerum:* Δ. *summam.*

Ver. 637. *solo:* B. *cœlo.* An voluit *cæco?* i. e. ex *primordiis cæcis* ignis, ut infra, ver. 1103.

Non possunt ea quæ debet genitalis habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus, per quos res quæque geruntur.
  Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere solo,
Magno opere a verâ labsi ratione videntur.

Ver. 638. *Magno opere:* sic separatis dictionibus exhibent G. V. ed. et sæpissime nostri, cum aliis fortasse, si talia accurate recensere visum esset operæ pretium collatoribus. Nos autem, quibus persuasum est multas tenebras tam Græcæ, quam Latinæ, orationi ex his verborum mixturis offusas esse, hunc scribendi modum et vehementer probamus, et passim exhibemus. Plautus, mil. glor. i. 1. 75.

Nam rex Seleucus me *opere* oravit *maxumo*—.

Ver. 639. *init:* V. ed. *quiti;* B. *quiete;* O. *vult;* Δ. *in.*

Ibid. *Heraclitus.* Plutarchus, plac. phil. i. 3. Ἡρακλειτος και Ἱππασος ὁ Μεταποντινος αρχην των ὁλων το πυρ· εκ πυρος γαρ τα παντα γινεσθαι, και εις πυρ παντα τελευταν, λεγουσι· κτλ. quibus habet similia Diogenes Laërtius, et alii, quæ apud eos quærenda sunt.

Ibid. *init prælia primus.* Virgilius, vii. 647.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris,
Contemptor divûm, Mezentius:

et idem, *inire prælia*, geo. iv. 314.

Ver. 640. *Clarus:* P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *Clarius.*—G. P. V. ed. Δ. Π. omittunt *ob;* quam mendam crediderim originem habuisse ex primâ sequentis dictionis syllabâ: hoc autem commisso, librarii *Clarius* scripsere, ne in metri leges peccaretur.—*inaneis:* B. *humanos;* V. ed. *manos.* Pro *obscuram* vero, P. *obscurans.*

Ibid. *obscuram linguam:* unde permultis veterum σκοτεινος, sive *tenebrosus*, appellatus est. Multa etiam de eo, non injucunda lectu, apud Clementem Alexandrinum cerni possunt. Talibus autem hic operam impendere nec convenit, nec vacat; et infiniti sane laboris esset.

Ver. 641. *graveis:* P. Vind. V. ed. O. Σ. *Graiis*, cui P. subjungit *qui.*

Ibid. "*Quamde* dicebant veteres pro "quam," verba Festi sunt in voce, qui laudat hunc ipsum Lucretii versum, et exempla profert etiam ex LivioEnnioque.

Ver. 642. *enim:* Δ. *cum;* nec male.

Ver. 643. *Inversis verbis:* non *rectam* scilicet atque naturalem significationem habentibus; ad alienam et inusitatam detortis. Terentius, heaut. ii. 3. 131.

Inversa verba, eversas cervices tuas:

ubi consulas, si libuerit, veteres grammaticos et interpretes hodiernos, qui tamen satis ad liquidum rem perducere non videntur.—B. autem habet *versis.*

Ver. 644. *Vera:* B. *Vota.*—*belle:* V. ed. B. Π. *bella;* Δ. *vella:* vide quæ dixerim ad. iii. 920.

Ibid. *tangere;* cum *vox* sit *corporea*, atque adeo quit *tangere:* vide iv. 529. et seqq. Hinc, cum elegantiâ minime vulgari, Lycophron, ver. 1452.

Τι μακρα, τλημων εις ανηκους πετρας,
Εις κυμα κωφον, εις ναπας ΔΥΣΠΛΗΤΙΔΑΣ,
Βαζω, κενον ψαλλουσα μαστακος κροτον;

Δυσπλητιδας utique, *sonis intactiles.* Editores non intellexere, neque probe enarrantem scholiastem audivere: δυσπλητιδες, αἱ δυσκολως πληττομεναι. Propertius, iii. 1. 40.

Gaudeat *in* solito *tacta* puella *sono:*

uti videram cum Burmanno legendum esse.

Et το *belle* Lucretii forte an respexerit

Heraclitus init quorum dux prælia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter, Graios, quei vera requirunt.
Omnia enim stolidei magis admirantur, amantque,
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt;
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt

mollium laudatorum blandiloquentias. Persius, i. 49.

> *Euge* tuum, et *Belle*—.

Toti autem phrasi *belle aureis tangere* e contrario respondet illa Persii ejusdem, ibid. 107.

> ——— teneras mordaci *radere* vero
> *Auriculas*.

Ver. 645. *fucata:* V. ed. *furata:* unde non male sic tentes locum; nam quis vulgata, quæ portentosa plane videri possint, in se suscipiet defendenda?

> ——— et lepido quæ sunt *curata* sonore.

Tacitus, ann. i. 13. fin. "donec Haterius "Augustum oraret, ejusque *curatissimis* "precibus protegeretur."

Vide rursum, an veram Lucretii manum nobis prodiderit codex noster Π.

> ——— et lepido quæ sunt fucata *colore*.

Hæc autem phrasis est omni major exceptione, et centum similibus apud Ciceronem aliosque, vel tyroni in memoriam redituris, se facillime tueri poterit: neque exemplis conferendis opus est. Sed reputet secum lector, an idem Romanorum disertissimus sit corrigendus in lib. iii. 25. de oratore: "Ornatur igitur oratio ge-"nere primum, et quasi *colore* quodam "et *fuco* suo." Vulgo, *succo*, i. e. *suco:* locutio enim *ornari succo* monstro similis videtur.

Enimvero, ut mentem eloquar, exquisitius his aliquid sublatere dixerim: nam nemo temere mihi persuadebit, nec idoneus harum venustatum arbiter conabitur persuadere, poëtam nostrum, subactissimi judicii scriptorem, sic sordide metaphoras permiscuisse contra receptas bene scribendi leges, quarum veteres erant observantissimi. Sic igitur ausim vel pignore posito contendere Lucretium scripsisse:

> ——— et lepido quæ sunt *dulcata* sonore.

Scriptum erat utique in membranis *ducata*, literâ *l*, quod adsolet, supra obscurius exarato; unde libros omnes mendosa lectio, quæ circumfertur, nullo negotio pervaserit. Sidonius Apollinaris, ii. 106. versibus ornatissimis:

> Te nascente, ferunt exorto flumina melle
> *Dulcatis* cunctata vadis, oleique liquores
> Isse per attonitos, baccâ pendente, trapetas.

De quo vocabulo consulas ibidem interpretes, et ad ejusdem epist. v. 4. cum criticis ad A. Gell. xv. 25. "*Dulco*, γλυ-"κανω:" glossarium Philoxeni. Adeas etiam nostrum supra, verr. 40, 414, 946. ii. 473. et, re diligenter in animo versatâ, vix ambigem, quin in sententiam meam pedibus sis iturus. Nihil tamen in Lucretii contextum hac occasione de meo interpolatum volui. Virgilius, Æn. x. 801.

> ——————— et mihi curæ
> Sæpe tuo *dulci* tristes ex *ore* recurrent.

Ovidius, art. am. ii. 284.

> ——————— carmina lector
> Commendet *dulci* qualiacumque *sono*.

His autem gemella passim leguntur.

Ver. 647. *uno:* sic Δ. Π. Σ. sed G. L. M. *uro;* reliqui, *vero;* non male.—*puro:* G. *vere;* quod ferri poterat, si indigeremus.

Ver. 648. *denserier:* Vind. *densarier.*

Ibid. *calidum:* cujus scilicet, utcunque modificati, sola proprietas *calor* est. In versu sequente, G. *eadem*, pro *eamdem*.



Aureis, et lepido quæ sunt fucata sonore.
Nam, quur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex uno si sunt igni, puroque, creatæ.
Nihil prodesset enim calidum denserier ignem,
Nec rarefieri, si partes ignis eamdem
Naturam, quam totus habet super ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus esset:
Languidior porro disjectis, disque supatis.
Amplius hoc fieri nihil est quod posse rearis

Ver. 650. *haberent:* G. M. *habere;* Δ. Π. *herent.*

Ibid. *super:* i. e. etiam, porro; *ἰσχυρῶς:* adeas Luciani interpretes ad Hermot. 61. et nostram Silv. Crit. ii. p. 54.

Ver. 651. *conductis:* P. *conjunctis;* quod glossam sapit.

Ibid. *Acrior ardor.* Virgilius, geo. iv. 409.

Aut *acrem flammæ* sonitum dabit:

epitheto in effectum e caussâ elegantissime trajecto.

Ver. 652. *disjectis, disque supatis.* Ita MSS. Pii, L. et Ω. *disjectisque, supatis,* M. *disjectis seque paratis,* P. O. fortasse vere: *disjectisque superatis,* G. V. ed. *disjectis et separatis,* B. *disjectatisque supatis,* Vind. Σ. *disjectatis superatisque,* Δ. *disjectimque separatis,* Π.

Ver. 653. *quod:* P. *quo,* cassâ constructione: et, pro *ne dum,* in sequente, *nec dum,* ut O. et Nonius etiam in voce *variantia,* quam per *varietatem* interpretatus est, hunc ipsum laudans Lucretii versum. Nihil interest.

Ver. 655. *Tanta queat densis:* B. *Tantaque ex accensis:* et similiter, omisso tamen *ex,* V. ed. Vind. Δ. Π. Σ. *Tanta quidem accensis:* Ω. Fortasse:

Tanta *quit ex* densis—.

Ibid. *esse:* V. ed. Ω. *esset:* unde non inepte sic versus constitui potest:

Tanta *quidem ex* densis rarisque ex ignibus *esset.*

Ver. 656. *Id quoque:* sic omnes libri: et constructio est, quæ centies occurrit in *Hoc* et *Quod,* initio sententiæ; ac nobis est in superioribus jam plus semel illustrata. Editores autem, exemplo nunquam satis improbando, non modo citra necessitatem, sed cum magno dispendio venustatis, suum *Atque hi* Lucretio obtrusere.

Ver. 657. *Denseri:* Π. *Densari,* solitâ varietate.

Ver. 658. *inesse:* sic P. V. ed. reliquî, *mu,* vel *musæ;* unde fecere critici τὸ *mussant,* vulgarium editionum: cui tamen lectioni ut consultum eant, ad finem proxime venientis versûs inferciunt *et,* libris reclamantibus; unde omnia fiunt insuavia et inculta. Ita nos imprimendum curavimus, ut neque naturalis ordo verborum turbetur, neque constructio impediatur. "Sed, quoniam hujusce opinionis asseclæ "multa esse sibi contraria sentiunt, atque "iidem non admittunt vacuum; hinc "fit, ut veram viam amittant, dum salebrosam atque difficilem reformidant ingredi."

Ver. 659. *fugitant:* Vind. B. *fugiunt;* P. V. ed. Π. Σ. *fugiant.*

Ver. 660. *vera viaï:* L. *ver aulai;* M. *ver aula;* Π. *verba nec ulla:* et τὸ *viaï* abest Σ.

Ibid. *vera viaï.* Similiter Virgilius, Æn. ii. 332.

Obsedere alii telis *angusta viarum.*

Ver. 661. *exemptum:* sic P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. neque dubitem, quin illud *exempto* in antiquissimis exemplaribus manu exaratis G. L. M. voluerit *exemp-*

Talibus in caussis; ne dum variantia rerum
Tanta queat densis, rarisque, ex ignibus esse.
Id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
Denseri poterunt ignes, rarique relinqui:
Sed, quia multa sibi cernunt contraria inesse,
Et fugitant in rebus inane relinquere purum;
Ardua dum metuunt, amittunt vera, viaï:
Nec rursum cernunt exemptum rebus inane,
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum

tum, deletâ tempore, vel inobservatâ collatori, virgulâ horizontali super scriptâ.—*rebus:* P. *rerum.*—*inane:* ita G. P. V. ed. B. L. M. Ω. Editur vulgo:

Nec rursum cernunt, exempto rebus inani,
Omnia denseri:

quæ ut concedam facilioris esse constructionis, quam ea, quæ nos edidimus; ipsa hæc facilitas, meo judicio, si testimonium librorum ad trutinam accuratam revocetur, non levem in se habet importunæ mutationis suspicionem; et præsertim, quum proba sit, si paullo exquisitior, lectionum probabiliorum ratio. Sic interpreteris velim: "Nec contra dispiciunt, "quid sibi velit vacui negatio, et hinc "quam absurda conclusio sequatur: om-"nia scilicet denseri." Quo quid planius aliquis desideret? quid concinnius, atque inculpatius?

Ver. 662. *denseri:* Vind. Π. Σ. *densari.*

Ver. 663. *nihil:* ita Vind. V. ed. L. M. alii: his tamen observandis præstiterit supersedere.—*ab:* Π. *ad.*—*raptim:* ita P. Σ. et rectissimum videtur, quamvis G. B. L. M. Δ. Ω. habeant *raptis*, et Vind. V. ed. Π. *raptum.*

Ibid. *raptim:* i. e. celeriter, ita ut emissæ particulæ longissime decedant a corpore, quod eas jaculatur: qui videtur effectus stipatis corporibus male consentire. "*Raptim, ὀξέως:*" vetus glossarium. Homerus, hymn. Apoll. 374.

——————— *μένος ὀξέος ἠελίοιο:*

quod Virgilius sic expressit, geo. i. 92.

——————— *rapidi*ve potentia solis.

Ver. 664. *ignis lumen jacit.* Pulchram hanc locutionem in Virgilii carminibus indubitatis nusquam inveniri semper valde admiratus sum. In Culice, de sole venuste legitur adhibita, ver. 102.

Quâ *jacit* oceanum *flammas* in utrumque rapacis.

Nos sæpius huic elegantiæ sermonis exornandæ qualemcumque demum operam navavimus.—In sequente versu Ω. dat *ex*, vice *e*.

Ver. 666. *ullâ:* sic P. et vere, ut putem, quamvis aliud quiddam sublatere innuere videantur G. L. M. dantes *mia*, et Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *una*, literarum ductibus prorsus consimilibus.

Ibid. *potesse:* antique, ut Terentius, et alii priores, quos æmulari non dubitat Prudentius, Lucretii in primis sectator, peristeph. x. 803.

Unam labantis dissipare tam diu
Vos non *potesse* fabricam corpusculi!

Ver. 667. *cœtus:* sic G. P. L. M. Ω. ita ut voces *igneis in cœtus* ὑφ' ἓν accipiendæ sint, quasi *igneis collectos;* V. ed. B. Δ. Π. *cœtu*, quæ naturalior haberi possit constructio, et *s* adhæsisse ex sequente verbo: sed Lucretius noster neque ad vulgaris sermonis rationes temere est redigendus, melioribus libris dissuadentibus,

Corpus, nihil ab se quod possit mittere raptim,
Æstifer ignis utei lumen jacit, atque vaporem;
Ut videas non e stipatis partibus esse.
Quod, si forte ullâ credunt ratione potesse
Igneis in cœtus stingui, mutareque corpus;
Scilicet ex nullâ facere id si parte reparcent,
Obcidet ad nihilum nimirum funditus ardor

neque hæc variatio quarti sextique casûs ita rara est, ut ob hanc caussam de mutatione aliquâ cogitare debeamus: adi Silv. Crit. v. pp. 30, 31.—Pro *in cœtus* autem, Vind. *intextos*; Σ. *in tectu*, et in margine, *interitu*. Hinc haud equidem improbandum existimem,

Igneis *intextos* stingui—:

i. e. unâ quasi texturâ involutos; stipatos utique.—*stingui:* P. V. ed. *stringi*, non contemnendâ varietate. Tullius autem in Arateis, sub finem:

Ut, cum luna means Hyperionis obficit orbi,
Stinguuntur radii, cæcâ caligine tecti.

Et ibidem alibi, uti te docebunt lexica. Glossarium vetus: "*Stinguo*, σβεννυω."

Ibid. *mutare:* ita Vind. Ω. *musare*, G. L. Δ. Π. Σ. *mussare*, O. Ω. *massare*, P. V. ed. et loco *stingui mutareque*, M. *sanguinis areque*, permixtis et depravatis vocibus. Nihil exsculpo lectione admissâ et vulgari vero similius.

Interea, loco lucem dabit Plutarchus, Heracliti rationes exponens, plac. phil. i. 3. et, quæ sequuntur, connectas iis ad ver. 639. admotis:—*τουτου δε κατασβεννυμενου, κοσμοποιεισθαι τα παντα. Πρωτον μεν γαρ το παχυμερεστατον αυτου, εις αὑτο συστελλομενον, γην γινεσθαι· επειτα, αναχαλωμενην την γην ὑπο του πυρος,* ΧΥΣΕΙ *ὑδωρ αποτελεισθαι· αναθυμιωμενην δε, αερα γινεσθαι.* Ita corrigendum est: libri dant etiam *φυσει*, nullo sensu.

Ver. 668. *nullâ:* sic Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. editi, *ulla;* P. *una.* —*si:* Δ. *se.*—*parte:* Ω. *parce.*—*reparcent:* M. et Pius in notis, *receptant;* P. *pararent.* Sunt, qui legant, *parte reporcent;* quibus non temere assenserim: de verbo autem *porceo*, consulas Nonium in vocibus *porcæ* et *porcet.*

Ibid. *reparcent:* i. e. abstineant, ut simplex *parcent*, ad morem *των teneo* et *retineo.* "Si nempe ab hoc faciendo nullâ "ex parte abstineant, sed concedant ig-"nes omnino exstingui, et, suam natu-"ram perdentes, in aliam transire; actum "est de Heracliti philosophiâ." Vocis autem *reparco* duo exempla lexicographis proferuntur; prius ex Plauti Truc. ii. 4. 25.

Utinam a principio rei item parsissem meæ,
Ut tu nunc *reparcis* suaviis!

posterius ex Symmacho, i. epist. 33. "Is-"tius muneris operam non *reparcam.*"

Ver. 669. *Obcidet:* V. ed. B. *Occidit;* quod malim.—*nimirum:* Ω. *in miror;* rudera fortasse germanæ antiquitatis, *nimirom*, unâ tantummodo literâ discrepante; nam primarum ductus in formis minoribus prorsus iidem sunt.—*funditus:* G. L. *funditur.*—*ardor:* M. *arbor.*

Ibid. *Obcidet funditus, κατ' ακρας απολυται.* Virgilius, Æn. xi. 413.

——————— semel agmine verso,
Funditus occidimus.

Ver. 670. *et* deest B. Π.—*ex* deest G.

Ver. 671. *mutatum:* G. V. ed. L. Σ. *mutuatum:* et Δ. in sequente versu, *morte.*

Ver. 673. *aliquid:* P. V. ed. *aliquod.* —*ollis:* i. e. ignibus, ver. 667. ita legunt P. Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. reliqui autem, *olli.*

Omnis, et ex nihilo fient quæquomque creantur.
Nam, quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante:
Proinde aliquid superare necesse est incolome ollis,
Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes,
De nihiloque renata virescat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam

Ver. 674. Hoc versu Latine redduntur Epicuri verba apud Diog. Laërt. x. 41.—*ταυτα δε εστιν ατομα και* ΑΜΕΤΑΒΛΗΤΑ, ΕΙ ΠΕΡ ΜΗ ΜΕΛΛΕΙ ΠΑΝΤΑ ΕΙΣ ΤΟ ΜΗ ΟΝ ΦΘΑΡΗΣΕΣΘΑΙ.

Ver. 675. *que* deest V. ed.—*renata virescat:* B. *nata revirescat.*—*virescat:* G. L. M. *vivescat;* unde non male tentes *vigescat.* Juvencus, evang. hist. ii. 204.

Quisque igitur justæ repetit primordia vitæ,
Hunc similem sancti *flatûs revigescere* certum est:

cui bene comparari potest Lucretianum illud supra, ver. 11. *viget aura Favonii.* In quibusdam presbyteri exemplaribus vitiosissime excuditur *reviviscere.* Sed nihil esse in hocce Cari loco novandum, ad liquidum perducitur imitatione Claudiani, in Prob. et Olyb. cons. 15.

Per fasces numerantur avi, semperque *renatâ*
Nobilitate *virent.*

Ibi codices nonnulli, *vigent;* minus eleganter, nec Lucretio sinente. Vide ad ver. 758.

Ver. 678. *abitu, aut:* B. *habitu, atque:* et illud ultimum non damnem.

Ver. 681. *referret:* Π. *refert.*—*decedere:* ita M. a primâ manu, sed ex correctione; Vind. *discedere;* reliqui omnes, *descendere.* De lectione autem nobis receptâ non videtur locus ambigendi. Non alio modo noster locutus est ad ii. 961.

Quam, quo decursum prope jam siet, *ire* et *abire?*

Hinc, opinor, Suetonius, ut alii multi veterum in iisdem dictionibus, emendandus, in Othone, sect. 11.—" eos, qui *discedere* " et *abire* cœptabant—." Malim, *decedere:* nam, licet confiteri sim paratus, utramvis dictionem sæpe indifferenter, ut fortassis in hoc etiam versu, usurpari posse, naturalioris esse usûs *τε decedere* in istiusmodi locis libenter judicaverim. Si duo homines domum linquant, probe dixeris eos *decedere;* si alter alterum, diversa itinera carpentes, accuratius dixeris eos *discedere*, mutuâ scilicet separatione factâ. *Decedit* terra, cum, navi in pelagus provectâ, ex oculis evanescat; *discedit* terra, cum diffissa in hiatum aperiatur. Homerus adveniet opportunus, Il. Α. 530. et differentiam significationis in iis verbis, de quibus disputatur, nobis commodissime definiet:

Τω γ', ὡς βουλευσαντε, ΔΙΕΤΜΑΓΕΝ· *ἡ μεν επειτα*
Εις ἁλα αλτο βαθειαν απ' αιγληεντος Ολυμπου,
Ζευς δε ἑον προς δωμα.

Διετμαγεν· διεχωρισθησαν· schol. *discesserunt.* Idem ibid. ver. 428.

'Ως αρα φωνησασ' ΑΠΕΒΗΣΑΤΟ·

Απηλθεν· schol. *decessit.* Vide Davisium, ad Minuc. Fel. 1. de his dictionibus probe docentem. In glossario vetere pro synonymis habentur *discedo* ac *decedo:* crisi haud dubie minus accuratâ. Ovidii locus est, ubi confusio particularum *dis* ac *de* magnam caliginem viris doctis offuderat, et lectionis vitiosissimam pepererat diversitatem: et, quum illustrandis supra dictis inserviat, coram lectori sistam, quamvis jam videam et emendationem et interpretationem esse Burmanno præoccupatas, amor. ii. 13. 9.

Quâque celer Nilus, lato *dilapsus* ab alveo,
Per septem portas in maris exit aquas:

i. e. " se, dum labitur, ab uno lato alveo " in septem minores dividens:" uti veris-

Sunt, quæ conservant naturam semper eamdem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, et convortunt corpora sese;
Scire licet, non esse hæc ignea corpora rerum.
Nihil referret enim, quædam decedere, abire,
Atque alio adtribui, mutarique ordine, quædam,
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
Ignis enim foret omnimodis, quodquomque crearet.

sime idem Burmannus exposuit; cui laus omnis elegantissimæ restitutionis deferenda est. Vulgo, *delapsus:* et probo *portas* Bentleii, ut ipse sponte correxeram: *portus* tenori orationis non concinit.

Ver. 682. *alio:* sic P. Vind. V. ed. L. M. Δ. Π. vulgo, *alia:* ex correctione cujusdam majorem perspicuitatem efficere studentis; sed inconsulto atque infructuose. *Alio adtribui:* i. e. " in alio loco " res addi, dum ex alio decedunt: et ita " scilicet utrinque, vicibus permutatis, " fieri; hinc auctis rebus, illinc decres- " centibus." Quæ dilucida satis sunt, et orationis solertiâ longius extra vulgarem usum positâ.

Ver. 683. *tamen:* P. V. ed. O. Δ. Π. *tantum;* si quid videam, haud deterius: ardorem scilicet tantummodo; nihil aliud. —*ardoris:* G. M. *arboris.*—*tenerent:* B. *teneret.*

Ver. 684. *omnimodis:* P. *omnimodus.* —*crearet:* ardor scilicet: ita P. V. ed. B. L. M. Π. nec caussam video rejiciendi lectionem sic firmatam. Vulgo, *crearent.*

Ver. 685. *ita est:* absunt Π. et in versu proxime veniente, præbet Ω. *motu.*

Ver. 687. *Ecficiunt.* Ita scribimus, ut, in quantum fieri possit, et proprietas patiatur, nobismetipsis nos constemus: illis autem, quibus non usu contigit membranas veteres trivisse, ægre persuasum foret, quam sibi ipsi scribæ contradicant, et antiquiores formulas studio quasi obliteraverint. Exempli gratiâ, ut librarius literam præpositionis finalem ad vocabuli præcedentis primam commode emolliret, ad Statii Theb. v. 208. in codice seculi xii. quem ipse oculis usurpavi, pro *in mole*, scripsit *immole.* Sunt interea de hoc genere infinita. Nondum nobis de hac scripturâ persuasum erat in operis initio; unde ad verr. 21, 30. infeliciter obtinet præcedentium editorum mos.

Ver. 688. *similata:* sic P. V. ed. B. Σ. et collationes Heinsianæ; ad antiquiorem, ut arbitrer sane, usum; ideoque vulgatæ reliquorum formæ *simulata* præponendum duxi.—*ullæ:* P. Vind. V. ed. Π. Ω. *ulli.* Sic autem loquebantur veteres, ut Plautus, Truc. ii. 2. 38.

Itane erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem *coloris ulli* capiendi, mala!

Ver. 689. *rei:* sic P. Vind. V. ed. et codd. nostri: vulgo geminant literam, scribentes *reii;* qualem scripturam in nullis, opinor, libris vetustis collatores invenere. —*possit:* P. V. ed. *posset.*

Ver. 690. *adjectu:* Vind. V. ed. Δ. Π. et Σ. *ajectu;* O. *ajactum.*

Ibid. *adjectu.* Hoc substantivo Vitruvius usus est, ix. 9.—" quarum brevitates, " aut crescentias, cuneorum *adjectus*, aut " exemptus, in singulis diebus et mensi- " bus, perficere cogit."

Ver. 691. *porro ignem:* Δ. *sique neque.* —*ignem:* V. ed. *sequi;* B. *si quæ;* Vind. *sique;* Π. *si quam;* Σ. *si quem.*—*res:* Vind. V. ed. B. *rem res.*—*esse* abest Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Quid sibi voluerint hæ varietates, non clare video; et inutilis esset laboris, atque etiam incertissimi, alicui extundendo insudare, cum vulgatæ

Verum, ut opinor, ita est: sunt quædam corpora, quorum
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ,
Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant
Naturam: neque sunt igni similata, neque ullæ
Præterea rei, quæ corpora mittere possit
Sensibus, et nostros adjectu tangere tactus.
  Dicere porro ignem res omneis esse, neque ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem,

lectiones idoneis auctoribus suffulciantur, et commodissimum sensum præbeant.

Ver. 692. *rerum nisi:* V. ed. *rem nec;* Π. *neque.*

Ibid. *Rem veram.* Lego: *Re verâ;* certissime. Bentleius.

Nobis etiam receptæ lectionis scabrities non omnino placet; sed de hoc genere quædam, ut alias monuimus, ætati Lucretianæ concedenda sunt, neque temere ad emendationes conjecturales fugiendum. Inde est, quod sagacissimo viro dissentire non erubescamus.

Ver. 693. *hicc':* P. Π. *hoc.—perdelirum:* V. ed. B. Δ. *perdelirus;* Π. *delirus.* Forte an dederit noster, pro *perdelirũ* in libris MSS.

——————— *perdeliri* esse videtur.

Vide tamen ver. 699.

Ibid. *hicc':* i. e. *hicce;* ut scribendum putamus, et edere statuimus, auscultantes Prisciano, lib. xii. p. 948. "*Ce* quoque "solebant per omnes casus vetustissimi "addere articularibus vel demonstrativis "pronominibus, hoc est, ab aspiratione "incipientibus; ut *hicce, hæcce, hocce:* "unde *hoc*, quasi duabus consonantibus "*cc* sequentibus, solent poëtæ producere; "ut,

"*Hocc* erat, alma parens, quod me per tela, per "ignis,
"Eripis:

Virg. Æn. ii. 662.

"et sic in antiquissimis codicibus inveni- "tur bis *c* scriptum." Plura invenias super hac quæstione in annotationibus Heinsii ad Æneïdos memoratum versum, tibi rem firmatiorem exposcenti, lector, omnino consulendis; ibi nam nobis omnia, quæ dicenda habuerimus, prærepta reperies.

Ibid. *perdelirum:* i. e. rectam veræ rationis semitam longe transgreditur; ut boves, quoties e rectâ sulcorum regione proterviter aratrum rapiunt: adi nostram Silv. Crit. iv. pp. 58, 59. nam ληραινειν ipsi, qui derivationem aucupantur, cum glossatore vetere, a Græco ληρος, loco Latini *lira;* de quâ dictione te non pœnitebit adiisse Nonium in voce *Delirare,* et Isidori origg. x. sub literâ *D:* cum Columellâ, ii. 4. 8. Hinc *liro, liror,* et *liratim,* de re rusticâ scriptoribus.

Ver. 694. *contra sensus ab sensibus:* i. e. ipsis quasi sensibus abutitur ad tollendum eorundem sensuum auctoritatem, dum contendit rem fieri, non citra sensuum facultates percipiendam, quæ tamen non sensibus percipitur, neque omnino, ut videtur, exstat: atque eodem tempore, ex arbitrio, iisdem sensibus, alia percipientibus, fidem denegare non dubitat.

Ver. 695. *unde:* Π. *nunc.—omnia:* Π. *omnio.—pendent:* Ω. *perdent.*

Ver. 696. *quem:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. *qui.*

Ver. 698. *quæ nihilo:* sic G. L. M. Ω. reliqui cum editionibus voces transpositas exhibent, non patienter ferentes τo *nihilo* locum spondæi implere, cum veri sit simillimum ex vetustorum exemplarium consensu, antiquos poëtas haud aliter passim scripsisse, et lectores exæquavisse syllabas celeri magis elocutione: de quâ re in superioribus dictum est.

Quod facit hicc' idem, perdelirum esse videtur.
Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent;
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem.
Credit enim sensus ignem cognoscere vere;
Cætera non credit, quæ nihilo clara minus sunt:
Quod mihi quom vanum, tum delirum, esse videtur.
Quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
Sensibus esse potest? quî vera, ac falsa, notemus?
Præterea, quâ re quisquam magis omnia tollat,

Ver. 699. *mihi:* B. *nisi.*—*quom*, vel *cum:* B. Δ. *tum.*

Ibid. *vanum:* i. e. falsum, mendax; uti mox, ver. 1067. *vanus error*, qui falsitatem parit. Gellius, xviii. 4. "Nos "autem postea ex Apollinari didicimus, "*vanos* proprie dici,—ut veterum doctis-"simi dixissent, *mendaces*, et infidos, et "levia inaniaque pro gravibus et veris as-"tutissime componentes." Mantuanus, Æn. ii. 80.

——— Nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, *vanum* etiam *mendacem*que inproba finget.

"Vanum, *fallacem:*" Servius. Item Terentius, Eun. i. 2. 24.

Sin *falsum*, aut *vanum*, aut *fictum* est, continuo palam est:

ubi Donatum perlegas, morosius, nec infructuose tamen, rationes dictionis exigentem. Orosius, hist. iv. 1. "Delphici "illius *vanissimi* spiritûs, et *mendacissi*-"*mi* nebulonis." Apud Livium, xxii. 25. *vanioribus literis* sunt, ambitiose fucatis, nec præcisam veritatem scrupulosius observantibus. Atque ita fere semper.

Ver. 700. *quid:* P. V. ed. *quod.*

Ver. 701. *quî:* i. e. quo modo; vide Priscian. lib. xv. p. 1011. 34. Sic autem legunt P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. reliqui, *quo*. Parum interest. Mox V. ed. *tollant;* et ver. 703. *velut.*

Ver. 702. Hoc dicit poëta: "Quum "Heraclitus ita ex arbitrio rem admini-"stret, et nihil esse in rerum naturâ, "præter ignem solum, dicat; quidnam "impedit, quo minus et nos vicissim im-"periose cum illo agamus, et omnia alia "esse, nusquam vero ignem, affirme-"mus?"

Ver. 704. *igneis;* ut verr. 657, 667, 680, 687. Vulgo, *ignis*, patrio casu singularis numeri, ut structura orationis sit, "quam neget esse *naturam* ignis:" quod nobis minus obvium videtur.

Ibid. *summam:* L. *ignem;* et G. M. deest: ut justa suspicio corruptelæ cujusdam, quam non tollendam speres, obmoveatur.

Ver. 705. *Æqua:* V. ed. B. Δ. Π. *Neque;* Σ. *Nequa*. Deinde, in ordine versuum, et ex eodem atramento, legitur in Δ. ut in aliis quibusdam codicibus:

Neque ignem, neque aëra, neque humorem, principia esse;

quæ manifestissime sunt mera sequentium capitula, stationem non suam temere occupantia.

Ver. 710. *ipsum:* P. *ipsas;* V. ed. *ipsam;* haud deterius, si locus ita distinguatur:

——— aut humorem queiquomque putarunt
Fingere res, *ipsam* per se terramve creare
Omnia—.

terramve: B. *terramque;* Π. Σ. *terrave.*

Ver. 712. *Magno opere longei deerrasse:* i. e. "magnam quasi operam dedisse pu-

Et velit ardoris naturam linquere solam,
Quam neget esse igneis, summam tamen esse relinquat?
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere posse;
Et quei principium gignundis aëra rebus
Constituere; aut humorem queiquomque putarunt
Fingere res ipsum per se; terramve creare
Omnia, et in rerum naturas vortier omneis;
Magno opere a vero longei deerrasse videntur.

" tes, ut procul diversi a veritate deerra-" rent." Elegantissime.

Ibid. *longei:* sic L. M. Ω.—*deerrasse:* sic Ω. et G. L. *derrasse;* M. autem, *longique derrasse;* B. *longeque emissa.* Reliqui, ut editur vulgo, *longeque errasse.*

Ibid. *longei deerrasse.* Ex hoc genere elegantiæ est, quod dedit noster in iii. 464.

Quin etiam, morbis in corporis *avius errat*
Sæpe animus.

Et sane formula est sermonis longe notissima.

Ibid. *deerrasse.* Virgilius, ecl. vii. 7.

Vir gregis ipse caper *deerraverat.*

Ver. 714. *liquori:* sic alibi noster absolute plus vice simplici, pro *aqua.* Haud aliter Horatius, od. iii. 3. 46.

———quà medius *liquor*
Secernit Europen ab Afro——.

Ver. 715. Opportunus in primis locus est, atque nostro illustrando accommodatissimus, in mythol. scriptt. ed. Gale, p. 327. Της δε των στοιχειων φυσεως εξ εναντιων συνεστωσης, ξηροτητος τε και ὑγροτητος, και θερμοτητος και ψυχροτητος· ὑπο δε της προς αλληλα αναλογιας, και κρασεως, εναπεργαζομενης το παν·——Εμπεδοκλης εφη τα ὁλα συνεσταναι οὑτως·

Αλλοτε μεν φιλοτητι συνερχομεν' ως ἑν ἁπαντα,
Αλλοτε δ' αυ διχ' ἑκαστα φορευμενα νεικεος εχθει.

Male vulgo, *αυτις* pro *αυ διχ';* et *αχθει,* locò *εχθει:* restituimus autem ex Diogene Laërtio, viii. 76. et posteriorem emendationem ante conjecturâ assecutus eram, quam apud hunc versiculos inveneram.

Ver. 716. *terrâ, atque animâ:* B. *terra, vento;* ex glossâ; V. ed. *terra, atque omnia;* Π. *terraque, atque anima.*

Ibid. *animâ:* vento, ut v. 237. ubi nos videndi. Nonius in voce: " *Anima,* ventus. Virgil. Æn. viii.

" Quantum ignes, *anima*que, valent.

" Varro Margopoli, περι αρχης: Noctilu-" cam tollo, ad focum fero, inflo *animâ,* " reviviscit." Ita locus interpungendus est.

Ibid. *imbri:* i. e. humore, vel aquâ; ut Ennius in fragmentis, p. 121. quatuor elementa sic complexus.

Quoi par *imber,* et ignis, spiritus, et gravis terra.

Virgilius, geo. iv. 115.

——————————ipse feracis
Figat humo plantas, et amicos inriget *imbris.*

Ovidius, epist. xviii. 104.

Et madidam siccas *æquoris imbre* comam.

Rerum primordia idem Mantuanus sic enumeravit, ecl. vi. 52. nostri memor:

Semina *terrarum*que, *anima*que, *maris*que fuissent,
Et liquidi simul *ignis.*

Sic etiam Varro, de re rust. i. 4. 1.: " E-" jus (culturæ soli) principia sunt eadem,

Adde etiam, quei conduplicant primordia rerum,
Aëra jungentes igni, terramque liquori;
Et quei quatuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terrâ, atque animâ, procrescere, et imbri;

" quæ mundi esse Ennius scribit, " *A-*
" *qua*, *Terra*, *Anima*, et Sol."
Porro, ut *imber* in hoc loco *aquam* generaliter, vel humorem quem libet, significat; ita sæpius *aquam* adhibent auctores pro *imbre*, humore pluviali. Sic Demosthenes in Neæram, p. 1379. ed. Reiske: 'ΥΔΩΡ *γαρ, γενομενον της νυκτος πολυ, εκωλυσεν αυτους παντας εισελθειν.* Et aliter hunc versum citat Servius, ad Virg. Æn. i. 123. sed suo proposito tantum accommodate, ne constructio non constaret.

Ver. 717. *Agragantinus:* sic libri castiores et vetustiores, G. Vind. L. M. O. Σ. Ω. *Agrigentinus:* Π. Vulgo, *Acragentinus.*

Ibid. *Empedocles:* de quo Plutarchus, plac. phil. i. 3. Εμπεδοκλης Μετωνος, Ακραγαντινος, τεσσαρα—λεγει στοιχεια, πυρ, αερα, ὕδωρ, γην.

Ver. 718. *triquetris:* Vind. *trivetris.* Hoc autem nomen a Lucretio sumpsit Horatius, Lambino non præteritus, sat. ii. 6. 55.

——— Militibus promissa, *triquetrâ*
Præmia Cæsar, an est Italâ tellure daturus?

Ibid. *gessit:* i. e. *εχει* habuit, continuit, possedit: confer ii. 734. iv. 49. vi. 847. Maro, geo. ii. 122.

Aut quos, oceano propior, *gerit* India lucos.

Sic *gerit fruges*, Ennius in fragmentis, et alii passim similiter poëtæ.

Ver. 719. *amfractibus æquor:* M. ac *fractibæquor;* G. *ac fractibus longi.* Volebat fortassis:

——— *longis* amfractibus æquor.

Ibid. *amfractibus.* An *litoris?* ut Accius Eurysace:

Super Oceani stagna alta patris,
Terrarum amfracta revisam.

An *maris?* ut " *amfractus solis*," i. e. circuitio: Cicero. Bentleius.
Haud dubie in hoc loco, *maris* Ionii *amfractibus*, quamvis in utramque partem dictio indifferenter spectet: nec mirum; nam terrarum projecturæ maris circuitionibus necesse est respondeant: conferas Valer. Flacc. ii. 452. iii. 277. iv. 727. Plin. iii. 1. fin. Claudianus, in Prob. et Ol. consulatum, 35.

Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteosque recessus.

Avienus, Arat. 802.

Eridani coëunt *amfractibus:*

unde eundem explicem et concinnem ad orb. desc. 342. de *Nilo* canentem:

Fecundatque solum procul: illic agmina cogit
In Boream; scissusque vagis *amfractibus*, æquor
Proserit, et ponto septem *ferus* explicat ora.

Audaci cum venustate, *æquor* Nili, ob amplitudinem: et *ferus*, ut Horat. od. iii. 29. 40. Rutilius, itin. ii. 23. qui nullo modo solicitandus est:

In latum variis damnosa *amfractibus* intrat
Tyrrheni *rabies* Adriacique *salis.*

Silius Italicus videtur emendationis indigere, ad xv. 173. ubi vulgo legitur *sinuatos:*

Hinc legit Ausonius, *sinuato* gurgite, ductor
Amfractus pelagi:

i. e. gurgite se insinuante; ut idem, ix. 227.

——— *sinuat* quâ flexibus undam
Aufidus, et curvo circum errat gurgite ripas:

et ii. 172. non aliter:

Averso rapitur *sinuata* per *æquora* curru.

Nisi sic immutes, frigebit et languebit sine epitheto solitarium illud *gurgite.*
Vox autem *amfractus*, nî fallor, ex Græ-

Quorum Agragantinus cum primis Empedocles est:
(Insula quem triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans circum magnis amfractibus, æquor
Ionium glaucis adspargit virus ab undis,

co est *αμφιῤησσω*, vel *αμφιῤασσω*. Ex hoc genere vox est *amflexa*, apud Pomponium Melam, iii. 2. *ambactus*, i. e. *αμφι actus*, in fragmentis Ennii, et omnia vocabula similiter composita Romanis.

Ver. 720. *adspargit:* ita G. L. M. literâ verbi simplicis *αρχαϊκως* servatâ: reliqui, *adspergit.*—*virus:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. *litus.*

Ibid. *glaucis undis:* ut Sedulius, iii. 227. in versibus optimi poëtæ lepore dignis:

> ——————— tunc, noctis opacæ
> Tempore, calcatas Dominus super ambulat undas,
> Et vasti premit arva freti; *glaucis*que *fluentis*
> Circumfusa, sacras lambebant marmora plantas.

Ibid. *glaucis adspargit ab undis.* Hunc versum in oculis habuit Avienus, orb. desc. 533. cujus mera rudera ex membranis sic in primo versu leguntur apud Maittairium; nec alia nobis suppetit editio:

> In vula r* eorum rursum se caper via flectunt:

locus autem Dionysii, perieg. 384. ita se habet:

> Κειθεν δ' ες αυγας στρεπτη παραπεπταται ἁλμη
> Θινας ὑποξυουσα Λιβυρνιδας.

Unde ad hunc modum Latina restituerim Avieni:

> *Intus ad Auroram* rursum se *cærula* flectunt
> Æquora, et Assyrium suspectant eminus axem
> *Ionii freta glauca sali.*

In oculis etiam habuit Lucretium ibidem, ver. 1306.

> Ultima terrarum tellus *aspergitur* Indi
> *Fluctibus* oceani.

Neque alibi respiciebat, eandem materiem tractans, Claudianus, rapt. Pros. i. 147.

> ——————— caput inde Pachyni
> *Respuit Ionias* prætentis rupibus *iras.*

Porro, nisi Lucretius in omnibus simplicitatem maxime naturalem et inaffectatam sectaretur, putavissem scripsisse:

> Ionium *raucis* adspargit virus ab undis:

vide Virg. Æn. vi. 327. Ovid. epist. x. 26. sed hic nitor ingenii magis fucati foret.

Ibid. *virus:* ita sæpius noster in sequentibus pro *maris salsugine* vocem posuit: vide ii. 475. v. 270. vi. 635. Item Manilius, v. 683.

> Quin etiam magnas poterunt celebrare salinas,
> Et pontum coquere, et *ponti* secernere *virus:*

ubi animadvertas etiam dictionis *celebrare* vim Lucretianam. Idem mox appellat hoc *virus* ver. 690. gemellâ phrasi, *pelagi venenum.* In loco priore plures editi habent *vires.* Cypriani Sodoma, ver. 149.

> ——————— pingue crematæ
> *Virus aquæ.*

Ver. 721. *fretu*, a recto *fretus* declinationis quartæ, ut etiam in vi. 363. quem versum citat Nonius in voce *fretum*, ubi similia exempla protulit ex Ennio, Novio, Varrone, et Lucilio; cujus ultimi locus sic emaculandus est:

> ——— Cœli *colmina*, et salis fretus:

editur vitiose, *nomina.* Et versum, quem tractamus, adduxit Priscianus, p. 554. Porro, Gellius, Pio non prætermissus, noctt. Att. xiii. 20. Ciceronem laudat ob solertem hujusce dictionis usum; nec ipsa verba frugiferis ex collectaneis pigebit admovisse:—"sic uti etiam M. Ciceroni "mollius teretiusque visum, in quintâ in "Verrem, *fretu* scribere, quam *freto:* "*Perangusto*, inquit, *fretu divisa:* erat e-"nim crassius *vastiusque*, *perangusto*

Angustoque fretu rapidum, mare dividit undis
Æoliæ terrarum oras a finibus ejus.

"*freto.*" Sic legendum, pro vulgato *vetustius*, (an *invenustius?*) quod maluit Gronovius. "*Vastam* atque hiantem ora-"tionem" habemus apud scriptorem ad Herennium, iv. 12. ita dictam, nî fallor, ob latiorem sonum; in quam rem non inopportunus accesserit Theocritus, xv. 88.

——— ΠΛΑΤΥΑΣΔΟΙΣΑΙ ἅπαντα.

Arnobius, lib. i. p. 36. Lucretii, ut passim, memor, inter alias vocabulorum æquivalentium discrepantes terminationes, habet: "Non item *fretus*, et fretum." Adi Sosip. Charis. p. 103.

Porro, hic est ordo verborum: "Mare-"que, rapidum angusto fretu, dividit "oras undis:" i. e. mare, quod rapidum efficitur, vel celeratur, angustiis freti, fluctus comprimentibus: vide me ad Moschum, ii. 128. editionis meæ. Lucem infundent huic interpretationi versus Avieni quidam, orb. desc. 640. quibus in transitu medicinam faciemus:

Heic iter infidum pelagi; miserandaque fata
Involvere salo, fluctuque hausere voraci,
Sæpe rates: *urgent* angustæ marmora fauces,
Artaque præcipitant properum confinia pontum.

Vulgo legitur, *surgent*, et *Arctam*. Neque alienus est idem ibid. 397.

——— eadem insinuatio ponti
Europam et Libyam *rapido* disterminat *æstu*.

Profuerit etiam contulisse Virg. Æn. iii. 414.—420. Lucretii non oblitum, et Avieno vicissim observatum: nam, si omnia velim, nostro illustrando inservientia, huc plene transportare,

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Comparandus est etiam omnino Silius, xiv. 11.—20. elegantissimo carmine Virgilium suum æmulatus, et auctores, quorum vim magnam interpretes ad locum adhibuere. Rem eandem sic vivide Lucanus exhibet, v. 234.

Artatus rapido fervet quâ gurgite pontus.

Insuper, prius liceat, quam hinc digrediar, turpi mendâ Catullianum versum liberare, lxiv. 179.

——— at, gurgite lato
Discernens, ponti truculentum *dividit* æquor.

Heus! tu, lector! anne arridet hoc tibi sodalitium, *discernens dividit?* Scribo:

——— at, gurgite lato
Deserpens, ponti truculentum dividit æquor:

i. e. infra serpens, sub montibus. Vide Virg. ecl. v. 84. Avien. orb. desc. 37. Error forte an sit ex recitatione derivatus. Cæterum, repetitio dictionis *undis*, pro quâ *udas* est in marg. O. similiter ad finem versûs hujusce atque finem præcedentis, vehementer displicet, et depravationis suspicionem ciet. Lego:

Angustoque fretu rapidum, mare dividit *ulnis*—.

Sic Euripides ΠΕΛΑΓΙΑΙ ΑΓΚΑΛΑΙ, Helen. 1068. 1452. et apposite magis in Oreste, 378.

Η ποντου, Ωκεανος ὃν
Ταυροκρανος ΑΓΚΑΛΑΙΣ
Ἑλισσων κυκλοι χθονα;

post Æschyli ΠΟΝΤΙΑΙ ΑΓΚΑΛΑΙ, in Choëph. 558. Hinc sponte emendaveram Priscianum, perieg. 353. nescius Wassium et Schraderum in eandem emendationem verissimam incidisse:

Hic tibi Parthenopes domus est castissima, frugum
Fertilis: hanc *Pontus* propriis exceperat *ulnis*.

Vulgo, *undis:* quemadmodum suavissime cecinit Manilius, iv. 594.

Ipsa natat tellus, pelagi lustrata coronâ,
Cingentis medium *liquidis amplexibus* orbem.

Ver. 722. *Æoliæ:* G. L. M. Σ. *Hæliæ;* unde recte nostram lectionem editores effinxere. Reliqui libri, *Italiæ*, ex interpretatione, ne Siciliam lector intelligeret: cum enim temporibus antiquis tota regio

Heic est vasta Charybdis, et heic Ætnæa minantur
Murmura, flammarum rursum se conligere iras,

Æolia audiret, terrâ freto perruptâ, partibus Siciliæ divulsis id nomen potissimum inhærescebat. Ibi Vulcani et Cyclopum domus, antra scilicet Æolia, scriptoribus universis decantata. Hæc autem colliguntur ex scholio, quod ex libris suis nonnulli deprompsere: "Ea, quam Jocastes, Æoli "filius, ad fretum Siculum inhabitabat, "pars dicta *Æolia*." O. habet *Hic lis.*

Ibid. *terrarum:* sic omnes libri MSS. et antiquiores editi. Vulgo, *terraï.*

Ver. 723. *vasta Charybdis.* Catullus, lxii. 156.

Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ *vasta Charybdis*—?

Unde Virgilius, flores poëticos ab omni parte colligens, Æn. viii. 302.

Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid *vasta Charybdis*,
Profuit?

Ibid. *Ætnæa murmura:* ut idem Maro, Æn. iii. 582. de hoc monte:

Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam—.

Ver. 724. *rursum se:* B. *rursumque se:* et *se* abest G. M.

Ibid. *flammarum iras.* Arnobius, inversâ phrasi, lib. iii. p. 109. "Quantas, "inquam, *irarum flammas* suffunde"rent—?" atque etiam pp. 121, 222. Multum similis est insuper poëtæ nostro Statius, silv. iv. 4. 79. in simili quoque materie:

——— fractas ubi Vesbius erigit *iras*,
Æmula Trinacriis volvens incendia *flammis*.

Sed illud *fractas* vix probent, opinor, nasutiores. An dedit igitur,

——— *raucas* ubi Vesbius erigit iras?

Ubi recte præferunt viri docti *το erigit* usitatius recepto *egerit;* quo tamen Marius Victor probe usus est, in gen. ii. 128.

Sulfureæ volitant nemoris per opaca favillæ:
Non aliter, quam dum ruptis *Sicula* Ætna caminis
Egerit immixtis stridentia sulfura flammis.

Sic reponendum aio: ut Ovidius, met. xiii. 770.

——— *Siculam* delatus ad Ætnam:

atque Lucanus, Phars. i. 545.

Ora ferox *Siculæ* laxavit Mulciber Ætnæ.

Libri dant *sicca Ætna:* sed in propriis nominibus longe numerosissimos errores atque crassissimos librarii scriptores erravere. Cujus alteri sit exemplo Claudiani insignis locus, nuptt. Hon. et Mar. ver. 278.

——— Jam te venerabitur Ister:
Nomen adorabunt *populi:* jam Rhenus, et Albis,
Serviet: in medios ibis regina Sicambros.

Ex notis Burmanni disco, eum etiam aliquid mendæ sagaciter odoratum esse; sed se tollendo non parem ingenue fateri, ut hominem liberalem decuit. Lego:

Nomen adorabunt *Colchi.*

Hujusce vero generis depravationum insignius adhuc exemplum dabo, ex ejusdem Claudiani de cons. Stil. iii. 158.

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod, veluti patriis, regionibus utitur hospes;
Quod sedem mutare licet; quod cernere Thulen
Lusus, et, horrendos quondam, penetrare recessus;
Quod bibimus *passim Rhodanum, potamus Orontem;*
Quod cuncti gens una sumus.
Ipse nitor hæc fedissima fient, si sic emundes:
Quod bibimus, *Phasis* Rhodanum, *Romanus* Orontem.

Phasis oppidum est in ripis eodem nomine fluvii positum, et incolas regionis istius repræsentat. Probissime vero opponuntur *Romanus* et *Orontes.* Juvenalis, iii. 62.

Jam pridem Syrus in *Tiberim* defluxit *Orontes.*

Enimvero, lætitiâ me non mediocri postea perfudit editio Burmanniana; unde didici ex variarum lectionum recensione, *Pha-*

Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis,
Ad cœlumque ferat flammaï fulgura rursum.
Quæ, quom magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visundaque fertur,
Rebus opima bonis, multâ munita virûm vi;

sim, pro *passim*, in nonnullis codicibus inveniri. Vide supra ad ver. 67.

Ver. 725. *eruptos:* V. ed. Ω. *eructos*, et antiqui codices Pii; pro *eructatos*, quod et ipsum in G. comparet. Non amplector, quamvis Gellius, xi. 7. verbum *eructum* habeat; quum eo sit sensu, qui Lucretii sane loco, quantum egomet queam discernere, nullo pacto congruat.—*ut* abest V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω.—*ut vis evomat:* G. L. M. *vis ut omniat:* adeo ut rescribendum esse videatur ad hunc modum:

Faucibus eruptos iterum *vis ut vomat* igneis.

Ibid. *Faucibus evomat igneis.* Virgilius, Æn. viii. 252.

Faucibus ingentem *fumum*, mirabile dictu,
Evomit:

et ibid. ver. 199.

Ore *vomens ignis.*

Ibid. *eruptos igneis.* Ita Tullius in Arateis, de *Sirio:*

Æstiferos validis *erumpit* flatibus *ignis.*

Et dignus est Virgilius, ad Æn. iii. 579. etiam, qui committatur:

——— ingentemque insuper Ætnam,
Inpositam, *ruptis flammam* exspirare caminis.

Cæterum, hunc Lucretii locum Heinsius ad Sil. It. vii. 355. mendosissimum vocat; atque adeo audacissimis conjecturis corrigit, sed, me judice, perquam infelicibus. Adeat lector Drakenborchium, ne simus nimii.

Ver. 726. *ferat:* P. *ferant.* Legendum fortasse:

Ad cœlumque *fremant* flammaï fulgura rursum.

Vide meas annotationes nuperrime datas ad Virg. geo. i. 511.

Ibid. *flammaï:* V. ed. *flamam;* B. *flammari;* L. *flamme;* i. e. *flammæ*, quam formam pro *flammaï* sæpissime dederunt, aberrantes, ut erat exspectandum, Lucretii exscriptores.

Ibid. *flammaï fulgura.* Pari cum audaciæ venustate magistrum suum Mantuanus imitatus est, Æn. iii. 571.

——— horrificis juxta *tonat* Ætna ruinis.

Ægre tamen æquâ laude prosequar imitationem alteram; quæ non solummodo modestiæ Lucretianæ fines longe longeque transgressa est, τα *Ad cœlum ferat* scilicet; sed omnem casti sermonis proprietatem violat, l. c. ver. 574.

Adtollitque globos *flammarum*, et *sidera lambit.*

Ver. 727. *multis:* Π. *multum.*—*videtur:* P. V. ed. L. *videntur.*

Ibid. *magna miranda:* i. e. nî fallor, *magnum miranda*, ut Virgilii *Rauca fremens*, et similia passim observanda.

Ver. 728. Hic et tres sequentes versus absunt Ω. sed in margine manus eadem scripsit: et in hoc codice verr. 732. 733. 734. præcedunt verr. 730. 731. ut in G. verr. 732. 733. veniunt ante eosdem versus; cui porro codici hiatus est inde ad ver. 786.

Ver. 729. *Rebus opima bonis:* i. e. *παντων αγαθων πεπληρωμενη*, uti Græci loquuntur. S. Lucas, i. 53. Πεινωντας ενεπλησεν αγαθων. Sic etiam Demosthenes, Xenophon, et alii: vide Suidam in Αγαθα, et nos de hac phrasi, si libeat, in Silvâ Criticâ, iii. p. 118.

Ibid. *multâ munita vi.* Virgilius, Æn. i. 271.

——— longam *multâ vi muniet* Albam.

Ibid. *virûm vi.* Idem, Æn. vi. 553.

Fit ut nulla *virûm*—

Nihil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, et mirum, carumque, videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt præclara reperta;
Ut vix humanâ videatur stirpe creatus)

Et integram Lucretii sententiam in hoc versu sic aliis verbis complexus est ille artifex solertissimus, geo. ii. 173.

Salve, magna *parens frugum*, Saturnia tellus!
Magna *virûm*.

Ver. 731. *sanctum:* quasi deus aliquis, divinæque interpres veritatis. Ennius, in fragm. annal. vi.

Ecfudit voces proprio cum *pectore sancto*.

Et nobilissimum habemus sane physici gravissimi atque doctissimi poëtæ præconium; cujus opera deperdita mirum nobis desiderium reliquere, fragmentis egregiis huc illuc sparsis vehementer accensum. Nitidos autem in eum Diogenis Laërtii versiculos appingere quid vetat? viii. 75.

Και συ ποτ', Ἐμπεδοκλεις, διερῃ φλογι σωμα καθηρας,
Πυρ απο κρητηρων εκπιες ΑΘΑΝΑΤΟΝ.
Ουκ ερεω δ', ὁτι σαυτον ἑκων βαλες εις ῥοον Αιτνης,
Αλλα λαθειν εθελων, εμπεσες ουκ εθελων:

i. e. ut cum Homero loquar,

———— *ἑκων αεκοντι γε θυμῳ.*

Vulgo, *αθανατων:* et nonnulli *μαθειν*, pro *λαθειν*· male. Omnia expediet *Horatius:*

———— *Deus inmortalis haberi*
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit:

i. e. volens homines latere, ignem hausit datorem immortalitatis: *τι το ζῃν*, mox vocat ille idem Græcus.

Ibid. *carum:* i. e. nihil habuit hæc insula, quod magis in deliciis generi humano sit. Putidum est, vel ob præcedens *præclarius*, commentum Fabri, *clarum*. Rem eandem sic magnificus extulit Virgilius, Æn. vi. 878.

———— nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.

Ver. 733. *Vociferantur:* i. e. "altâ "voce hoc laudibus ejus testimonium elo-"quuntur;" ne *το reperta* huic verbo jungas, quod minoris hic saltem esset elegantiæ: vide ii. 1050. Locutione prorsus consimili scriptor ad Hebræos usus est, xi. 4.—*δι' αυτης, αποθανων, ετι* ΛΑΛΕΙΤΑΙ: *de se loquitur*, sese prædicat.

Ver. 734. *vix humanâ stirpe:* adeo ut Epicuro suo tantum non Empedoclem exæquet, v. 8.

—— *Deus* ille fuit, *Deus*, inclute Memmi.

Ibid. *stirpe creatus.* Virgilius, Æn. x. 543.

———— Volcani *stirpe creatus*,
Cæculus—.

Ver. 735. *supra:* sic, nisi fallor, omnes libri scripti, et pleræque veteres editiones. Vulgo, *supera*. Et hinc, usque ad versum 785. desunt in M.

Ibid. *inferiores egregie:* i. e. valde, impense. Rhetor ad Herennium, lib. iii. "At si quid videmus, aut audimus, *egre-"gie turpe*, aut honestum." Itaque *egregie turpe* idem ferme fuerit, quod paullo post *unicam turpitudinem* appellavit. Faber. Adde Terentium, Heaut. iii. 1. 11.

—— ego profecto ingenio *egregie ad miserias*
Natus sum.

"Hic *egregie*, valde, nimis: non est ergo "*ad laudem* positum." Donatus.

Ver. 737. *invenientes:* Π. Σ. *inveniente:* et Ω. pro *responsa*, in versu sequente, præbet *sponsa*, voce decurtatâ.

Ibid. *divinitus invenientes.* Ita Tullius sæpissime locutus est, ut de orat. i. 53. "Itaque hæc, cum a te *divinitus* ego *dicta* "arbitrarer—."

Hic tamen, et, supra quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores;
Quamquam, multa bene ac divinitus invenientes,
Ex adyto tamquam cordis, responsa dedere
Sanctius, et multo certâ ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,

Ver. 738. *adyto cordis.* Eleganter: neque multo aliter Statius, silv. iii. 5. 56.

——— fixamque *animi penetralibus imis*
Nocte dieque tenes:

quem sequitur Claudianus, rapt. Pros. i. 213.

——— Veneri *mentis penetralia* nudat.

Variat aliquantulum Prudentius, psychom. 6.

Dissere, rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de *pectoris antro:*

ut ibidem, ver. 774. perpulchre:

——— si turbida fratrem
Mens impacati sub *pectoris* oderit *antro.*

Neque eleganter minus Naso, met. xv. 145.

——— augustæ reserabo *oracula mentis.*

Adde sis Juvencum, evang. hist. iv. 48.

Sic vox velatur justæ sub imagine vitæ,
Atque *adytis mentis* celantur sordida corda.

Ver. 740. *Pythia:* O. Δ. Π. Σ. *Phytia;* Ω. *Phitia;* et simili aberratione codex Stat. sec. xii. in musæo Britannico, quem ipse contuli, ad Theb. iv. 289. et scribæ ad Corn. Nep. i. 1. 3. et Lucan. vi. 425.—*tripode:* M. Ω. *tripodi;* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. *tripodis.*—*ex:* L. *a;* sed abest præpositio Vind. V. ed. B. Π. Σ. ut *que* etiam V. ed.—*profatur:* Vind. *profertur.* Hoc ultimum non temere contempsissem, si plures libri condicerent, ut vox *Pythia* non vulgariter neque invenuste τῳ *ratione* respiceret. Virgilius, Æn. ii. 115.

Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus; isque *adytis* hæc tristia dicta *reportat.*

Editis autem potius acquiescendum putem. Et veri simile est, poëtam nostrum memorem fuisse epigrammatis, quod laudat Diogenes Laërtius, x. 12. neque incommode jam nunc lectoribus apponemus, quum ad illustrandum libri secundi prœmium, et v. 1128. non nihil faciat:

Ανθρωποι, μοχθειτε τα χειρονα, και δια κερδος
Απληστον νεικεων αρχετε, και πολεμων·
Τας φυσιος δ' ὁ πλουτος ὁρον τινα βαιον επισχει,
Αἱ δε κεναι κρισιες ταν απεραντον ὁδον.
Τουτο Νεοκληος πινυτον τεκος η παρα Μουσων
Εκλυεν, η Πυθους εξ ἱερων τριποδων.

Pro τουτο, malim ταυτα, ut ambiguum evitetur. Et nostrum bene commisit Oudendorpius ad Lucanum, ix. 464.

Ille, deo plenus, tacitâ quem mente gerebat,
Effudit, dignas adytis, e pectore voces.

Ver. 741. *fecere ruinas.* Horatius, sat. ii. 8. 54.

Interea, suspensa gravis aulæa *ruinas*
In patinam *fecere.*

Porro, vice *fecere*, Σ. *facere.*

Ver. 742. *magnei magno.* Has delicias orationis Virgilius etiam æmulatus est, geo. i. 190.

*Magna*que cum *magno* veniet tritura calore.

Uterque Mæonidem sunt secuti scilicet, ad Il. Σ. 26.

——— μεγας μεγαλωστι τανυσθεις.

Vide quæ nuper notaverim ad Bion. i. 8. —Porro, vice *graviter*, Π. habet *pariter.*

Ibid. *cecidere ibi:* i. e. super ruinis principiorum, quas ipsi fecerant, procubuere.

Et graviter magnei magno cecidere ibi casu:
Primum, quod motus, exempto rebus inani,
Constituunt, et res molleis rarasque relinquunt,
Aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges;
Nec tamen admiscent in eorum corpus inane:
Deinde, quod omnino finem non esse secandis
Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori:

Ver. 746. *admiscent in corpus.* Simili regimine Virgilius, Æn. xii. 714.

——— Fors et Virtus *miscentur in unum.*

Creechius, qui nihil de penu proprio boni protulit, inscitissime legendum proponit *corpore.*

Ibid. *inane.* Ipse Empedocles:

Ουδε τι του παντος κενεον πελει, ουδε περισσον.

BENTLEIUS.

Versus iste legitur apud Plut. plac. phil. i. 18. Et quadraginta versus sequentes, hoc incluso, non leguntur in M. codice.

Ver. 747. *Deinde quod:* Vind. Π. Σ. *Denique et;* V. ed. *Denique et quod.*

Ver. 748. *faciunt:* Vind. V. ed. L. O. Δ. Π. *facient:* Σ. *faciunt.—pausam:* Π. Σ. *pausa.*

Ibid. *pausam.* In propatulo sunt hujusce dictionis exempla. Sed an Accius apud Nonium ad Lucretii normam sic corrigendus est?

Sed jam Amphilochum huc vadere cerno; et
Nobis *stat* bona *pausa* loquendi.

Vulgo, *datur*, contra leges carminis, si modo sit anapæsticum. Addam Arnobium, lib. v. quem Lambinus admovit:—"cum ab Jovis ipsius maledictis nullam "*pausam facere* vel exigui temporis qui-"veritis?" Et ex Anthol. Lat. Burm. epig. 230. lib. iv.

Jam datus est finis vitæ, jam *pausa* malorum,
Vobis, quas habet hoc, gnatam matremque, sepulcrum.

Ibid. *fragori:* i. e. fracturis et ruinis corporum: ut vi. 155.

Denique, sæpe geli multus *fragor*, atque *ruina*
Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte:

i. e. gelatorum fragminum eruptio: adeo ut *fragor* pro *crepitu* non sit nisi secundaria hujusce vocabuli significatio; inde ducta, quod *rupta* corpora soleant *crepare.* Isidorus, origg. xiii. 11. "*Fragor* a frac-"tarum rerum nominatus est *sonitu*—:" quem locum corrige ex Servio ad Virg. geo. i. 357.

Ver. 749. *prorsum:* Π. *prorsus.—minumum:* V. ed. *nimirum;* Ω. *nimium:* de quorum vocabulorum permutatione consulas Drakenborchium ad Liv. xxxiv. 15. 6. et nos supra, ver. 616.—*quidquam:* V. ed. O. *quivit;* Π. Σ. *quidvis.*

Ver. 750. *videamus:* B. *videas:—id.* Π. *ad.*

Ibid. *extremum cacumen.* Maro, Æn. vi. 678.

——— dehinc *summa cacumina* linquunt.

Ver. 752. *ex:* Ω. *et.—quod:* B. O. Δ. Ω. *quæ.* Quidam codices, *quæ.* Optimè. Alias legendum esse, *habet.* "Extrema "cacumina corporum eorum, quæ integra "visum fugiunt, sunt atomi, et minimâ "naturâ." BENTLEIUS.

Sed viro summo nolim equidem obtemperare, ne dilucide quidem constructionem propriæ lectionis, ita ut verbis poëtæ concinat, exponenti. Ita capias structuram orationis et auctoris mentem: "Est ex-"tremum crassius cacumen corporibus, "quod nos videre quimus: unde pronum

Nec prorsum in rebus minumum consistere quidquam:
Quom videamus id extremum quoiusque cacumen
Esse, quod ad sensus nostros minumum esse videtur;
Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis
Extremum quod habent, minumum consistere rebus.
 Huc adcedit item, quoniam primordia rerum
Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus
Esse, et mortali cum corpore funditus: atqui

"est conjicere, id extremum tenuius, "quod habent corpora, et quod visu con-"tingere non possumus, rebus minimum "consistere."—In sequente versu, *rebus* deest L.

Cæterum, si judicio proprio obsequi auderem, scripsissem cum V. ed. antiquius, *Conicere:* vide glossarium vetus, Servium ad Virg. ix. 411. sed de hoc alibi plenius in his notis egimus.

Ver. 754. *quoniam:* sic P. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui, *quod jam;* male; nam mens poëtæ, ad plurium atque meliorum librorum lectionem, quam exhibemus, sic probe declarari potest: "His "etiam alia accedit difficultas, *quum jam* "constituunt—." Et, nî fallor, *το quoniam*, si solvas, efficitur legitime *quom jam*.

Ver. 755. *nativa:* Δ. Π. *natura.*

Ver. 756. *mortali:* B. *immortali:* et rursus, ad iii. 611. ut non raro in vocabula veris maxime contraria manus librariorum solent aberrare: vide nos, ad. ii. 94. Exemplum nunc afferatur, ex carmine clxxiii. ver. 59. lib. i. Anthol. Lat. Burmanni:

——————— fecundo semine rerum
Mutat Terra vices, *et verni* temporis auras
Læta vocat: spisso revirescit gramine campus;
Triticeas ligat herba comas, nec fallit *aristis*
Proventum meliore die.

Libri, *autumni, Et vitreas,* nec non *aristas:* illud *aristis* vidit etiam Oudendorpius. Aliud hujusce permutationis specimen in contrarium suppeditet Silius Italicus, iv. 433.

——————— At Mavors in prælia currus
Odrysiâ tellure vocat: tum, fulminis *albi*
Spargentem flammas, clipeum, galeamque deorum
Haud ulli facilem, multoque labore Cyclopum
Sudatum thoraca, capit.

Vulgo, *atri.* At *album fulmen* est *αργη βροντη:* me vide ad Soph. Philoct. 1199. Homerus, Il. Θ. 133.

——————— *αφηκ' αργητα κεραυνον:*

αργητα, λαμπρον: schol. et conferas Virg. geo. i. 367. Hæc autem pervagata sunt, et alibi nobis sæpicule tractata; in primis vero ad Silv. Crit. sect. ccix.

Ibid. *atqui:* P. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ut qui:* nec damnem sane, quum *qui* aliquoties videatur posse *quia*, et difficile sit de his subtilioribus judicium fidenter ferre, nec minus periculosum.

Ver. 758. *vigescere:* sic Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *virescere;* quod ex ver. 675. haud dubie interpolatum est.

Ver. 759. *quid:* B. *quod.*—*jam* abest Δ.—*habebas:* P. Vind. V. ed. B. Π. Σ. Ω. *habebis;* non deterius: ut ordo sit, *jam habebis:* i. e. in posterum tenebis, ex supra dictis scilicet.

Ver. 760. *multis:* Π. *in ulti.*—*venena:* Σ. *videntur.*

Ibid. *inimica sunt atque venena.* Varro, de re rusticâ, i. 2. 18. "Quædam enim "pecudes culturæ *sunt inimicæ, ac vene-*

Debeat ad nihilum jam rerum summa revorti,
De nihiloque renata vigescere copia rerum:
Quorum utrumque quid a vero jam distet, habebas.
Deinde, inimicâ modis multis sunt, atque venena
Ipsa, sibi inter se; quâ re, aut congressa peribunt,
Aut ita diffugient, ut, tempestate coactâ,
Fulmina diffugere, atque imbreis, ventosque, videmus.
Denique, quatuor ex rebus si cuncta creantur,

" *no;* ut istæ, quas dixisti, capræ." Quem locum Fabro debemus. Hinc Virgilius, geo. ii. 378.

> Quantum illi nocuere greges, durique *venenum* Dentis—

Et sane, quum non alibi Lucretius, qui libenter vocabulum usurpat, in numero multitudinis ne semel quidem posuerit, malim legere:

> —— inimica modis multis sunt, atque *veneno:*

sed, utcunque hoc elegantius videatur, libris scriptis obtemperandum est, quibus nihil est varietatis, tali faventis conjecturæ.

Ver. 761. *sibi:* deest V. ed.—*inter:* Π. *intra.*

Ver. 762. *coactâ:* sic omnes libri MSS. quantum equidem valeam intelligere, et typis etiam excusi ante Lambinum; qui ex proprii ingenii thesauris suum pervulgatum *coortâ* nobis prompsit, atque editores invenit animis pronissimis obsequentes. Nos loco cedere conjecturam temerariam, atque infructuose excogitatam, jussimus. Locutione consimili Lucanus usus est, vii. 395.

> Rus vacuum, quod non habitet, nisi *nocte coactâ*
> Invitus:

i. e. tenebris se addensentibus, et coëuntibus. Cui vero non notus est, ut domus sua, Ζευς νεφεληγερετα poëtæ? et alia millia, nullo modo discrepantia, legentibus occurrent. In hanc rem vero consultorem adhibeas Burmannum opportune disquirentem ad Ovid. met. xi. 512. Claudianus etiam admoveatur, de bell. Get. 379.

> ———— vel qualis *in* atram
> Solicitus *nubem* mœsto Jove *cogitur æther.*

Hinc autem libet Sallustii gratias exponere, nemini perceptas, ad Jugurth. 10. 4.—" amici, quos neque armis *cogere,* " neque auro parare queas:" i. e. *in unum colligere,* ut solent prædatores pecora. Æmulari scilicet Homerum volebat limatissimus historicus, divinitus canentem, ad Il. ι. 406.

> ΛΗΙΣΤΟΙ μεν γαρ τε ΒΟΕΣ και πιονα ΜΗΛΑ,
> ΚΤΗΤΟΙ δε ΤΡΙΠΟΔΕΣ τε και ἱππων ξανθα καρηνα·
> Ανδρος δε ψυχη παλιν ελθειν ουτε ληιστη
> Ουθ' ἙΛΕΤΗ, επει αρ κεν αμειψεται ἑρκος οδοντων.

Libet etiam Senecam castigare, ad Hippol. 675.

> ———— omnis impulsus ruat
> Æther, et *actis* nubibus condat diem.

Sic rescribendum esse pro *atris* me suadent loci tenor et proportio. Denique, Lucretium conferas, vi. 211. 212.

Ver. 765. *eas:* Π. *ea.*—*rursum:* L. *rursus.*—*omnia:* V. ed. *omnes.*

Ver. 768. *Alternis:* Vind. V. ed. B. A. Π. Ω. *Æternis:* solent autem hæc verba librariis confundi: vide Drakenborchium, ad Liv. vii. 30. 7.

Ver. 769. *totam naturam:* Σ. *totas naturas.* Et hunc versum sequitur repetitus ver. 763. in Vind. B. L. Ω.

Atque in eas rursum res omnia dissoluuntur;
Quî magis illa queunt rerum primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter se naturam, tempore ab omni.
Sin ita forte putas ignis terræque coire
Corpus, et aërias auras, roremque liquorum,
Nihil in concilio naturam ut mutet eorum;
Nulla tibi ex illis poterit res esse creata,

Ver. 771. *aërias:* P. V. ed. Π. *aëreas;* quam orthographiam, ut etiam in *æthereus*, scio multis criticis placere, atque verissimam haberi; nobis autem interea si nunquam quiverint persuadere, non caussa est, ut pertinaciæ postulent, Græcorum *αεριος* et *αιθεριος* in animo habentibus.—*liquorum:* Π. *liquorem;* Δ. Σ. *liquoris:* quod probaverim, ut poëtæ nostro usitatius in numero singulari.

Ibid. *rorem liquorum.* Hinc Arnobius, lib. i. *pluviarum rores;* et lib. vii. *vini rores*, post Pindarum, Ol. vii. 4. *αμπελου δροσῳ*.

Ver. 772. *ut:* Vind. L. Δ. *et;* abest Π. Σ.

Ver. 774. *exanimo:* Pius, *ex animo*, disjunctis verbis; omnino male.—*cum:* ita P. Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Ω. reliqui, cum vulgaribus editionibus, *quid.* Nobis maxime arridebit, quod antiquo exemplari cujusdam docti manus ascripserit, leviter hoc pacto castigatum, pro *animo:*

Non animas ex non *animâ*, non corpore corpus:

ita ut dictiones *non animâ* et *non corpore* *ὑφ' ἑν* accipiantur, et *το non* in posteriorem clausulam *απο κοινου* accersatur. Si lector rem attentiore animo intuebitur, nulli dubitamus, eum genuinam Lucretii manum nobiscum agniturum esse; quum iniquum sit, et contra rationem, de hoc genere aliquid acceptum referre scribarum deliramentis. Illud *arbos* vulgatæ lectionis vix honeste satis caudam trahere videtur.

Ver. 775. *Quippe:* Π. *Quisque.*—*quidque:* V. ed. L. Δ. Π. Σ. *quisque;* Vind. B. *quisquam.*—*in:* Π. *non.*—*cætum*, P. Vind. V. ed. L. Π. Ω. non omnino contra Lucretii consuetudinem; sed, propter abundantiam quartorum casuum ejusdem numeri, in hoc loco minus eleganter; adeo ut nihil novatum velim.

Ver. 776. *obtendet:* Vind. Π. *ostendit;* Ω. *ostendat.*—*mixtus:* Ω. *amixtus.*

Ver. 777. Hunc versum, in omnium vexatissimis, edendum curavimus ad codicum, quotquot sunt, MSS. et exemplarium veterum typis expressorum, fidem; excepto, quod Π. det *quondam*, vice *quodam*, et L. *manare*, pro *manere.* Quivis videt, locum poscere simile aliquid Lambini conjecturæ, quam sequentes editores uno consensu sunt amplexi:

——— *atque ardor* cum rore manere.

Sed quænam est literarum similitudo corruptis dictionibus, atque huic emendationi, ut digna sit omni doctorum puncto? Non deterius ipse divinaverim ad hunc morem denique:

——— et quodam cum rore *vapores:*

quæ vox frequentissima est Lucretio; sed satis nullo modo conatus hicce nasutiori cuivis faciet. Veri putem similius, quod sequitur:

——— et *calidum* cum rore manere:

i. e. *caldom;* et, superscripto *l*, *cadom:* quæ dictio videri possit strictius oras

Non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos:
Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam obtendet, mixtusque videbitur aër
Cum terrâ simul, et quodam cum rore, manere:
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandestinam, cæcamque, adhibere;
Emineat ne quid, quod contra pugnet, et obstet,
Quo minus esse queat proprie, quodquomque creatur.
Quin etiam repetunt a cœlo, atque ignibus ejus;

legere depravatæ *codam*. Sed fortassis error fuerit in voce *simul*, nec citra membranarum emendatiorum opem facile tollendus. Peritioribus itaque ingeniis, atque felicioribus conjecturarum, versum discutiendum tradimus, ad alia laxiora libentissime ex his angustiis procedentes.

Ver. 779. *cæcam:* Π. *ceram:* voluit, opinor, *certam:* et hanc esse genuinam poëtæ scripturam puto. *Certam* utique, finis fixæ propositæque compotem, non inutiliter frustratam, uti se res habet cum primordiis nullam subeuntibus mutationem, sed priorem naturam retinentibus, nec *proprium* aliquid novo genere per mixturam, ut oportuit, creantibus. Vide var. lectt. ad iv. 85.

Ver. 780. *Emineat:* Vind. L. O. Δ. Π. Ω. *Demineat:* nec mihi pulchre liquet, veteres non *demineat* æque bene dixisse, ac *emineat;* Σ. *Diminuat;* P. *De numero;* V. ed. *Denumerot;* B. *Denumerat.*—*ne:* Π. *nec.* Arbitror equidem ad hanc normam tutius legi posse:

De numero ne *sit*, quod contra pugnet, et obstet.

Nam quoties τὸ *d* in libris exaratur *t?* ut minima literarum sit in hoc tentamine mutatio.

Ver. 782. *Quin:* V. ed. B. Π. *Quando;* uti passim permutantur.—*atque:* Π. *at.* Porro, hoc Heracliti atque discipulorum ejus placitum, invenias supra Græce expositum, ad ver. 667. et pressius ad Lucretianam orationem in Diog. Laërt. ix. 9. quem Creechius etiam laudavit. Interea, exemplum desidero verbi *repeto*, sic absolute sine substantivo positi. Si liceret hariolari, non male dixerim reponi posse:

Quin *res jam* repetunt a cœlo——:

vel fortassis ad probabilitatem propius accesserim, si scribam:

Quin etiam repetunt *ad cælum*——:

quæ Virgilius tuebitur, Æn. vii. 241.

—————— hinc Dardanus ortus
Huc repetit.

Ver. 783. *auras Aëris;* ut distinguantur scilicet ab *auris ætheriis*, proprie vitalibus; de quibus nonnulla in his commentariis occurrent, nobis jam nunc laborem excusantia. Virgilius, Æn. v. 520.

——— *aërias* telum contendit in *auras.*

Ver. 784. *imbrem:* V. ed. B. O. Δ. *ignem.*

Ibid. *hinc:* i. e. ex aëre. Seneca, nat. quæstt. iii. 20.—" ex *spiritu*, qui in *a*-" *quam* transfiguratus est."

Ver. 785. *imbri:* Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *igni;* et indignor tot exemplaria in hoc errore longe crassissimo consentire. Verba Heracliti apud Diogenem Laërtium, loco nuper laudato, sic se habent, impendio dilucida:—*συνισταμενον αερα γινεσθαι ὕδωρ, πηγνυμενον το ὕδωρ εις γην τρεπεσθαι.*—*a terrâ:* Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. *in terram.*

Et primum faciunt ignem se vortere in auras
Aëris: hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri; retroque a terrâ cuncta revorti,
Humorem primum, post aëra, deinde calorem:
Nec cessare hæc inter se mutare, meare
A cœlo ad terram, de terrâ ad sidera mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia facto.
Inmutabile enim quiddam superare necesse est;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam, quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,

Ver. 787. *mutare*, ut *mutari:* sic alii sæpius, et noster in consimilibus dictionibus sæpissime; adeas me ad ver. 398. et Cortium ad Sallust. Jug. 38. 10. cujus exemplum a Livio depromptum nihil ad rem facit.

Ver. 788. *A:* sic P. G. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Ω. reliqui, *De.*

Ibid. *sidera mundi.* Locutionem excepit Virgilius, Æn. ix. 93.

Filius huic contra, torquet qui *sidera mundi.*

i. e. sidera cœli: vide doctissimum Doering, ad Catull. lxiv. 205. qui locus sic scribi debet, ut integra constructio permaneat:

Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, *concussus*que micantia *sidera mundus.*

Vulgares editi, *concussit;* sed divinationi meæ libri Vossiani veteres aspirant. *Horrida* autem *æquora* sunt " quibus super" ficies horrificata est, et ανωμαλος," ex nutûs divini concitatione; quasi vento impellente: videas ibid. ver. 271.

Ver. 789. *facto:* P. Δ. Π. Ω. *pacto;* quod usitatius est: sed meliorum librorum, atque etiam plurium, testimonium non ausus sum rejicere; quum pronum foret librariis τo *facto* in *pacto* mutare, sed e contrario non item. *Nullo facto:* i. e. ex nullis rerum actionibus inter se—ex nullâ naturæ constitutione. Mox noster, ver. 941.

Sed potius, *tali facto* recreata, valescat.

Ver. 791. *Ne:* Ω. *Nec.—redigantur:* Π. *reducantur.* Et Δ. in ver. 793. habet *more*, pro *mors.*

Ver. 794. *quoniam:* Ω. *quando.—quæ:* O. Δ. *qui;* V. ed. *quod.*

Ver. 795. *In conmutatum:* O. Π. *Incommutatum*, conjunctis vocibus.—*veniunt:* V. ed. *verum.*

Ibid. *In conmutatum:* i. e. In commutationem: sic enim participiis noster uti gaudet: redeas ad ver. 385. et pergas ad ii. 438.

Ver. 796. *usquam.* Hæc est lectio membranarum omnium, atque editionum primarum: quam nullis idoneis de caussis cum *unquam* placuit editoribus mutare. Sed prorsus eodem sensus recidit, sive dixeris rem quamvis *nullo tempore* variationem pati, seu *nullo loco.*

Ver. 799. Bentleius legendum proponit:

———— ignem *ut* si forte crearint—:

quod mihi etiam se objecerat; sed infeliciter, nec citra dispendium constructionis, quæ ad receptam loci scripturam pedibus inoffensis currit. " Hac naturâ corpora

In commutatum veniunt, constare necesse est
Ex aliis ea, quæ nequeant convortier usquam:
Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes.
Quin potius, tali naturâ prædita, quædam
Corpora constituas; ignem si forte crearint,
Posse eadem, demptis paucis, paucisque tributis,
Ordine mutato, et motu, facere aëris auram:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auram
Aëris e terrâ res omneis crescere, alique:
Et, nisi tempestas indulget tempore fausto
Imbribus, et tabe nimborum arbusta vacillant;

" constituas; eadem *scilicet*, si forte cre- " averint ignem, posse—."

Ver. 801. *auram:* sic P. V. ed. B. et placet ob varietatem: sic sæpe Virgilius in unitatis numero. Libri reliqui, cum editis, *auras*.

Ver. 803. *At:* V. ed. B. Σ. *Ac.*—*inquis:* Δ. *ignis;* quam vocem superscriptam habet M.

Regeret autem adversarius Empedocleus: " At manifestum est res omnes quatuor " ex elementis derivari: nam videmus " omnia de *terrâ* surgere in *aëra*, et sic " nutriri; nec tamen citra lapsus *imbrium* " et *calorem* solis." Hæc, inquit Lucretius, libens concesserim: sed inde quidnam secuturum est? Ista scilicet *alimenta* rerum esse, non *primordia*; nam alia aliis aluntur: his terræ quidem fetus; potu vero, cibisque, humanum genus.

Ver. 804. *e terrâ:* L. *et terra;* forte, *ex;* Π. *æternas.*—*alique:* Π. *aliquas.*

Ver. 805. *tempestas indulget.* Virgilio putaverim hæc in oculis volitasse, dum divinos illos versus scriberet, quæ leguntur in geo. ii. 345.

Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet *cœli indulgentia* terras.

Hinc liquido patet, *ver imbriferum* intelligi Lucretio, et eos interpretes nullo modo rem tenuisse, quorum indefinita expositio de *tempore opportuno* loquitur.

Ibid. *tempore fausto:* veris utique. Hinc oboritur lux Horatio, ad od. iv. 5. 18. sic haud dubie corrigendo, ad mentem etiam, ut sero intelleximus, Thrasonis illius Cunninghami:

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit *culta* Ceres, almaque *Faustitas:*

i. e. *temporis fausti* Dea. Idem lyræ Romanæ fidicen, epist. i. 12. 13.

——— Democriti pecus edit agellos,
Cultaque——.

Ver. 806. *tabe:* P. *tabes;* V. ed. *tale.* —*vacillant:* P. *focillant;* V. ed. Ω. *facillent;* Vind. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. *vacillent;* adeo ut forte legendum sit *indulgeat* in versu præcedente, quum ab illâ crasi non omnino abhorreant poëtæ; multo minus noster.

Porro, nonnulli, vanâ de metro superstitione moti, volunt *tabi* scribere: sed audiamus Priscianum, lib. vii. p. 768. " Vetustissimi tamen, etiam in quibus- " dam Latinis, quæ nominativum in *es* " productam terminent, et pares cum ge- " netivo habent syllabas in hac declinati- " one, solebant producere ablativum more " quintæ declinationis, vel supradictorum " Græcorum, ut a *mole*, *fame*, *tabe*, quod " adhuc sic profertur. Virgil. Æn. vi.

Solque suâ pro parte fovet, tribuitque calorem;
Crescere non possint fruges, arbusta, animantes.
Scilicet; et, nisi nos cibus aridus, et tener humor,
Adjuvat, amisso jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur.

" 421. Lucan. x. 58. Juvenal. xv. 102.
" Lucretius:

" Imbribus, *ut tabe*, nimborum arbusta *vacillent*."

Malim tamen equidem in his grammatici exemplis rem ad efficacis virtutem cæsuræ potius deferre: de quo viderint lectores.

Ibid. *tabe*. Hæc elegantia Virgilium non effugit, Æn. i. 173.

Et, sale *tabentis*, artus in litore ponunt:

i. e. " multâ *madefactos* aspergine," uti Servius exposuit. Prudentius, cathem. vii. 107.

Nec sic calente sole *tabescunt* nives:

æmulatus Lucanum, x. 225. quem jam laudavit Havercampus:

Adde, quod omne caput fluvii, quodcumque soluta
Præcipitat glacies, ingresso vere, tumescit
Primâ *tabe* nivis.

Plures ibi codices dant *labe*: de quâ permutatione videas ibi Oudendorpium, et Burmannum ad Quintil. declam. lxii. 4. Hæc autem ad Arnobium immutandum non me impulerint, lib. v. p. 185.—" et cum deorum criminibus *labem* imbris " *e cœlo*, et telluris significare madorem?" quanquam locutiones Lucretianas nusquam non venetur. Sic enim Ausonius, id. vi. 7.

Et tacitos sine *labe* lacus, sine murmure rivos:

i. e. sine aquarum lapsu: quas significationis hujusce confirmationes lexicographis commendatas volumus.
Statius insuper commodus Lucretio admoveri potest, Theb. iv. 364.

Pectora *tabenti* sanie gravis:

cum Senecâ, Med. 590.

Sole jam forti, medioque vere,
Tabuit Æmus.

Conferas dicta ad Silv. Crit. v. p. 155.

Ibid. *vacillant*: i. e. mutant gravata, frondibus quasi defatigatis. Hanc vero venustatem sic Maro pulcherrime variavit, Æn. ix. 437.

——————— *lassove* papavera *collo*
Demisere caput, *pluviâ* cum forte *gravantur*:

quibus haud supervacaneus accesserit Homerus, fons omnium leporum poëticorum, Il. Θ. 306.

Μηκων δ' ὡς ἑτερωσε καρη βαλεν, ἡτ' ενι κηπῳ
Καρπῳ ΒΡΙΘΟΜΕΝΗ, ΝΟΤΙΗΣΙ τε ΕΙΑΡΙΝΗΣΙΝ.

Ver. 807. *Sol fovet*. Similiter Arnobius, lib. i. p. 16. im. si modo sit errore fedissimo liberatus: " Quis, ne fixa stu-" pore pigritiæ stupescerent elementa vi-" talia, *solis ignes* constituit rerum incre-" menta *foturos*?" In vulgatis legitur longe inscitissime: " *ad* rerum incremen-" ta *futuros*." Et infelicissime prorsus actum est cum aliâ hujusce familiæ dictione in suavissimo carmine Anthol. Lat. Burm. iii. 32. 11. quod transeuntes emaculabimus, de calidarum aquarum balneo:

Innocuos *fotus* membris parit intima tellus,
Naturamque pio temperat igne calor.

Vulgo, *fætus*. Sic in epig. 35. ibid. et aliis istius libri poëmatiis:

Hic fessos artus viva lavacra *fovent*.

Sic autem de *sole* priores loquebantur Græci. Sit testi Pindarus, Ol. i. 8.

Μηκεθ' ἉΛΙΟΥ σκοπει
Αλλο ΘΑΛΠΝΟΤΕΡΟΝ
Εν ἁμερᾳ φαεινον αστρον
Ερημας δι' αιθερος.

Adjutamur enim dubio procul, atque alimur, nos
Certis ab rebus, certis aliæ atque aliæ res:
Nimirum, quia multimodis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia multa
Sunt; ideo variis variæ res rebus aluntur.

Ubi corrigas hoc modo scholiastem priorem:—*προς συγκρισιν των αλλων αστρων, ἁτινα κατα τουτον τον χρονον εξασθενει* ΜΑΛΙΣΤΑ. Libri, *φαινεσθαι*, vel *φαινεται*: sed vocabulo posteriori vix dissidet *μαλιστα* ultra primam literam.

Ver. 808. *non:* P. *ne.*—*possint:* ita Vind. G. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui, *possunt.*—*animantes:* Σ. *animantis.* In versu sequente, *nos* abest Π.

Ver. 809. *tener humor:* *ἡ ὑγρα διαιτη* Hippocratis, *humidus cibus* Celsi.

Ver. 810. *Adjuvat:* V. ed. *Adjuverint;* P. Vind. Π. Σ. *Adjuvet:* vide ver. 805.—*amisso:* Σ. *admisso.*—*corpore:* P. V. ed. B. *tempore:* et Pius scribere dicit quosdam *robore;* ex interpretamento scilicet.

Ibid. *amisso corpore.* Sic loquitur Tullius, in epistolâ quâdam ad Gall. lib. vii. "Vireis et *corpus amisi:*" et noster mox, ver. 1038. Lambinus. *Amisso* nempe, tabefacto, siccato, et quasi præ macie *evanido.* Gemella est S. Matthæi locutio, cap. vi. com. 16. ΑΦΑΝΙΖΟΥΣΙ *γαρ τα προσωπα αυτων:* in quem versum quæ dedimus ad Silv. Crit. ii. p. 10. et v. p. 9. plurimum lucis hoc Lucretii loco communicabunt. Nec multo secus politissimus scriptor Phædrus, iii. 11. 3. de eunucho:

Damnum insectatus est *amissi corporis.*

Ver. 811. *atque:* B. *ac.*—*exsoluatur:* Π. Ω. *exsoluantur.*

Ibid. *exsoluantur.* Arnobius, lib. ii. p. 86.—"et, nisi vos applicatis Dei principis notioni, *a corporalibus vinculis exsolutos* exspectat mors sæva."

Ver. 812. *Adjutamur:* Σ. *Abdicamur,* sed in margine est recepta lectio; Π. *adjuvamur.*—*procul atque:* voces inversas habet M.—*alimur:* Π. *alunt.*

Ver. 813. *ab:* Π. Σ. *a.*—*certis:* Π. *certe.*

Ver. 814. *multimodis:* sic Vind. P. V. ed. B. M. Δ. Π. Ω. adverbialiter scilicet, ut alii sæpe: libri reliqui, *multa modis.*

Ver. 815. *multa:* sic G. M. reliqui omnes, *mixta.* "Poëta autem (verba "sunt Preigeri) manifesto captat hoc "loco omnimodam vocis hujus multipli"cationem, et valde exaggerat quod di"cit." Ex hoc genere est illud Paulinum, 2 Cor. ix. 8.—*ἱνα, εν* ΠΑΝΤΙ ΠΑΝΤΟΤΕ ΠΑΣΑΝ *αυταρκειαν εχοντες, περισσευητε εις* ΠΑΝ *αγαθον.* Ita legendum: vide Silv. Crit. iii. p. 118. Sic Demosthenes, contra Aristog. i. fin. *Και τι δει ταυτα ποιειν, εξον ευφημειν, και* 'ΑΠΑΝΤΑΣ 'ΑΠΑΣΙ ΠΑΝΤΑ *τ' αγαθα ευχεσθαι*—; Et similiter Plato, sub finem Menexeni: ΠΑΣΑΝ ΠΑΝΤΩΝ *παρα* ΠΑΝΤΑ *χρονον επιμελειαν ποιουμενη.* Vide Hutchinsonum ad Xen. anab. i. p. 85. ed. Oxon. formæ majoris. Sic alii passim.

Ver. 818. *Cum:* Π. *Con:* quæ frequentissima est permutatio.

Ver. 819. *quos:* B. *quo.*—*se:* Vind. V. ed. B. O. Σ. *sese.*

Ver. 820. *Namque:* V. ed. *Nam:* atque M. infert *et* post *terras.*

Ver. 823. *Quin:* V. ed. *Quando;* Π. *Quam.*—*nostris* abest V. ed.—*versibus:* Ω. *sensibus.*

Ver. 824. *verbis:* sed G. Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. *bellis;* quam dictionem *τῳ versibus* sane consociare possemus, et ipsum Lucretium fautorem habere hactenus, quod ita sibi soleat amantissime blandiri; ut in verr. 644. 932. 944. hujusce libri, ii. 528. iv. 181. sed neque commodus sensus exsurgeret, et esset insuavissimâ structurâ locus: ideoque lec-

Atque eadem magni refert primordia sæpe
Cum quibus, et quali positurâ, contineantur;
Et quos inter se dent motus, adcipiantque.
Namque eadem coelum, mare, terras, flumina, solem,
Constituunt; eadem fruges, arbusta, animanteis:
Verum, aliis alioque modo conmixta, moventur.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides, multis conmunia verbis;
Quom tamen inter se versus, ac verba, necesse est
Confiteare, et re, et sonitu distare sonanti:

tionem amplectimur et tenemus vulgatiorem.

Ver. 825. *se:* Σ. *sese.—versus:* Vind. Δ. Π. *versu;* V. ed. *vorsus:* quod probo.

Ver. 827. *permutato ordine:* Π. *mutato nomine.*

Ver. 828. *At:* V. ed. L. *Atque:* nempe Lucretius fortasse scripserat, alio cum ordine verborum:

At quæ sunt rerum primordia——.

Ibid. Bentleius maluit *adhiberi:* quod, utcunque majorem præ se ferat constructionis facilitatem, admitti in contextum nolim sine libris.

Ver. 830. Anaxagoræ sententiam fusius exponunt Diogenes Laërtius in vitâ, et Plutarchus, plac. phil. i. 3. sed dilucidiores sunt Lucretii rationes, quam quæ subsidio interpretum indigeant. Porro, Græcam vocem Græcis literis exhibendam putavimus, quamvis pluribus in libris, tam scriptis quam editis, Latine sit exarata: sed, ut editores fluctuantes, in libro quarto, Græco charactere dictiones multas darent impressas, hic autem Latino, idoneæ caussæ non exstitere. Ω. sane deest omnino vox, ut etiam in ver. 834. librario fortassis Græcas literas non callente.

Ver. 831. *Graii:* sic G. L. M. Ω. *Grai:* reliqui, *Græci;* quod antiquius.

Ver. 832. *patrii sermonis egestas;* hanc verborum consociationem difficiliter admittentis: in cujus tamen juncturæ calliditate nos Angli vel ipsis Græcis non vincimur. Plinius, epist. iv. 18. "Quemadmodum magis approbare tibi possum, quanto opere mirer epigrammata tua Græca, quam quod quædam æmulari Latine, et exprimere, tentavi? In deterius tamen. Accidit hoc primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopiâ, ac potius, ut Lucretius ait, *egestate patrii sermonis.*"

Ver. 834. *Principium:* P. V. ed. B. M. Π. Σ. *Principio;* haud dubie servantes germanam scripturam antiquitatis; vide ad verr. 120, 146, 289. Hinc, opinor, Sallustius restituendus est, opicæ consuetudinis egregius affectator, Catil. 3. fin.—"ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris *cupido* eadem, quæ cæteros, fama, atque invidia, vexabat." Vulgo, *cupido.* Eâdem etiam medicinâ locus in Anthol. Lat. Burm. i. 169. 15. videtur persanandus, ubi de Sirenibus et Ulysse loquitur poëta:

Transiluit scopulos, et inhospita litora, classis;
Illæ præcipites desiluere *fretom:*

i. e. *de* scopulis *in* fretum: sed post hæc verba, *motum* significantia, præpositio nusquam non omittitur; quod pluribus in horum commentariorum decursu manifestum faciemus: vide ad ii. 206. Editur, *freto.* Quod vero Burmannus et Heinsius lectionem prioris versûs iverint immutatum, et ille *classem transiluisse scopulos* sine exemplo dici affirmet, satis mirari nequeo. Anne aliter Horatius,

Tantum elementa queunt, permutato ordine solo!
At, rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc et Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Graii memorant, nec nostrâ dicere linguâ
Concedit nobis patrii sermonis egestas:
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,
Principium rerum, quam dicit ὁμοιομέρειαν·
Ossa videlicet e pauxillis atque minutis
Ossibus, sic et de pauxillis atque minutis

od. i. 3. 24. et 18. 7? sed his non immorabimur. Ejusdem Anthol. ii. 43. 1. sic rescripserim:

> Honc *unom* ploirumei consentiont R.
> *De* uno ore *optumom* fuisse *virom*.

Et ad eandem normam commodius castigetur ibid. epig. 262.

> *Ingeniom* mors nulla *manet*.

Libri, *Ingenio jacet*, vel *vacat*. Hinc certissime emendes Germanicum ibidem, v. 51. 1. et conferas quæ supra notaverim, ad ver. 275. de isto loco:

> Jupiter est illo *lætom* mage.

Editur, *læto:* de hac autem sermonis elegantiâ, *Jupiter est lætum*, nos consulas, uberius effusos, ad Silv. Crit. v. pp. 21, 22. et locos ibi designatos. Porro, nî fallor, hodieque manet hic ἀρχαϊσμὸς in voce *eodem*, sed elisâ literâ, qualiter vocibus compositis accidere soleat. Parum refert, unde deprompseris exemplum; adsit igitur ex Livio, i. 50. 7. "Hæc atque "alia *eodem* pertinentia:" nam plena fuerit constructio, *ad eomdem*, locum scilicet, *pertinentia*. Hæc autem ad eruditorum judicium libentissime deferimus.

Ver. 835. *e:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Ϡ. Ω. *de;* et tuetur Havercampus elisionibus pervagatis syllabæ *us;* sed male, et omnibus, nî fallimur, exemplis destitutus. —*pauxillis:* Vind. Δ. *pausillis;* et alibi. In *s*, *ss*, et *x*, scribæ passim turbant.

Ibid. *Ossa ex Ossibus*. Pulchre his admovit Pius Virgilium, Æn. iv. 625.

> Exoriare aliquis nostris ex *ossibus* ultor.

Verba Servii, memoriter citantis Lucretium, ad hunc modum supplenda esse judicaverim; quum solenne sit librariis, quoties ejusdem sit vocis repetitio, posteriorem omittere; de quâ aberratione videas Bentleium ad Horat. epod. v. 28. "Secundum Anaxagoram, qui Homœo- "meriam dicit, i. e. omnium membrorum "similitudinem, esse in rebus creandis: "i. e. ex ossibus *ossa*, ex sanguine *san-* "*guinem*, ex medullis *medullas:* nam "omnia pro parte sui transeunt in pro- "creationem. Lucretius:

> "Nunc *ad* Anaxagoræ *veniamus* Homœome-
> "riam."

Ibid. *pauxillis:* valde paucis, i. e. parvissimis: vide ad ver. 437.

Ver. 836. *sic et:* G. L. M. Δ. *hic et;* Vind. P. Π. Σ. *et sic*.

Ver. 837. *sanguen:* sic antiquiores, ut Accius, Ennius, et Varro, apud Nonium in voce, qui potest consuli; atque etiam Cato apud Gellium, iii. 7. Ex recentioribus, voce usus est Petronius, cap. 59.— "parce adolescentulo: *sanguen* illi fer- "vet:" ubi videas Burmannum; et, quem Barthius laudat ad Stat. Theb. iv. 464. Hilarius in gen. ver. 139. sic emendandus:

> Hæc soli concessa homini: nam cætera mutum
> *Et* pecus obtinuit; ventrem, præcordia, nervos,
> Venarum rivos, et sparsum corpore *sanguen*.

Visceribus viscus, gigni; sanguenque creari
Sanguinis inter se multis coëuntibus guttis:
Ex auræque putat micis consistere posse
Auram, et de terris terram concrescere parvis;
Ignibus ex igneis, humorem humoribus, esse.
Cætera consimili fingit ratione, putatque;
Nec tamen esse ullâ parte idem in rebus inane

Vulgo legitur, *Ut.*

Ver. 839. *Ex auræque:* Σ. *exhaurique.* —*putat:* Ω. *puta.*—*micis:* V. ed. *nacis:* et omnes in versu sequente, *Aurum.* Hæc nimirum ad vulgarium editionum lectiones exegimus; quum vero plane indignum sit *aëra* solum ex omnibus elementis prorsus negligi, a me non potui impetrare ut emendationem BENTLEIANAM rejicerem, quam sic munivit atque illustravit criticus incomparabilis: "*Quatuor* elementa numerat. Quid hic *aurum?* Oculos, credo, interpretum præstrinxit. *Micæ auræ:* ita *frusta sanguinis*, Prudent. psychom. 425. et *frustilla ignea*, Arnob. lib. ii. Simplicius tamen de Anaxagorâ: *παντα τα ὁμοιομερη, οἱον τε ὑδωρ, και πυρ, η* ΧΡΥΣΟΝ— *κτλ.* Noster, ver. 853.

"Ignis, an humor, an *aura?*——"

Hæc ille. Fieri quidem potest, Simplicium depravatis ipsius Lucretii codicibus deceptum esse; nam intelligimus ex Gellio, vel suâ ætate difficile fuisse in casta scriptorum primariorum exemplaria incidere. Sed obstat etiam emendationi propositæ Diogenes Laërtius, ii. 8. quem Lambinus excitavit nobis: ubi tamen in *similitudinem* tantummodo hoc *aurum* adhibetur; quod neque in Lucretio suspicionibus patuisset, aut emendandum saniori cuilibet fuisset: *καθα περ γαρ εκ των ψηγματων λεγομενων τον* ΧΡΥΣΟΝ *συνιστασθαι, οὑτως εκ των ὁμοιομερων μικρων σωματων το παν συγκεκρισθαι:* quæ (ut id moneam in transitu) nitidiora sunt iis, quæ Suidas dederit, unde Laërtii verba emendatum ibat Casaubonus. Hæc autem, re ipsâ et omnium tenore suffragantibus, me de sententiâ, quam iniverim, non absterrent. Porro, ut noster *auræ micas* dixit, Minucius Felix ad eundem modum de *atomis* generaliter locutus est, Octav. sect. 17. "Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divinâ ratione *perfectum* volunt, sed *frustis* quibusdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos, non habere." Ubi forte sit legendum, *profectum;* ut Cicero, acad. ii. 37. "Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis *proficisci* volunt omnia." Addam denique Arnobium, lib. ii. p. 77. a Lucretii vestigiis raro absistentem: "Quid enim, si—dicas—esse *auream* terram, quod in verriculâ collis unius insint exiguæ *miculæ*, quibus nascitur colliquefactis aurum, et admiratio congregatione acquiritur?" quæ, quamvis in rem vulgatæ lectionis magis faciant, non subtrahenda existimavi; et pulchre cum illis committas nostrum, v. 1254—1259.

Ver. 840. *terram:* Ω. *terraï.*

Ibid. *de terris concrescere.* Pari sensu Virgilius dictionem extulit, ecl. vi. 34.

——————— ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi *concreverit* orbis.

Ver. 841. In hoc versu repræsentando sequor Vind. G. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui fere exhibent ad hunc modum:

Ignem ex ignibus, humorem *ex* humoribus esse:

sed secundum *ex* neque Veronensis etiam agnoscit, et facile *απο κοινου* in posteriorem clausulam accersi potest.

Ver. 843. Voces transponunt G. L. M.

Concedit, neque corporibus finem esse secandis.
Quâ re in utrâque mihi pariter ratione videtur
Errare; atque illis juxta, quos diximus ante.
Adde, quod inbecilla nimis primordia fingit;
Si primordia sunt, simili quæ prædita constant
Naturâ atque ipsæ res sunt; æqueque laborant,
Et pereunt; neque ab exitio res ulla refrænat.

idem parte, exhibentes; sed extra dubium vitiose.—*parte:* Π. *partem.*—*in* abest Ω. Finalis utique vocabuli præcedentis syllaba, quod adsolet fieri, absorpsit.

Ver. 844. *esse:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. *inesse;* finali literâ præcedentis vocis in alienum locum provectâ, errore contrario ei, quem nuperrime attigimus.

Ver. 846. Id est, In utrâque re pariter errant, atque etiam " similem errorem " Heracliti discipulis supra memoratis." Hunc versum, sic ut edidi, ex divinatione prius emendaveram, quam eodem modo plane scriptum invenerim in codice Σ. Vulgo imprimitur:

——— atque *illi supera* quos diximus ante.

Vice τῶν *illi supera quos*, habet G. *illis six a quo;* Vind. V. ed. B. *illis jura quod;* Δ. Π. *illis jura quos;* L. *illis vira quod;* M. *illi siura quo;* O. *illis jungi quod.* Nihil sincerius est nostrâ lectione.

Ibid. *illis juxta.* Ita Livius, xxiv. 19. 6.—" Fabius omittendam rem parvam, ac "*juxta magnis* difficilem, abscedendum" que inde, censebat." Priscianus, lib. xviii. p. 1172. " *Juxta* et prope, et *dativo*, " et accusativo, junguntur."

Ver. 847. *inbecilla:* L. M. *imbecilia.* Σ. *imbecillia;* quæ confusio ex consimilibus literis, ut fit, exorta est.

Ver. 851. *obpressu.* Vocem adhibuit in loco sermonis exquisitissimi Sidonius Apollinaris, epist. ix. 11. " Cujus *lucis* " *aculeo* non sola penetratur aut arena " subtilis, aut humus fossilis; sed, si saxei " montis *oppressu* fontium conditorum " vena celetur, aperit arcanum liquentis " elementi secretorum cœlestium natura " violentior." Et cum elegantissimâ locutione *lucis aculeo* suaviter committas Lucretianam illam superius, ver. 148.

——— *lucida tela* diei;

et ea, quæ ibi nostra sedulitas contulerit.

Ver. 852. *effugiat:* G. V. ed. L. M. Ω. *efficiat;* sed plane incredibile est mendosam esse receptam dictionem, nisi quid sublateat, cui protrahendo nosmetipsi non sumus.—*dentibus:* P. V. ed. *cætibus:* O. *subeuntibus;* Δ. Π. *tentibus;* Σ. *utentibus.*

Ibid. *leti dentibus.* Imaginem haud multo discrepantem finxit etiam ad v. 374 —377. quo te referas. Opportune Lambinus Arnobium suscitavit, lib. ii.—" cum " ab summo traditum teneamus auctore, " non esse animas longe ab *hiatibus mor*" *tis et faucibus* constitutas—."

Ver. 853. Concinnavi lectiones hujusce versûs ex rationibus, quæ mihi videbantur veri simillimæ, ingenio partim nixus, inter vexatissimas codicum varietates; quas deinde recensendas officium muneris suscepti postulat.

Ignis: G. M. *Ignibus;* quod certe nihili est faciendum.—*sanguis an? anne os?* L. M. Ω. *sanguis? an os:* et hæc secutus est Havercampus, diæresi in *sanguïs* factâ, ut in dactylum produceretur; quod minime arridet nobis, ut taceam de errore metrico in *an:* Vind. *sanguis, an ossa;* non male, si ullo modo cum libris melioribus consentiret: P. Σ. *sanguinis ad nos;* et alius codex in notis ejus, *sanguis ἐμοιως:* V. ed. *sanguis omos:* Π. *sanguinis annos;* O. *sanguen an ossa;* Δ. *sanguen ad nos.* Sero animadverti, editores Basiliensem et Florentinum, annorum

Nam quid in obpressu valido durabit eorum,
Ut mortem ecfugiat, leti sub dentibus ipsis?
Ignis? an humor? an aura? quid horum? sanguis an? anne os?
Nihil, ut opinor; ubi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quam quæ manifesta videmus
Ex oculis nostris, aliquâ vi functa, perire.
At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo, testor res ante probatas.

1531 atque 1647. nostram viam priores inivisse. Et sane in proclivi jacebat error librariis, cum duarum dictionum similium *an* et *anne* concursus fieret: vide ad ver. 835.

Ver. 854. *ubi:* B. *ibi.*—*æquo:* L. *æquor;* Π. *quo.*

Ver. 856. *functa.* Sic locum suæ sinceritati restituimus ex ingenio. Pro vulgarium editionum *victa*, Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. dant *cuncta;* unde lectionem nostram parce detortam derivavimus: Ω. *invicta;* repetitis scilicet literarum ductibus vocis præeuntis. Pro *vi* denique, Π. dat *in.* Reliqui codices, si nobiscum fideliter collatores egerint, *vi victa:* quo ratio nostra longe est exquisitior, et mori magis affinis Lucretiano. Noster, iii. 814.

Plagarum quia sunt expertia; sic ut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu *fungitur* hilum:

et alibi repetitis vicibus. Statius, silv. ii. 1. 209.

———— omnia *functa*,
Aut moritura, vides.

Conferas eundem ad Theb. iii. 143. et nostrum supra, ver. 444.

Eleganter Arnobius, lib. ii. p. 62. phrasim Lucretianam æmulatione constantissimâ effingens: "Omnis enim passio leti, atque "interitûs, janua est; ad mortem ducens "via, et inevitabilem rebus afferens *func-* "*tionem.*"

Ver. 857. *At:* B. *Ut;* Σ. *Atque.*—*recidere;* M. *reccidere:* V. ed. B. L. *recedere;* sed in L. a primâ manu, *recidere*, teste Havercampo.

Ibid. *autem:* i. e. contra, *αυ, αυθις, αυτι:* unde Romana vox.

Ver. 859. *auget alitque.* Cicero, de amic. ad finem:—"sed nec illa exstincta "sunt, *alun*turque potius *et augentur* co- "gitatione et memoriâ."

Ver. 860. *et* prior: Δ. *ac.*—*sanguen:* Vind. L. M. *sanguin.*

Ver. 861. Abest hic versus G. P. Vind. B. L. M. Δ. Σ. Ω. legitur in Veronensi, et ex nostris Π. Eo omisso, mancus esset locus, ac nullo prorsus sensu, et constructione. Porro, voce *alienigenus* multoties usi sunt Valerius Maximus et de re rusticâ scriptores, ut *alienigena* ad substantivi formam plures alii.

Ver. 862. *Sive:* V. ed. B. L. M. Δ. Π. *Sine.*—*cibos:* V. ed. Δ. Π. *cibo.*—*dicent:* Π. *licet.* Et suspicio est pravitatis in *corpore;* nam scribitur in L. *core*, et in margine Vind. *rore:* quamvis non per se displiceat phrasis *conmixto corpore:* corpore scilicet miscello, et alienigenis ex partibus composito. Virgilius, Æn. xii. 835.

———— *conmixti corpore* tanto,
Subsident Teucri.

Verr. 863, 864. *Esse et:* L. *Esset.*—*Ossaque:* B. O. *Ossa.*

Ver. 866. *putentur:* omnes libri, *putetur;* sed quâ de caussâ emendare non dubitaverim, statim liquebit; et norunt omnes, mutationem minus violentam non posse fieri, quum litera *n* tenui tantum

Præterea, quoniam cibus auget corpus, alitque;
Scire licet, nobis venas, et sanguen, et ossa,
Et nervos, alienigenis ex partibus esse:
Sive cibos omneis conmixto corpore dicent
Esse, et habere in se nervorum corpora parva,
Ossaque, et omnino venas, parteisque cruoris;
Fiet, utei cibus omnis et aridus et liquor ipse
Ex alienigenis rebus constare putentur,

ductu calami supra exarato significetur. Pro *constare:* Π. *tum stare;* volens *cum:* vide ver. 818.

Ibid. *Ex alienigenis rebus*, et non ex consimilibus; quod sibi postulat ὁμοιομερειας doctrina, quam tuetur Anaxagoras.

Ver. 867. *venis:* ita solus antiquiorum P. nec loci tenor universus de sinceritate hujusce scripturæ sinat ambigi, quamvis G. Vind. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. habeant *sanie;* V. ed. *sanis;* B. *sanguiniis.*—*mixta:* sic G. Vind. V. ed. B. M. O. Δ. Π. Σ. editi, *mixto.* Error utique errorem peperit: nam vel semel deletâ horizontali notâ voci *mutetur* superscriptâ, ne constructio laboraret, pro *mixta* librarii *mixto* suffecere; vel Latinæ linguæ grammaticas rationes labefactari putabant, si neutro genere adjectivum ad substantivos masculinos, *cibus* et *liquor*, referretur. Perperam; similiter enim Livius, v. 44. 4. quem verissime corrigendum sic proponit Drakenborchius: "*Qui* effuso agmine *adventant*, gens est, "cui natura *corpora animos*que, *magna* "magis quam *firma*, dederit." Vulgo, *Quæ*, contra libros; et *adventat.* Plura si cupias exempla, tibi satis faciet Sanctius, in Minerv. iv. 8. qui nostrum etiam ex Livio, ut seri vidimus, occupavit.

Enim vero dudum affirmavi, errorem errore gigni; cujus simplex testis adsit Diodorus Siculus, xi. 89. Εστι δε και το τεμενος εν πεδιῳ θεοπρεπει κειμενον, και στοαις και ταις αλλαις ΚΑΤΑΛΥΣΕΣΙ ΚΑΛΩΣ κεκοσμημενον. Vulgo legitur, καταλυσεσιν ἱκαναις. Post quam scilicet se finalis ν intruserat, necessaria visa est dictio a vocali incipiens: hinc ἱκαναις invectum scribis.

Ver. 869. *terram:* sic G. V. ed. B. Δ. Π. Ω. reliqui, *terras:* nimio autem sibilo nostræ aures facile carere possunt, et hæc varietas ejusdem dictionis lautis lectoribus arridebit.

Ibid. *Si sunt:* i. e. *quoniam* sunt. Sic S. Matthæus, iv. 3. Ει υἱος ει του Θεου, ειπε, ἱνα οἱ λιθοι οὑτοι αρτοι γενωνται: i. e. "*Quum* "*sis* Dei filius, hæc res potestatem tuam "non superat." Sabinus etiam, epist. i. 93. quem, hac usus occasione, mendâ saltem simplice expurgatum, admovebo:

> Pervagus hinc toto non felix differor orbe;
> Et, quocumque vocat fluctus et aura, *vehor.*
> Sed, *si* Tiresias tam læti providus augur,
> Quam verax vates in mala nostra fuit,
> Et terrâ et pelago, quidquid mihi triste canebat,
> Emensus, fato jam meliore vagor.

Vulgati in secundo versu dant, *feror:* illepidissime quidem, statim post *differor.* Virgilius, Æn. vi. 355.

> Tris *notus* hybernas inmensa per æquora noctis
> *Vexit* me violentus aquâ.

Operæ porro pretium fuerit de hac re Charisium, ii. p. 201. audivisse: "*Si* finitivis jungitur hoc modo, quotiens res "factas significat, ut apud Ciceronem: "'*Si* inlustrantur, *si* erumpunt omnia, "mutet Catilina mentem.' Sic quoque "et perfecto jungitur; ut apud Virgilium:

> "*Si* potuit manes accersere conjugis Orpheus:

"adfirmat enim potuisse." Ubi notes

Ossibus, et nervis, venisque, et sanguine, mixta.
Præterea, quæquomque e terrâ corpora crescunt,
Si sunt in terris, terram constare necesse est
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In lignis si flamma latet, fumusque, cinisque,
Ex alienigenis consistant ligna, necesse est;
Ex alienigenis, quæ lignis exoriuntur.
Linquitur heic quædam latitandi copia tenuis,

varietatem scripturæ; quæ Maronis editores haud effugit.

Ver. 870. *terris:* Δ. *terras.*

Ver. 873. *consistant:* V. ed. *constant.* Deinde hunc sequuntur in G. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. Ω. hi duo versus lectionibus leviter variatis; ut in P. quoque, sed ordine inverso:

> Præterea, tellus quæ corpora cunque alit, auget,
> Ex alienigenis, quæ lignis exoriuntur:

quorum prior haud dubie adulterinus est, quum et orationis seriem interpellet, et ab argumento loci prorsus alienus interveniat: posterior autem verus est poëtæ fetus; et verbis præcedentibus,

> Transfer item, totidem verbis utare licebit,

non defenditur tantummodo, sed omnino vel conviciis deposcitur. His de caussis admittendum censui.

Ver. 875. Hunc ordinem verborum observant G. L. M. reliqui sedibus mutatis ponunt voces *copia* et *tenuis.* Si vero sic fuissent ab initio positæ, scribas turbaturos esse prorsus incredibile videtur. Sic autem pessime Veronensis:

> Linquitur hic tenuis copia quædam latitandi:

unde tamen vulgarium librorum ordinem se recte non habere suspicari licuisset. Similiter posuit dictionem Maro, geo. ii. 180.

> *Tenuis* ubi argilla.

Ver. 876. *ut:* Π. *ex;* V. ed. B. *et:* nec male, si Δ. codicis lectio in sequente versu unâ ad hunc modum societur:

> Id, quod Anaxagoras sibi sumit; *et* omnibus omneis
> Res *putat* inmixtas rebus:

quæ facillimâ constructione decurrunt, et meo saltem sunt gustui vulgatis sapidiora.

Ver. 877. Diogenes Cynicus, *παντα εν πασι, και δια παντων ειναι,* dixit: *και γαρ εν τῳ αρτῳ κρεας ειναι, και εν τῳ λαχανῳ αρτου και των σωματων των λοιπων εν πασι, δια τινων αδηλων πορων και ογκων, εισκρινομενων και ατμιζομενων.* Bentleius.

Hæc habuit vir summus ex Diogene Laërtio, vi. 73. atque ita castigata liquit. Dubito an vere: saltem omittere debuerat *και*, vel sic mutare, ΚΑΘΑ *των σωματων:* sed ipsius sententiæ obscuritas tentamina emendatorum periculosa facit.

Ver. 878. *Adparere:* Π. *Apellare.*—*plurima;* sic P. Vind. V. ed. B. G. L. M. O. Π. Σ. Ω. sed Δ. cum vulgaribus editionibus, *pluria;* ex temeritate editorum, citra omnem necessitatem.

Ver. 881. *minaci:* sic Vind. L. M. Π. Σ. Ω. *minace,* G; *minacis,* V. ed. B. et hæc ultima *minutas* etiam, vulgatam lectionem, posuit ad finem versûs. Δ. autem, vice *sæpe minaci,* dat *semine nati.*

Ibid. *minaci:* ex ornatu poëtico pro terribili atque formidabili, atque adeo *magno, gravi*que. Cum codicibus pluribus, *το minacis,* non damnavissem; sed longe exquisitius est, quod dedimus, et magniloquorum poëtarum audacibus ingeniis convenientius; epitheto scilicet ad *qualitatem* rei potius relato, quam ad

Id, quod Anaxagoras sibi sumit; ut omnibus omneis
Res putet inmixtas rebus latitare, sed illud
Adparere unum, quoius sint plurima mixta,
Et magis in promptu, primâque in fronte, locata:
Quod tamen a verâ longe ratione repulsum est.
Conveniebat enim fruges quoque sæpe, minaci
Robore quom in saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid, nostro quæ corpore alitur:
Quom lapidem in lapidem terimus, manare cruorem:

ipsam *rem*. Haud aliter equidem intelligam Virgilium, Æn. viii. 668.

> ——————— et te, Catilina, *minaci*
> Pendentem *scopulo:*

i. e. in *scopulo* vegrandi, ad auras districtum; in scopulo, qui se oppressurum esse ingentibus ruinis omnia minatur.

Ver. 882. *in:* hanc habent voculam Vind. V. ed. B. L. M. Σ. Ω. abest reliquis. Intelligas autem, vel per tmesim Lucretio usitatissimam, pro *infringuntur;* vel *in* robore, i. e. *cum* robore; ut Græci *ἐν:* vide nos, Silv. Crit. iv. p. 101. Valerius Flaccus, i. 641.

> —— cum subitus trifidâ Neptunus *in* hastâ
> Cæruleum fundo caput extulit.

Quem adeas etiam ad v. 349. et ibi Burmannum.

Ver. 883. *Sanguinis:* Ω. *Sanguis.*—*aliquid:* Π. *aliem;* Ω. *alium*, cum editionibus hodiernis, pro *aliorum;* male; quasi scilicet pronomen *eorum* optime, et ad optimorum scriptorum consuetudinem, subintelligi non poterat.—*quæ:* G. *quo;* Π. *cum.*

Huic versui subjicitur in libris communibus, qui sequitur:

> Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem:

quem judicat Faber adulterinum esse, et natum ex glossemate, versûs 882. interpretamento. E meâ tamen editione ejectum nolui, sed in numerorum seriem non receptum, ne in hac re perturbatio fieret ob admissum ver. 874. cum maximâ legentium incommoditate. Porro, inter *lapidi* et *lapidem* interserunt *in* omnia vetusta exemplaria præter Δ. tam manu scripta, quam typis expressa; et *lapidem* legunt, pro *lapidi*, P. Vind. V. ed. B. Δ. Ω. et sic edendum censui. Pro *terimus*, L. M. *terremus;* O. *tenuem;* Σ. *tenuem in*, mutatâ *τὸ in* statione. Mihi sane, quamvis olim ex innatâ sponte suspicione nigrum theta versui præfixeram, et spurium pronunciat etiam Bentleius, memet in omnia versanti persuasum est, optime libris stari posse, si accipias versum quasi per exegesin addi, stomachante scilicet nonnihil, atque irridente ineptias adversariorum Lucretio. Dixisse illum putes: "Dii, vostram fidem! perridicula plane "res hæc est, quam modo declaravi; fru- "ges sanguinem emittere! *lapidem* scili- "cet, *in lapidem* tritum, diffluere cruore! "Talia autem graves philosophos affir- "mare non erubuisse!" Hæc fortasse lectores haud respuerint, cum sit exempli pessimi facinus, nisi in re prorsus deploratâ, et extra omnem cordatorum hominum dubitationem jacente, surdas aures universorum codicum unanimi testimonio obvertere. A me saltem hanc contumaciam procedere nunquam velim, et parcissime processuram spondeo.

Ver. 884. *herbis.* Ita legitur in V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Ω. reliquis, *herbas;* quæ lectio placuit editoribus: sed immerito; quum sapiat importunam castigationem grammatici minus docti, planiorem

Consimili ratione herbis quoque, sæpe decebat
Et laticis dulceis guttas, similique sapore
Mittere, lanigeræ quales sunt ubere lactis:
Scilicet; et glebis terrarum sæpe friatis

constructionem, et ad frigidiores orationis pedestris leges propius accedentem, desiderantis. Ordo et structura sic se habent: "Ratione quoque consimili *in* herbis, "sæpe decebat eas mittere—:" quibus nihil dilucidius aut elegantius optandum est,—*decebat:* Π. *docebat.*

Ver. 885. *laticis:* P. Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Ω. *latices:* unde cogitandum est, an contextus non debeat concinnari, hac potissimum castissimorum librorum varietate nos impellente, ad scripturam codicis Π. qui suppeditat *guttis*, pro *guttas;* hoc pacto scilicet, si modo tolerari possit:

Et *latices*, dulceis *guttis*, *simileis*que sapore,
Mittere—:

sic enim codex M. vice *τυ simili.* Hæc autem, utut nobis videantur elegantiam vere poëticam præ se ferre, et Lucretio dignissima, tutioribus posthabenda sunt. —*sapore:* Π. *sapor.*

Ver. 886. *quales:* Vind. Σ. *quali.*—*ubere:* Vind. Σ. *ubera;* B. *rubore.* Hic ordo est, et constructio: "Quales "sunt *guttæ* lactis *in* ubere lanigeræ "*ovis:*" vel, si malis, "Quales *guttæ* "sunt *ovi* lanigeræ *in* ubere lactis:" cui rationi favet mox admovendus Tibulli locus, et noster, ii. 370.

Ad sua quisque fere decurrunt *ubera lactis:*

ut Varro *mammas lactis* dixit, observante id Preigero.

Ibid. *lanigeræ.* Sic sine substantivo Ovidius, met. viii. 312.

Protinus innumeris effetus *laniger* annis
Adtrahitur:

ut etiam Seneca, Œdip. 134.

Laniger pingues male carpsit herbas:

et multoties Manilius.

Ibid. *ubera lactis.* Tibullus:

Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis *ubera lactis* oves.

Sed otiosum plane et iners est illud *securis.* Lege, *pressuris;* aut propius ad vulgatam lectionem, *sucturis.* Nam, opinor, terrigenæ illi, mutum et turpe pecus, *mulctralia* non dum habebant. BENTLEIUS.

Locus exstat in Tibull. i. 3. 45. Et posteriorem divinationem valde ingeniosam esse, atque acuminis vere Bentleiani, quis neget?

Ver. 887. *friatis:* V. ed. *fimatis;* B. *sinatis;* O. Δ. Π. *fricatis;* ut Σ. etiam in margine.

Ibid. *glebis terrarum friatis:* i. e. comminutis atque dispulveratis, uti Pius elegantissime vocabulum exposuit. Plinius, nat. hist. xxxvi. 39. de lapide quodam summe fragili: "Ipse tam mollis, ut "etiam digitis *frietur.*" Varro, de re rusticâ, i. 9.—"si sit *terra* alba, si nigra, "si levis, quæ, cum fodiatur, facile *frie*-"*tur.*" In terrâ generis contrarii describendâ, vim dictionis *friare* Virgilius sic venuste dilatavit, geo. ii. 248.

Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud umquam, *manibus jactata*, *fatiscit*,
Sed, picis in morem, ad digitos lentescit habendo.

Idem ibid. superius, ver. 204. hanc terram *friabilem*, vel solubilem, sic descripserat:

Nigra fere, et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui *putre solum*, namque hoc imitamur arando,
Optuma frumentis:

quos versus neque Servius, neque alius quivis, quod sciam equidem, vel interpretum, vel editorum, intellexit. Hoc dicit limatissimus poëta: "Ea terra, cui so-

Herbarum genera, et fruges, frundeisque videri,
Dispartita, ac in terram latitare minute:
Postremo, in lignis cinerem fumumque videri,
Quom præfracta forent, igneisque latere minutos.

" lum est naturâ solubile, frumentis maxi-" me idonea est: et ob hanc caussam " scilicet; quod per se habeat eam solu-" tionem, quam unice volumus, et nihil " aliud, aratris exercendis efficere. Fe-" liciter itaque cum aratri officio terræ " istius indoles conspirat." Nihil verius hac interpretatione. Conferas geo. i. 94 —100. Eâdem operâ explanari potest, atque a temerariis conjecturis vindicari, Columellæ locus, v. 4. 2. Virgilianum versum nomine laudantis: " Quæ (pas-" tinatio) tamen ipsa pene supervacua est " iis locis, quibus *solum putre* et per se " *resolutum est; namque hoc imitamur* " *arando*, ut ait Virgilius: quod etiam " pastinando:" i. e. quod facimus etiam pastinando: nempe, tam arando, quam pastinando, putrefacere glebas volumus: præstantissima est igitur terra proprio ingenio friabilis, et præveniens quasi commoditate suâ naturali labores agricolarum.

Ver. 888. *genera:* Δ. *genere:*—*fruges:* Π. *frigidos.*

Ver. 889. *Dispartita:* sic, probe et emendate, Δ. Π. vulgo, *Dispertita:* vide ad ver. 14.—*ac:* sic Σ. Aldina posterior, et Juntina anni 1512; P. Vind. V. ed. B. Ω. *et*, metri legibus repugnantibus; Δ. Π. et vulgares editiones, *atque*. Nolim interea lector arbitretur, me ignorare Latinos non temere admittere atque usurpare *τὸ ac* ante dictionem a vocali incipientem; sed vix credam illud *atque* decrescere potuisse in *et;* potuisse autem in *ac*, longe credibilius videtur: et vulgarium scriptorum leges non sunt ad libitum Lucretio irrogandæ.

Porro, omnes omni genere, nisi fallor, libri vetustiores habent *terram;* quod regimen quum concoquere non quiverint editores, ex proprio penu nobis *τὸ terris* editionum suarum deprompsere: vide nos ad verr. 250. 1081. et locos ibi memoratos hujusce libri. Non aliam recte retuleris ad originem lectionem *ponebantur* in hoc Vegetii loco, ii. 12.—" *in quâ* censu, " genere, literis, formâ, virtute pollentes, " milites *mittebantur*." *Censu* vero, vice *ex censu*, ne retrahas ad *pollentes* juxta cæterorum nominum rationem.—*minute:* V. ed. *minutæ:* non repudiassem *minuta*, sed nihil ausim sine auctoribus demutare.

Ibid. *Dispartita.* Animum advertas, lector, ad adjectivum neutri generis substantivos femininos potissimum respiciens: vide quæ notaverimus ad ver. 867. et Oudendorpium ad Lucanum, i. 176.

Ver. 890. *fumum:* P. *summum.*—Hic et sequens versus absunt G. Ordinem verborum sic Π. invertit:

——————— *fumum cineremque videri.*

Ver. 891. *præfracta:* Π. *patefacta.*

Ibid. *præfracta:* ἀποκεκλασμένα, a fronte fracta; i. e. frusto quolibet disparato. Ovidius, met. xii. 356.

——————— solidoque revellere *fundo*
Annosam pinum magno molimine tentat:
Quod quia non potuit, *præfractam* misit in hostem.

Sic fortasse rescribendus est iste locus. Mire fluctuant codices inter *dumo*—*ulmo*—*terra*—*trunco*—*clivo:* unus autem, quod sero intellexi, lectum præbet,

——————— *fundo*que evellere *ab imo.*

Sed illud *solido* omnino tenendum est. Arnobius, lib. viii. p. 246. " trahi alios " *cruribus*, et claudicare, *præfractis*:" ut superius idem, lib. ii. p. 50. Columella, ii. 2. 28.—" *præfractas stirpes*, " summasque radices, quibus ager, arbus-" to consitus, implicatur, omnes refodiat, " atque *persequatur*:" quæ postrema sunt

Quorum nihil fieri quoniam manifesta docet res,
Scire licet, non esse in rebus res ita mixtas;
Verum semina multimodis inmixta latere
Multarum rerum in rebus conmunia debent.

Maronis imitatio ad geo. ii. 407. atque adeo receptam ibi lectionem asserunt:

Persequitur vitem, adtondens; fingitque putando.

Duo codices, *Prosequitur;* recte improbante Burmanno.

Ver. 892. *Quorum:* Π. *Quo.*—*docet:* Ω. *decet.*

Ver. 896. *At:* Π. *Ut.*—*inquis:* Δ. *ignis.*

Ibid. *inquis.* Lege, *inquit.* BENTLEIUS.

At cedo mihi effatum Anaxagoræ, quale vellem, et tua postulat emendatio; atque me habebis, vel codicibus reclamantibus, obtemperantem tibi, vir præstantissime!

Ibid. *in magnis montibus.* Virgilius, Æn. v. 449.

Aut *Idâ in magnâ* radicibus eruta pinus.

Huic autem loco illustrando Lambinus bene consuluit ex Thucydide, lib. ii. Ηδη γαρ εν ορεσιν ὑλη, τριφθεισα ὑπ' ανεμων προς αὑτην, απο ταυτοματυ πυρ και φλογα ὑπ' αυτυ ανηκε. Et opportune admovit Havercampus Suetonium, iii. 6. quem accuratius interpunctum dabimus:—"digredi- "ens inde, itinere nocturno discrimen "vitæ adiit, *flammâ* repente *e sylvis* un- "dique *exortâ*, adeoque omnem comita- "tum circumplexâ, ut Liviæ pars vestis "et capilli comburerentur." *Flamma* autem *circumplexa* est πυρ αμφιλαφις Græcorum, vel το παντη ψηλαφωμενον πυρ scriptoris ad Hebræos, cap. xii. com. 18. de quo nos in Silv. Crit. iv. pp. 227, 228. Dignus est etiam, qui excitetur lectoribus, Vitruvius de archit. ii. 1. "Homines ve- "tere more, ut feræ, in sylvis et speluncis "et nemoribus nascebantur: ciboque a- "gresti vescendo, vitam exigebant. In- "terea, quodam in loco (an *luco?*) ab "tempestatibus et *ventis*, densæ crebrita- "tibus, *arbores agitatæ*, et *inter se terentes* "*ramos*, *ignem excitaverunt*." Cujus loci Preigerus etiam meminit, ut et Statii, Theb. vi. 109. minus ad rem. Adi porro nostrum, v. 1095. Aurel. Vict. de vir. illust. vii. 1.

Ver. 897. *summa cacumina:* ut de *arbore* Virgilius, si Virgilius, in Cul. 141.

Ipsæque excedunt ad *summa cacumina* lentæ.

Ubi summopere miror, elegantissimam vocem *excedunt* Heynio displicere potuisse.

Ver. 898. *facere:* V. ed. *fulgere.*

Ibid. *validis austris:* ut Tullius in Arateis, pereleganter:

At *validis* æquor pulsabit *viribus auster.*

Ver. 899. *flammaï:* L. M. *flammæ,* solenni errore.—*fulserunt:* P. Π. *fluxerunt:* neque elegantiis suis hæc lectio destituitur; conferas enim nobis dicenda ad ii. 383. sed in hoc loco minus habet tempestivitatis, et felix librariorum aberrantium ludibrium judicari debet. Ita mox, ver. 902. "semina ardoris *confluxere;*" et apud Claudianum de Serenæ laudibus, commutantur hæc vocabula, ver. 90.

——— quacumque per herbam
Reptares, *fulsere* rosæ; candentia nasci
Lilia.

Vulgo, *fluxere:* et sero intellexi Burmannum proposuisse *fulgere:* utrum velit, lector eligat; nobis ea varietas constructionis placet. Sic de rapt. Pros. ii. 130.

Hæc graditur, *stellata rosis:*

et Ovidius, amor. ii. 5. 37.

Quale *rosæ fulgent,* inter sua lilia mixtæ.

Vide autem *fulsere* et *fluxere* permutata librariis ad Lucan. vi. 129.—*flore:* B. *fulgure;* O. *rore;* Vind. P. V. ed. Π. Σ. Ω.

At, sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus austris,
Donec flammaï fulserunt flore coorto:

fulgore: adeo, ut in plerisque editionibus exhibeatur versus ad hunc modum:

Donec fulserunt *flammæ fulgore* coorto:

quem recepto vix minus elegantem dixeris. Voces perturbatas ordine Veronensis dedit:

Donec *coorto* fulserunt flamæ *fulgore:*

nec multo aliter B.

Donec *coorto* fulserunt *fulgure* flammæ.

coorto: Π. *corusco:* nec displicet. Virgilius, geo. iv. 98.

——— elucent aliæ, et *fulgore coruscant.*

Ibid. *flammaï flore.* Hanc locutionis venustatem ex Græcorum fontibus emanavisse norunt omnes. Æschylus, Prom. vinct. 7.

Το σον γαρ, ΑΝΘΟΣ παντεχνυ ΠΥΡΟΣ, ΣΕΒΑΣ
Θνητοισι κλεψας ωπασεν:

sic ut nos olim legendum proposuimus ac distinguendum, ad Silv. Crit. i. p. 91. nec pœnitet, faventibus scholiaste *á*, et Eustathio, ad Il. ι. 212. Αισχυλος εν Προμηθει ΑΝΘΟΣ ΠΥΡΟΣ λεγει. Jam vero dicere *Vulcani florem* simpliciter, flammâ non consociatâ, longe foret, me judice, insulsissimum. Legitur vulgo, σελας. Hinc etiam emendandum est Inûs Euripideæ fragmentum apud Stobæum et Pindari scholiasten; (vide Valck. Ammon. animadvers. p. 139.) in quod singulari cum audaciâ et successu nullo, calamos distrinxere Scaliger et Valckenaërus:

Ιστω δε μηδεις ταυθ', ἁ σιγασθαι χρεων·
Μικρυ γαρ εκ λαμπτηρος Ιδαιον λεπας
Πρησειεν ΑΝΘΟΣ

Vulgo, αν τις· quod ferri poterat, sed elegantissimo poëtâ unice digna est nostra divinatio. Pulchre Avienus sub initio Arat. phæn. de Jove:

Flos et *flamma* animæ.

Porro, illud λαμπτηρος Euripidis undequaque inculpabile est, et res ipsa citra morosiorem verborum singulorum exactionem satis illustratur Pindaro. Similem λαμπτηρα recte pastoribus Virgilianis dederim, geo. ii. 303.

Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Et totum involvit flammis nemus—.

Martianus Capella, vi. 21.

Tuque *ignis flos* es, cluis et γλαυκωπις Αθηνη.

Atque, haud vulgari cum venustate, Marius Victor, in gen. i. 98.

*Astra*que, distinctis cœlum pingentia zonis,
Floribus ætheriis varios vibrare colores.

Addam Orphei fragmentum, apud Proclum in Timæum, lib. iii. p. 137. ed. Bas. sic ut illud castigandum puto:

Ενθεν ΔΗ θρωσκει γενεσις πολυποικιλυ ὑλης·
Ενθεν συρομενος, πρηστηρ, αμυδρυ ΠΥΡΟΣ ΑΝΘΟΣ,
ΚΟΣΜΟΥ ΕΝΙΘΡΩΣΚΩΝ κοιλωμασι.

In libris, αδηθρωσκει· unde critici, αδην θρωσκει: sed potius crediderim negligentem scribam similium ductuum nimietate peccavisse. Et vulgo, κοσμων ενθρωσκων. Cum locutione vero κοσμυ κοιλωμασι, committas Carum nostrum, iv. 172.

——— magnas *cæli* conplesse *cavernas.*

Hinc autem percipias Flori venustates, ad. i. 22. 1. "Hæc est secunda ætas po-"puli Romani, et quasi adolescentia: "quâ maxime *viguit*, et quodam *flore* "virtutis exarsit, ac ferbuit: *ita*, *quæ* ine-"rat, quædam adhuc ex pastoribus feri-"tas, quiddam spirabat indomitum." Sic legendum: vulgo, *viruit;* eleganter per se, sed, an *maxime viruit* elegantem scriptorem deceat, valde dubito. De his autem vocibus permutatis, vide ad ver. 675. supra. Sic Livius, i. 57. "Si *vigor* "*juventæ* inest:" et Horatius, od. iv. 4. 5.

Scilicet; et non est lignis tamen insitus ignis;
Verum semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ quom confluxere, creant incendia sylvis.
Quod, si facta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier ignes:
Confacerent volgo sylvas, arbusta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre, eadem primordia sæpe
Cum quibus, et quali positurâ, contingantur;

Olim *juventas*, et patrius *vigor*—.

Et *ita quæ*, pro *itaque*, ipse etiam proprio ex acumine reposueram.

Ver. 900. *Scilicet*. Solennis est nostro formula, quoties, postulato adversarii concesso, subruere conclusionem parat: vide supra, ver. 809.—Cæterum, voces *lignis tamen* inversæ leguntur in Π.

Ver. 901. *ardoris:* V. ed. *arboris.*—*terendo:* Π *tenendo.*

Ibid. *semina ardoris.* Ex Homero, quem longo agmine secuti sunt hactenus posteriores, Od. Ε. 490.

ΣΠΕΡΜΑ ΠΥΡΟΣ σωζων,

Hinc Pindarus, Ol. vii. 87. cujus scholiastes ad Homeri locum provocat:

Και τοι γαρ αιθοισας εχοντες
ΣΠΕΡΜ' ανεβαν ΦΛΟΓΟΣ ο.

Virgilius, Æn. vi. 6.

——— quærit pars *semina flammæ*,
Abstrusa in venis silicis:

unde idem pendet ad geo. i. 131.

Mellaque decussit foliis, *ignem*que *removit*.

Porro, locus est Manilii ad Lucretii illustrationem opere summo faciens, i. 854.

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes;
Ac silice in durâ, *viridi*que in *cortice*, sedem
Inveniunt, cum *sylva*, *sibi collisa*, *crematur:*
Ignibus usque adeo natura est omnis abundans.

Ver. 902. *quom confluxere:* P. *tum cum fluxere:* V. ed. Π. *cum fluxere;* errore ad eum fontem referendo, quem ad verr. 835, 853. aperuimus.

Ibid. *confluxere.* Multam habet elegantiam hoc vocabulum de *ignibus* adhibitum: videas animadversiones meas in ii. 383. Alcimus Avitus, ii. 347. oppido pulchre, de Sodomâ:

——— *restinguet fulminis imber*,
Quæ non exstinxit ferventia crimina fletus.

Hinc emendate constituas ad librorum fidem Claudiani locum exquisitissimo sermonis artificio perpolitum. Imitatio est Virgiliana; et credideris eum cum magistro de palmâ concertare voluisse. Legitur ad ver. 194. de quarto consulatu Honorii:

——— ventúra potestas
Claruit Ascanio, subitâ quum luce comarum
Innocuus flagraret apex; *fluido*que volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor:

i. e. fluidis vorticibus, vel verticibus, (nam hæ voces prorsus eædem sunt, priore formâ ad vetustiorem orthographiam compositâ, ad nuperam posteriore) se volvens. Vulgo legitur, *Phrygio*. Virgilius, Æn. xii. 672.

——— flammis inter tabulata volutus,
Ad cœlum *undabat vortex*.

Communem nostram humanitatem expertus est Heinsius, qui τo *Phrygio* anteponendum arbitratus est.

Ver. 903. *facta.* Sic omnes scripti, et editi plures antiquissimi; *tanta*, nonnulli ex editis: male. *Facta flamma* est jam formata, et in corpus vividum, confluis seminibus, globata: i. e. "si flamma "jam perfecta in sylvis delitesceret, sta-

Et quos inter se dent motus, adcipiantque?
Atque eadem, paullo inter se mutata, creare
Igneis e lignis? quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paullo mutatis sunt elementis,
Quom ligna atque igneis distinctâ voce notemus.
Denique, jam quæquomque in rebus cernis apertis,
Si fieri non posse putas, quin materiaï
Corpora consimili naturâ prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:

" tim erumperet, et late omnia incendiis " conficeret."—*abscondita:* Σ. *ascondita.*

Ver. 904. *ullum tempus:* Σ. *ullis lignis.*—*tempus:* O. Δ. *lumen;* et abest omnino vocabulum Π. cum Vind.

Ver. 905. *volgo:* i. e. " passim, indis- " criminatim," probe Pius. Maro, geo. iii. 246.

——— nec funera *volgo*
Tam multa informes ursi, stragemque, dedere.

Ver. 906. *Jamne:* Π. *Nonne:* et Δ. interponit *et* post *igitur.*

Ver. 908. *et:* Π. *est;* Δ. *aut.*—*contingantur:* Π. *contineantur,* ut supra, ver. 818. sed variantium loquelarum jucunditas lepidissimo poëtæ concedatur:—i. e. " cum quibus corporibus, et quali modo " positis, communes tactus habeant, atque " societatem." O. *continuantur.*

Ver. 909. *motus:* Δ. *tactus.*

Ver. 910. *mutata:* Π. *multa.*—*creare:* B. *cruore.*

Ibid. *inter se mutata:* respectu *positura* scilicet, *magnitudinis,* ac *speciei;* non autem naturæ, quæ æterna est, nec patitur mutationem: vide verr. 237. 501. 606.

Ver. 911. *lignis:* G. *lingnum;* L. *lignum:* quæ varietates quorsum tendant, non valeo dispicere. An, " Igneis, *et* " *lignum?*" Mox *paullo* abest Ω.

Ibid. *mutatis elementis:* partim scilicet specie, sed potissimum positurâ; quum major literarum numerus sit e consimilibus utrique dictioni.

Ver. 913. *distinctâ notemus:* O. Δ. *distracta notamus.*

Ver. 915. *non:* deest L.—*putas:* Π. *putes.*

Ver. 917. *Hac:* G. L. M. *Hæc.* Latet aliquid; nec tamen huic stationi variatio convenerit: utinam sic liceret interpolare!

Hac ratione tibi *hæc* pereunt primordia rerum:

i. e. " hoc pacto hæc consimilia pri- " mordia, de quibus somnias, ad nihi- " lum tibi funditus redibunt: nam quid " manifestius est, quam ea nec cachinnis " concuti, nec lacrymis madescere?"

Ver. 918. *utei:* Π. *ut.*—*tremulo:* M. *tæmulo,* et in Pii codice, ut ipse vocat, reverendæ vetustatis, *temulo:* sed nihili facienda est hæc varietas, quæ originem habet ex erasâ virgulâ, literam *r* in libris scriptis aliquoties solitâ repræsentare.—*cachinnent:* Π. *cachinet.*

Ibid. *risu concussa cachinnent.* Juvenalis, sat. iii. 100.

——— *Rides?* majore *cachinno*
Concutitur:

et Horatius, epist. ii. 2. 84.

——— statuâ taciturnius exit
Plerumque, et *risu* populum *quatit.*

De contrario autem animi affectu similiter Ovidius, versibus verissimo Musarum nectare contactis, amor. iii. 9. 12.

Excipiunt sparsi lacrymas per colla capilli,
Oraque *singultu concutiente* sonant.

Nonius fructuose potest admoveri: " *Ca-*

Fiet, utei risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrumis salsis humectent ora, genasque.
Nunc age, quod super est, cognosce, et clarius audi:
Nec me animi fallit, quam sint obscura; sed acri

" *chinnare* non de *risu* tantum, sed et de " sono vehementiore, vetustas dici voluit. " Accius Phœnissis:

> " Simul et circum *stagna*, *sonantibus*
> " Excita saxis, sæva sonando
> " Cum crepitu *clangente cachinnant*."

Sic legendi sunt hi versus anapæstici. Vulgo, *magna sonantibus*, insulse ac *ταυτολογιας*: confer Virg. geo. i. 371. Senec. Troad. 174. Mallem etiam *plangente*: vide Virg. geo. i. 334. et similiter adhibitam Catullo vocem *cachinnus* ad ver. 8. hujusce libri, nostram divinationem *plangente* confirmanti. Porro, de confusis vocabulis *sono* et *tono*, nos ad Virg. Æn. xii. 366.

Ver. 919. *salsis:* B. O. et Pius in notis, *falsis;* inepte.—*humectent:* Π. *humectet.*

Ibid. *lacrumis salsis: πικροις δακρυσι:* ut supra ver. 126.

Ibid. *lacrumis humectent ora.* Virgilius, Æn. i. 465.

> ——— largoque *humectat flumine vultum:*

et ejusdem operis xi. 90.

> It *lacrumans*, *guttis*que *humectat* grandibus *ora*.

Ovidius etiam, eâ cum mollitudine carminum, atque mitiorum affectuum teneritate, quæ universam gentem togatam longe longeque post se reliquit, neque vel Euripidi primas cesserit, me saltem judice; met. ix. 655.

> Muta jacet; viridesque suis terit unguibus herbas
> Byblis, et *humectat lacrymarum* gramina *rivo*.

Maronem subsequitur, ut passim, Statius, Theb. iv. 591.

> ——— *largis humectant imbribus ora*.

Ibid. *lacrumis genas.* Idem Mantuanus, Æn. v. 173.

> Nec *lacrumis* caruere *genæ*.

Ver. 920. *clarius audi.* Idem, Æn. ii. 705.

> ——— et jam per mœnia *clarior* ignis
> *Auditur:*

eleganter et poëtarum more, pro *clarius auditur*.—Cæterum, vice *audi*, V. ed. *aude*.

Ver. 921. *fallit:* B. *fallunt*.

Ibid. *acri thyrso.* Virgilius, Æn. xii. 392.

> ——— *acri* quondam cui captus *amore*—:

qui totam horumce versuum suavissimorum seriem per eminentiorem similitudinem, certandi cupidus, sic effinxit: geo. iii. 289.

> Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
> Quam sit, et angustis *hinc* addere rebus honorem:
> Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
> Raptat amor; juvat ire jugis, quâ nulla priorum
> Castaliam molli divertitur orbita clivo.

Sic olim vidi rescribendum esse in secundo versu, ignarus juxta cum ignaris maxime, Burmannum hanc emendationem præcerpsisse. Liber unus apud Heynium nobis adstipulatur. Hos autem locos primus commisit Macrobius, vi. 2. init.

Ver. 922. *Percussit thyrso laudis spes.* Huc respexit Virgilius, ad Æn. ix. 197.

> Obstupuit, magno *laudum percussus amore*,
> Euryalus:

nec minus ad geo. ii. 475.

> Me vero primum, *dulces* ante omnia, *Musæ*,
> Quarum sacra fero, ingenti *percussus amore*,
> Accipiant.

Hæc etiam in animo habuit Horatius, ubi, poëticis furoribus instinctus, et vere *θυρσομανης*, in simili materie versatus est, od. ii. 19. 8.

> ——— parce, Liber,
> Parce, *gravi* metuende *thyrso:*

Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suavem mî in pectus amorem
Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante

quod et Lambinus monuit. Bene interea Havercampus: "Summe elegans! quod-"que pulcherrime illustrat illud Ovidii, "epist. xiii. 33.

> "Ut quas pampineâ tetigisse Bicorniger hastâ
> "Creditur, huc illuc, quâ furor egit, eo.

"Quare musa nostri Statio notata, silv. "ii. 7. 76.

> "Docti *furor* arduus *Lucretii*."

Porro, vice *Percussit*, V. ed. *Percursit* habet.

Ver. 923. *incussit suavem amorem*. Non multo aliter Horatius, epist. i. 14. 22.

> ———— fornix tibi et uncta popina
> *Incutiunt* urbis *desiderium:*

nam vix invenies dictionem *incutio*, nisi ad res injucundas et affectus inimicos, alibi adhibitam; vide supra ver. 20.

Ver. 924. *instinctus:* V. ed. *indistinctus.*

Ibid. *quo instinctus:* nempe amore Musarum. Non alienus est Valerii Maximi locus de Platone, i. 6. fin. "At mihi "quidem illæ apes, non montem Hymet-"tum, thymi flore redolentem, sed *Mu-"sarum* Heliconios colles, omni genere "doctrinæ virentes, *dearum instinctu* de-"pastæ, maximo ingenio dulcissima ali-"menta summæ eloquentiæ instillasse vi-"dentur."

Ibid. *mente vigenti.* Cicero, de finn. ii. 14. "Homines enim, et, si aliis multis, "tamen hoc uno a bestiis plurimum dif-"ferunt, quod rationem habeant a naturâ "datam, *mentem*que, et acrem et *vigen-"tem*, celerrimeque multa simul agitan-"tem—." Nonius Marcellus, v. 44. "Inter *vegetum* et *vigens* hoc interest:— "vegetum corporis, *vigens* etiam *animi*, "possumus dicere, ut in multis." Hinc proprie admodum Horatius, sat. ii. 2. 81.

> Alter, ubi, dicto citius curata, sopori
> *Membra* dedit, *vegetus* præscripta ad munia surgit:

i. e. alacri corpore, et ad diurnos labores obeundos, vivido. Et locus ita debet interpungi: nam cave referas *τα dicto citius* ad verbum *surgit*, cum commentatore Cruquiano.

Ver. 925. *loca:* V. ed. *locus.*

Ibid. et ver. 926. *nullius ante Trita solo.* Hæc Oppianus, quem Lambinus admovit, imitatus est, ver. 20.

> Εγρεο, και τρηχειαν επιστειβωμεν αταρπον,
> Την μεροπων ου πω τις ἑοις επατησεν αοιδαις·

ubi consulas animadversiones De Ballu, et interpretes ad Propert. iii. 1. 3.

> *Primus* ego ingredior *puro* de *fonte* sacerdos:

nostrum manifesto respicientis, qui Manilio præluxit, sub operis initio:

> ———— primusque novis Helicona movere
> Cantibus, et viridi nutantes vertice sylvas;
> Hospita sacra ferens, nulli memorata priorum.

Ita locum oportet interpungas: confer Virg. geo. ii. 476.

Ibid. *solo:* i. e. fundo pedis. Isidorus, origg. xi. 1. sic castigandus: "*Solum*, "inferior pars pedis, dictum, quia eo *terræ* "vestigia imprimimus: sed et *solum* dicitur "omne, quod aliquid sustinet, quasi *soli-"dum:* unde et *terræ solum*, quod cunc-"ta sustineat; et *solum pedis*, quod totam "corporis molem *portet*." Vulgo legitur, *terra solum*, et *portat.* Confer Servium, ad Æn. vii. 111. v. 199. Varro, de re rust. i. 47. quem suscitavit Faber, ita est ad libros MSS. exigendus: "quo pecus "a prato ablegandum, et omne jumen-"tum, ac etiam *hominem: solum* enim "hominis exitium herbæ, et semitæ fun-"damentum." Vulgo, *homines:* sed vide nos supra, ad ver. 112. de hoc regimine.

Trita solo: juvat integros adcedere funteis,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.

Ibid. *integros funteis:* i. e. ab usu hominum integros—quos nullus attigit—nemini delibatos. Hinc autem locum Cæsaris intelligas, bell. civ. i. 49.—"*loca* "trans flumen *integra*, quo omnino Cæ-"sar adire non poterat:" *intacta* scilicet; quorum pabulum, atque frumentum, nemo subduxerat. Hinc etiam mentem Sallustii, ad Jug. 63. 3. de Mario loquentis, apertiorem dabo. "Ita inter artis "bonas *integrum* ingenium brevi adole-"vit:" i. e. ingenium, unde nihil *decerpserant* prava studia—malis artibus non *attenuatum* atque *imminutum*. Illud *brevi*, in quo hæsit Cortius, innuit Marium solito maturius suam animi firmitatem adeptum esse, nullis illecebris progressus ejus impedientibus, aut agentibus transversum. Pulchre autem Petronius post neminem, cap. 5.

——— det primos versibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore *fontem:*

ubi pluribus de hac imagine interpretes. Faber etiam opportune Flaccum admovit, od. i. 26. 6.

——— O! quæ *fontibus integris*
Gaudes, apricos necte *flores*,
Necte meo Lamiæ *coronam*,
Pimplei dulcis.

Omnia vides ad Lucretii versus delineata. —Vel *integros* pro *puros;* utpote quos nemo contigerit ac *turbaverit*. Cicero, de senect. 22.—"sed cum omni admixtione "corporis liberatus, *purus* et *integer* esse "cœpisset, tum esse sapientem."

Ver. 927. *juvatque:* abest *que* V. ed. II.

Ibid. *novos decerpere flores.* Horatius, od. iii. 27. 43.

——— meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an *recentis*
Carpere flores?

Ovidius, fast. v. 255.

Protinus hærentem *decerpsi* pollice *florem*.

Idem, remed. amor. 103.

——— delectat Veneris *decerpere flores*.

Sic legendum; non *præcerpere* cum Heinsio, nec *fructus* cum libris nonnullis MSS. Animo utique cultissimi vatis inhærebat Pindarus, Nem. vii. 78.

Και μελι, και τα τερπν' ΑΝΘΕ' ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ.

Ubi in transitu leviter corrigas scholiasten: επει χορος ΕΝΕΣΤΙ πασι. Libri dant, επεστι. Denique, τῳ *novos flores* Lucretii opponere voluit Horatius suum *Undique decerptam olivam*, od. i. 7. 7. nostri memor:

Undique decerptam fronti præponere *olivam:*

quasi fuerit poëtis materies vulgatissima laudes Athenarum canere; uti locum optime Bentleius cepit, et explicuit. Valeat nuperus editor Londinensis cum suo *Indeque*, scriptoris mentem nullâ tenus attingente.

Ver. 928. Libri nihil variant, ideoque demutem nihil; sed mirari liceat in loco, poëticarum venerum refertissimo, non inveniri vocabulum exquisitius, et a sermone pedestri remotius aliquantulo, atque etiam in hac re proprium in primis; nempe,

Insignemque meo capiti *metere* inde coronam:

literulâ simplice mutatâ. Virgilius, geo. iv. 54.

Purpureosque *metunt flores:*

Martialis, x. 93. 5.

Ut *rosa* delectat, *metitur* quæ pollice primo:

eundem Maronem æmulatus, Æn. xi. 68.

——— virgineo *demessum pollice florem*.

Addam Claudianum, rapt. Pros. ii. 132.

Narcissumque metunt—:

et emendabo Sophoclem, Œd. Col. 703.

Primum, quod magnis doceo de rebus, et artis
Religionum animum nodis exsolvere pergo:
Deinde, quod obscurâ de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:

Γλαυκας παιδοτροφω φυλλον ἐλαιας·
Το μεν τις, ουτε νεος, ουτε γηρᾳ
Σημαινων, ἁλιωσει, χερι ΚΕΡΣΑΣ.

Vulgo, περσας, minus eleganter. Moschus, ii. 32.

Η ὁποτ' εκ λειμωνος εϋπνοα λειρια ΚΕΡΣΟΙ.

Æschylus etiam, Supp. 674. sic legendus:

——— ΜΗΔ', Αφροδιτας
Ευνατωρ, βροτολοιγος Α-
ρης ΚΕΡΣΕΙΕΝ αωτον:

et alii passim: sed tempus est receptui canere.

Ibid. *Insignem coronam*. Virgilius, Æn. vii. 75.

——— adcensa *coronam*,
Insignem gemmis.

Ver. 929. *velarint:* L. O. *velarunt*.

Ibid. *velarint tempora*. Maro, Æn. v. 72.

——— *velat* maternâ *tempora myrto*.

Ver. 930. *doceo:* V. ed. *decet;* B. *docet*.

Ibid. *magnis de rebus*. Horatius, sat. i. 5. 28.

——— missi *magnis de rebus*, uterque,
Legati.

Ver. 931. *animum:* sic omnes scripti atque editi veteres: cujus in locum suffecerunt editores *animos;* propriis magis auribus κνηθομεναις, quam Lucretio, atque ipsi veritati, consulentes. Nobis non licet esse tam fastidiosis. Lactantius tamen legit *animos*, institt. i. 16. si fides editoribus habenda sit.—*pergo:* L. M. *porgo;* vere, ut puto.

Ibid. *exsolvere pergo:* i. e. paro, operam navo. Virgilius ad eundem modum, Æn. xii. 586.

Arma *fremunt* alii, et *pergunt defendere* muros.

Sic castigandum ex codice: vide quæ nos commentati nuper sumus ad ejusdem geo. i. 511.

Ver. 932. *Deinde:* Π. *Denique;* quæ vocabula superius quoque librariis commutata vidimus, ver. 747.

Ibid. *obscurâ re*. Mantuanus, Æn. xi. 543.

Rem nulli *obscuram*—.

Ver. 933. *Musæo*. Vocem excepit Germanicus in Arat. 219. de *Pegaso*, versibus præstantissimis:

Gorgonis hic proles, in Pierio Helicone,
Vertice quum summo non dum decurreret unda,
Musæos fontes dextri pedis ictibus hausit.

Ibid. *contingens lepore*. Idem verbi sensus est, qui Virgilio in geo. iii. 448. et alibi:

——— tristi *contingunt* corpus amurcâ.

Neque aliter Plinius, et de re rusticâ scriptores. Arnobius, lib. iii. p. 108. "Quisquamne est hominum, *rationis* ali-" "cujus *sapore contactus*, qui pilos et la-" "nugines credat in deorum corporibus" "nasci?" Versûs Homerici, in Od. Θ. 547. memor videtur fuisse scriptor eruditissimus:

——— ἱστ' ολιγον περ επιψαυει πραπιδεσσιν.

Interea, his quamvis auctoritatibus sim suffultus, animi dubius adhuc pendeo, utrum hoc voluerit Lucretius, an *contingens*, vel *continguens*, a *tinguo:* quam sententiam Lambinus fidenter damnat: sed, non temerariâ dijudicatione res est, nisi plurimos locos veterum emendatum ire pro arbitrio volueris. Adsit Manilius, iv. 528.

Nec triste ingenium, sed dulci *tincta lepore*
Corda, creat; vocisque bonis, citharæque sonantis,
Instruit; et *dotes saltûs* cum pectore jungit.

Id quoque enim non ab nullâ ratione videtur;
Sed, velutei pueris absinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras, pocula circum,
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas inprovida ludificetur

Sic certissime ad membranarum testimonium castigandus locus est. Vulgo, *dotes alto*. Erat nimirum *saltatio* res summi artificii et egregii leporis apud antiquos, quod ex innumeris auctorum locis manifestissimum est, et norunt omnes. Quod enim rogat Bentleius, "Sed quid erit *pec-* "*tore* nude positum?" ex suo Horatio sibi hoc auferat responsum, ex epist. i. 4. 6. ne alios advocem:

Non tu corpus eras sine *pectore*—.

Grata lectoribus accesserit Q. Curtii periodus pulcherrima, vi. 4. 22.—"frequens "arbor faciem quercûs habet, cujus folia "multo *melle tinguuntur;* sed, nisi solis "ortum incolæ occupaverint, vel modico "tepore sucus exstinguitur:" ut statim noster, ver. 937. ubi nos plura:

Contingunt mellis dulci flavoque *liquore*.

Notanda est autem locutio Curtiana, *sucus exstinguitur:* i. e. exhauritur atque evanescit; exquisitiore scilicet sensu vocis, uti noster, ii. 827.

Evanescere paullatim, *stinguique*, colorem.

Ver. 935. Egregiam sane similitudinem ex thesauris suis nobis Lucretius deprompsit, et quæ magnam laudem atque admirationem ei apud veteres conciliavit, certatim quasi scriptis propriis, ut pannum quendam purpureum, contexentes. Locos tamen universos lectoribus coram sistere nec frugiferum satis fuerit, et summopere molestum. Certiores autem faciendi saltem sunt, me repositum malle *Nam*, vice τυ *Sed* librorum; hoc, nî fallor, postulantibus sermonis ac structuræ rationibus: sed neque omnino ex emendationis prurigine temeriter novatrice, quum non aliter compareat versus in codicibus ad iv. 11. ubi locum poëta repetitum dedit, atque in quibusdam exemplaribus Quintiliani, instt. iii. initio.

Ibid. *tetra:* i. e. amara, (vide ver. 939.) uti bene Nonius, Lucretii versum laudans: qui legit, "*Ac* veluti—:" adeo ut vulgatum *Sed*, quod tamen non putavimus rejiciendum, ægerrime quidem se tueri poterit. Vide Nonium.

Ibid. *medentes:* participium pro substantivo *medici*, ut alii non raro in utrâque linguâ scriptores. Testi sit Callimachus, in Dian. 1.

Αρτεμιν, ῃ γαρ ελαφρον ΑΕΙΔΟΝΤΕΣΣΙ *λαθεσθαι,*
Ὑμνεομεν.

Ovidius, epist. v. 147.

Quæcumque herba potens ad opem, radixque *medenti*
Utilis, in toto nascitur orbe, mea est:

uti vere restituit Heinsius, pro *medendi;* quem videas. Et nos alibi de hac re; sed locus excidit memoriæ.

Ver. 937. *dulci flavo:* editi quidam, *dulcis;* et Π. *flavi:* non male; sed stari vulgatis malim.

Ibid. *Contingunt mellis liquore:* i. e. fortasse, *Continguunt;* prout videtur accepisse Hieronymus in Rufinum, huc alludens, quem Lambinus excitavit: "Id- "circo te veneni calicem *circumlinere* "*melle* voluisse, ut simulata dulcedo vi- "rus pessimum tegeret:" quibus verbis etiam, Lucretium respicientibus, usus est Symmachus in epistolis, eodem Lambino citante. Hinc forte an corrigendus sit Plautus, Truc. i. 2. 76.

In melle sunt linguæ *litæ* vostræ, atque orationes,
Lacteque: corda felle sunt *lita*, atque acerbo aceto:

Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius, tali facto recreata, valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque

i. e. *inlitæ melle:* vulgo, *sitæ;* quod nimirum vix tolerabile videtur.

Porro, pro *Contingunt*, apud Fabium, l. c. habemus *Aspirant*, mendose pro *Aspergunt*, ut probe judicat Lambinus, et interpretationem fuisse τῦ *Contingunt* (i. e. continguunt) itidem probe censet. Philoxeni glossarium: " *Aspergo*, ἐπιπάσ-" σω:" et " *Contingo*, ψαύω." Scribe, *Continguo*. Sed hoc in dubio est, et nihil confidenter dixerim: committas enim Hom. Il. I. 214. cum imitatione Virgilianâ, geo. iii. 403.

Ver. 938. *ætas inprovida:* i. e. ignara atque incauta; quæ non potis est providere, et *prospiciendo* sibi cavere et consulere, quum nulla rerum experientia contigerit. Hac autem providentiâ, quæ ex præteritis futura colligit, nihil magis homines a bestiis distinguit; unde Orosius haud inscite, hist. i. 1.—" quasi vero " eâ tenus *humanum genus* ritu *pecudum* " vixerit, et tunc primum, veluti ad no- " vam *providentiam* concussum suscita- " tumque, evigilarit." Quæ sunt admodum venusta: neque ad locum immemor est Lucretii sui Havercampus.

Ver. 939. *Labrorum:* L. M. *Laborum:* quasi pro *labiorum*, inquit Havercampus: imo potius dixerim, derasâ, vel non observatâ collatoribus, minutiore notâ literam *r* in membranis aliquoties indicante.

Ver. 940. *capiatur:* Vind. O. Σ. *capiantur:* ut Π. in sequente versu, *valescant*.

Ibid. *decepta non capiatur:* i. e. mellis gustu prævio decepta, non capiatur *morbo*, atque devincatur, sed ad salutem recuperetur. Lucretii mentem, cum pluribus aliis, Donatus neutiquam tenuit, ad Terent. Eun. iii. 3. 9. Has autem proximitatum delicias in cognatis dictionibus nimis pueriliter poëta noster sectari nobismetipsis saltem, Adrasteam tamen venerantibus, videtur; id, quod supra monere non reformidavimus, veritatis unice studiosi, neque ad errores vel ipsius Lucretii, ex amore nimio suscepti operis, stulte caligantes.

Ver. 941. *tali facto.* Ovidius ex Ponto, iii. 2. 102.

Cum tangant diros *talia facta* Getas.

Facessat autem hinc saltem bonus Lambinus cum suo *tactu*, in contextum recepto, per eam temeritatem interpolandi, quæ sibi plura in Lucretium, quam in alium quemvis scriptorem, permittenda censuit; unde nobilissimus poëta tantum non Deïphobus alter nobis denique evaserit;

——————— lacer crudeliter ora,
Ora, manusque ambas; populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.

Ver. 943. *retroque:* P. V. ed. O. *ideoque:* displicebant nimirum, sed immerito, sociatæ voces *retro abhorret*, quas eleganter defendit Lambinus ex Virgilii Æn. ii. 378.

Obstupuit, *retroque* pedem cum voce *repressit:*

atque ex illâ phrasi Homereâ, Il. Γ. 35.

Ἂψ τ' ἀνεχώρησεν:

cui gemellum est illud etiam ibid. Α. 60.

Ἂψ ἀπονοστήσειν—:

quem pleonasmum sic Florus imitatus est, i. 3. fin.—" prorsus ut consanguinea civi- " tas non periisse, sed in suum corpus " *rediisse rursus*, videretur:" ubi eâdem de caussâ nonnulli scribæ, quæ illorum fuerit inscitia, τὸ *rursus* omisere. Similibus autem locutionibus scatent optimorum auctorum paginæ. Vide nos ad iv. 311.

Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, quâ constet compta figurâ.
Sed, quoniam docui, solidissima materiaï

Ibid. *tristior:* i. e. amarior; et elegantissime nos revocat ad lepidissimam suam comparationem, ver. 939. Sic iv. 638. Virgilius, geo. iii. 448.

——— *tristi* contingunt corpus *amurcâ:*

"*amaris* olei sordibus:" Servius: confer Nonium in voce *Triste*, iv. 455.

Ver. 944. *suaviloquenti:* Vind. B. *suaveloquenti;* Π. Σ. Ω. *suave loquenti*, disjunctis vocibus. Cicero, de claris oratoribus, sect. 15.

Additur orator Cornelius *suaviloquenti*
Ore Cethegus—:

i. e. ἡδυεπει: Hom. Il. A. 248.

Ver. 945. *rationem:* i. e. disciplinam—philosophiam. Cicero, de finn. i. 5. "Ut "autem a facillimis ordiamur, prima veniat in medium Epicuri *ratio*, quæ "plerisque notissima est." Sic ille multoties.—Porro, Vind. Π. Σ. *Carmina.*

Ver. 946. Hæc, et quæ commentati sumus in ver. 937. Pindari locus impendio tempestivus feliciter illustrabit, Ol. x. 113. cujus constructionem, prorsus deperditam, sic operâ facillimâ revoces et redintegres:

Τιν δ' ἁδυεπης τε λυρα,
Γλυκυς τ' αυλος ΑΝΑ-
ΠΑΣΣΕΙ χαριν' ἐχοντι δ' ευρυ κλεος
Κοραι Πιεριδες Διος.
Εγω δε, συνεφαπτομενος σπουδᾳ,
Κλυτον ἐθνος Λοκρων αμφεπεσον, ΜΕΛΙΤΙ
δ' ευανορα πολιν ΚΑΤΑΒΡΕΧΩΝ, παιδ' ἐ-
ρατον Γ' Αρχεστρατου αινησα:

καταβρεχων μελιτι· *melle, contingens*—irrorans. Scholiasten sic emendes: Αναπασσει· ΑΝΑΠΛΕΚΕΙ, αναποικιλλει. Vulgo, αναπιμπτει: confer Ol. i. 170. vi. 147. Hesychius, qui locum Homeri, scholiaste laudatum, respicit, ita restituendus est: Ενεπασσεν· ενεποικιλλεν· ὁθεν και παστος· η ΕΝΕΣΤΑΖΕΝ, η εποικιλλεν. Appositus est etiam Horatius, epist. i. 19. 44.

——— fidis enim manare *poëtica mella*
Te solum:

in animo habens etiam haud dubie Hom. Il. A. 249. Huc pertinet insuper vera lectio in Persii prologo, quam memorat vetus enarrator:

Corvos poëtas, et poëtridas picas,
Cantare credas *Pegaseïum nectar.*

Vulgo, *melos;* Musis indignissime lugentibus. Illum versiculum Sidonii Antipatri, epig. 75. opportune Brunckius admovit:

Εὔδει και Σμερδις, το Πιεριων εαρ' ᾧ συ μελισδων,
Βαρβιτ', ανεκρουε ΝΕΚΤΑΡ ΕΝΑΡΜΟΝΙΟΝ.

Gratus etiam lectoribus meis Theocritus superveniet, viii. 82.

'Αδυ τι το στομα τευ, και εφιμερος 'Α, Δαφνι, φωνα'
Κρεισσον μελπομενω τευ ακουεμεν, η ΜΕΛΙ λειχεν.

Sic legendum: vulgo, ω Δαφνι: vide ver. 6. et i. 65. ibidem.

Ver. 948. *possem—perspicis:* Δ. *possum—prospicis:* quæ vocabula posteriora facillime confunduntur, et solent confundi. Pro librorum *perspectâ*, ad Cic. Philip. ii. 38. non accesserim equidem Grævio reponere volenti *prospectâ.*

Ver. 949. *quâ:* Π. *quarum.* Et, pro *compta*, male Pius rescriptum vult *cuncta*, ex priscis, ut ait, exemplaribus; nam dictione *compta* nihil aptius, nihil elegantius,

Corpora perpetuo volitare, invicta per ævom;
Nunc, age, summaï quædam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus: item, quod inane repertum est,
Seu locus, ac spatium, res in quo quæque gerantur,
Pervideamus, utrum finitum funditus omne
Constet, an inmensum pateat, vasteque profundum.
Omne quod est, igitur, nullâ regione viarum

et magis poëtico colore. Virgilius, Æn. vii. 751.

Quin et Marrubiâ venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici *comptus* olivâ:

i. e. instructus, exornatus. Festus: "*Comptus*, i. e. ornatus: a Græco descendit, "apud quos *κοσμειν* dicitur *comere*." Et: "*Comptum* Afranius pro ornatu et cultu "posuit." De *mundo* autem, vel *κοσμῳ*, loquitur Lucretius. Adi sis animadversores eruditos in Pacati paneg. Theodos. August. sect. ix. 2.

Ver. 950. *solidissima:* Π. *solidissime.*—Et titulus, qui sequitur, in codice Vindobonensi legitur:

TOPANAPYRONTO GARGEPIRAS MENONACROE:

quem sic scribendum atque supplendum esse arbitror: Το παν απειρον· το γαρ πεπερασμενον ακρον (εχει)· quæ venturis examussim respondent.

Ver. 952. *summaï:* hoc optime effecerunt editores ex *summa* codicum L. M. hic enim error scribis maxime in promptu jacebat, et sæpissime per omnem Lucretium nobis obversatur: vide supra ad ver. 553. Aliam dictionem interponunt ad hunc modum, *summa audi*, P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *summam audi*, B.—*quædam:* sic L. M. reliqui autem universi, *quænam*.

Ver. 953. *Necne sit, evolvamus.* Hæc est verissima, ut opinor, Lambini restitutio ex conjecturâ, quum libri MSS. ad unum depraventur. L. M. *Nec sit evolvamus;* P. V. ed. *Nec sic evolvamus;* Δ. Π. Σ. Ω. *Nec si te volvamus;* B. *Nec si te volvas;* sed hujusce, et etiam Vind. qui plane, prout edidimus, exhibet, ut penes collatores fides sit, omnino velim.

Ibid. *evolvamus:* ut os facundissimum Romulidarum in Arateis, juvenilibus ingenii vere poëtici prolusionibus:

Quorum ego nunc nequeo totos *evolvere* casus:

ut prior Ennius:

Quis potis ingenteis oras *evolvere* belli?

quæ vel pueri norunt Virgilium sublegisse; qui ad geo. iv. 509. hujus dictionis exemplum longe longeque venustissimum exhibuit.

——— et gelidis hæc *evolvisse* sub *astris:*

uti nos in editione nostrâ certissime scribendum esse, ni fallimur, evicimus.

Ver. 954. *quæque:* V. ed. *quicquid.*—*gerantur:* P. V. ed. *geratur:* nam τo *genantur* nempe, quod in hoc loco et alibi inter varietates lectionum memoratur, ex ingenio est emendatorum, qui sibi in Lucretii carmina nihil non concedi iniquissime arbitrati sunt.

Ver. 955. *Pervideamus:* B. *Pervideas.*

Ver. 956. *an:* V. ed. *et an.*—*pateat:* V. ed. *paceat;* P. *patefiat.*—*vasteque:* ita L. M. sed P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *ad usque*, lege carminis repugnante, ideoque de suo *vel* editores plerique supplevere.

Ibid. *inmensum pateat, vasteque profundum.* Festus: "Chaos appellat Hesiodus "confusam quandam ab initio unitatem, "hiantem *patentemque in profundum:* ex "eo et χαινειν Græci et nos *hiare* dicimus."—Lego (pro *unitatem* nempe) *inanitatem;* ut alibi: "Cavum a Chao

Finitum est; namque extremum debebat habere:
Extremum porro nullius posse videtur
Esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur,
Quo non longius hæc sensûs natura sequatur.
Nunc, extra summam quoniam nihil esse fatendum,
Non habet extremum; caret ergo fine, modoque:
Nec refert, quibus adsistas regionibus ejus:

"dictum et ejus *inanitate*." Cogit tamen dubitare Arnobius, lib. v. "Nonne digna "res esset, propter quam iratus et perci- "tus—res omnes in antiquæ speciem con- "funderet *unitatis?*" BENTLEIUS. Hæc vir magnus. Sed vel Ovidius nihil esse novandum in Festo satis declarabit:

Unus erat toto naturæ *vultus* in orbe,
Quem dixere Chaos; *rudis indigestaque moles:*

et in primis Seneca, nat. quæstt. iii. 30. "Jam autem a primo die mundi, cum in "hunc habitum ex *informi unitate* dis- "cederet, quando mergerentur terrena, "decretum est." Hinc Justinus de statu rerum chaotico loqui intelligendus est, ad hist. ii. 1. 14. "Cæterum, si *mundi*, "quæ nunc partes sunt, aliquando *unitas* "fuit—." Hinc autem aperietur mens obscurioris loci in Quintiliani declam. xiii. 2. et ipse locus mendâ liberabitur, atque plus unâ quidem:—"respectantes patri- "um larem," (conferas Virg. geo. iii. 228. ecl. ix. 4.) "migraverunt veteres "coloni; et *latæ* solitudinis *indiscreta* "*unitas* facta est, *prius* quam ad apes "meas divitis fundus accessit:" i. e. fac- tum est *chaos* ac *solitudo*. Edi solet *lætæ*, et *post*. De confusis *latus lætus*que no- minibus, vide ad ii. 317.

Ver. 957. *regione viarum:* O. Π. *ra- tione viarum;* sed mendose. Virgilius, Æn. ii. 737.

——— notâ excedo *regione viarum;*

et alibi plus semel. Martialis, iii. 4. 2.

Romam vade, liber; si, veneris unde, requiret;
Æmiliæ dices de *regione viæ*.

Voces autem *ratio* et *regio* permiscuere itidem librarii ad Livii xxxii. 18. 2. ob scripturam brevem.

Ver. 958. *namque:* M. *nam qua.*—*de- bebat:* Π. *debeat.*

Ver. 960. *ultra:* B. *multa.*—*sit:* Π. *fuit.*—*finiat:* L. M. *fineat.*—*ut:* Δ. *aut.*

Ver. 961. *Quo:* P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *quod:* nec male; i. e. secundum *quod.* Porro, dedi operam, ut per accuratiorem distinguendi rationem clarior evadat poëtæ mens, pro materiâ minime facili tractatu, non admodum obscura: "Rerum uni- "versitas nullâ ex parte finibus conclu- "ditur; sin aliter, extremitatem aliquam "habeat necesse est. In quantum vero "usu atque experientiâ docemur, nulli "dicere possumus esse rei extremitatem, "nisi desinat illa res, et aliquid sit ultra "eam jacens, quod oculi valeant usur- "pare, et ultra quod penetrare nequeant. "Hinc autem liquido patet, absurdum "esse rerum naturæ finem statuere, qui- "bus nequeas extremum aliquod vel ani- "mo effingere, vel argumentis quibus- "libet declarare: nam, si fingas hoc ex- "tremum, tua objectio statim subruitur, "quum necesse sit, ut externi aliquid ex- "tra hoc ipsum extremum locetur."

Ibid. *sensûs natura sequatur:* nempe *visûs.* Virgilius, Æn. viii. 592.

Stant pavidæ in muris matres, *oculisque sequun- tur*
Pulveream nubem, et fulgentis ære catervas.

Hinc codicis cujusdam lectio multum elegantiæ accenderet versui in Æn. vi. 200.

Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent *oculi* servare *sequendo*.

Usque adeo, quem quisque locum possedit, in omneis
Tantumdem parteis infinitum omne relinquit.
 Præterea, si jam finitum constituatur
Omne, quod est, spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id validis utrum contortum viribus ire,
Quo fuerit missum, mavis, longeque volare;

Vulgo, *sequentum;* et utroque melius, nî fallor, fuerit, hoc modo:

Quantum acie possent *oculi* servare *sequentes.*

Hoc demum absolutæ venustatis est, et vere Virgilianum.

Ver. 962. *summam;* P. Vind. V. ed. Σ. *summum.—nihil:* Π. Ω. *nil.* Habent *est*, ad finem versûs, Π. Σ. Ω. ut multæ editiones.

Ver. 965. *quem:* V. ed. *quam*, et omittit *locum.—possedit:* Vind. Δ. Π. *possidit.*

Ver. 966. *omne:* O. Π. *esse.*

Ver. 967. *si:* M. *sic;* male, utpote coacte, contra Lucretii morem, qui in omnibus simplicitatem sermonis atque perspicuitatem per rectissimum judicium studiose sequitur.—*finitum:* V. ed. *sinitum.*

Ver. 968. *procurrat:* P. V. ed. B. *percurrat;* facili aberratione ob scripturæ rationem in his præpositionibus breviatam. Cæterum, crediderim equidem haud immemorem vel hujusce loci Virgilium fuisse, ad Æn. xii. 266.

Dixit, et adversos *telum contorsit* in hostis,
Procurrens.

Vox autem ex rei militaris usu traducitur. Testi sit Vegetius, iii. 18. "Hic enim "locus est, in quo tota acies gubernatur; "ex quo rectus est, liberque, *procursus.*" Sic etiam Livius, et alii porro.

Ver. 969. *Ultimus extremas.* Forte,

Nuncius extremas—.

Bentleius.

Non auscultem: moris est enim Lucretio tali consimilium vocabulorum congerie sensus suos fortius atque dilucidius exprimere: videas me supra ad ver. 815. Mihi autem viri præstantissimi tentamen suggessit veram, ut putem, cogitationem: poëtam nostrum nempe morem Romanorum probe cognitum respicere; quo solebant in fines eorum, quibus bellum indicerent, jaculum contortum mittere. *telum:* V. ed. *celum. jaciat:* Ω. *jaceat.*

Ibid. *jaciat telum.* Virgilius, Æn. x. 264.

Tela manu *jaciunt.*

Ibid. *volatile telum.* Idem ibid. iv. 71.

———— liquitque *volatile ferrum:*

nam quod ad alterum locum pertinet, ibid. viii. 694. qui tantos criticis tumultus excitaverit, ne dubites, insigniter depravatum circumferri, et sic omnino corrigendum:

Stuppea flamma manu, telisque *volatile vellus*,
Spargitur.

Lanas, stuppam, atque id genus levissimas materies non poterat honestiore periphrasi et signatiore lectoribus depingere. Erunt fortasse, qui malint *bellum;* et sane *ferrum* ac *bellum* subinde librariis permisceri novimus; sed nobismetipsis unice prior placet conjectura, ut Virgilio, si qua sit alia uspiam, ex omni parte dignissima. —His Ovidius accedat, met. vii. 841.

Sum ratus esse feram, *telum*que *volatile* misi:

atque iterum similiter, art. am. i. 169. Vide iv. 377.

Ver. 970. *Id validis:* sic Vind. Ω. reliqui omnes, *Invalidis;* forte ut *impotentibus*, pro multum *validis.—utrum:* Vind. *uterum;* O. *iterum;* Π. *rerum.—contor-*

An prohibere aliquid censes, obstareque, posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque, necesse est:
Quorum utrumque tibi ecfugium præcludit, et omne
Cogit ut exemptâ concedas fine patere.
Nam, sive est aliquid, quod prohibeat, ecficiatque,
Quo minus, quo missum est, veniat, finique locet se;
Sive foras fertur, non est a fine profectum.
Hoc pacto sequar; atque, oras ubiquomque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat.

tum: Π. *contorque;* V. ed. *contortion;* depravate, sed, nî fallor, loco genuini archaïsmi, *contortom:* vide ad ver. 834.

Ibid. *validis contortum viribus.* Mantuanus, Æn. ii. 50.

Sic fatus, *validis* ingentem *viribus* hastam—
Contorsit—.

Ver. 971. *Quo:* Vind. V. ed. O. Σ. Ω. *Quod,* ut in ver. 961.—*mavis:* P. Vind. V. ed. *majus;* Π. *inanis.*

Ibid. *longe volare.* Maro, Æn. xii. 480.

———————— *volat* avia *longe.*

Ver. 973. *sumas:* P. V. ed. *summas:* et, in sequente versu, Σ. *præcludet.*

Ver. 975. *exemptâ:* P. *exempto.*—*patere:* Σ. *parere.*

Ver. 976. *prohibeat:* G. *probeat;* Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. *præbeat;* quas depravationes celerior vocabuli pronunciatio, ut duæ syllabæ in unam eliquarentur, et mensuræ versûs vis minor inferretur, extra controversiam progenuit. Hinc etiam exorta est τὸ *nihil* in *nil* conversio recentioribus libris contra sincerorum atque vetustorum exemplarium auctoritatem, uti prius monuimus.—*ecficiat:* sic G. Vind. V. ed. B. P. L. M. O. Δ. Π. Σ. sed Ω. *faciat:* et veram esse lectionem, quis harum rerum peritus existimator vel horæ momentum dubitaverit? Editores, de suo, *officiat.*

Ibid. *prohibeat ecficiatque.* Arnobius, lib. ii. p. 48. im. "Sed *efficiant* hæc nihil, "nihilque *impediant,* quo minus eis cre-"dere atque auscultare debeatis." Sic libri veteres.

Ver. 977. *fini:* G. M. *fine.*

Ver. 978. *a:* P. *in.*—*profectum:* B. *provectum.* Hoc autem dicit poëta: "Si "quis, ad extremitatem rerum positus, "telum jaciat, atque aliquid prohibeat, "ita ut illud telum non progrediatur, quo "missum sit; aut rursus, si progrediatur "foras; pariter ex utroque eventu refelli-"tur, qui finem velit mundo statuere: "quum manifestum sit, id telum non a "fine fugam suam ordiri potuisse." Quid autem his simplicius et apertius optari debeat? Aut quid impedit, quo minus editores temeritatis insulsissimæ atque audaciæ plane intolerabilis postulandi sint, Aurato et Lambino auscultantes, ad hunc modum ex arbitrio Lucretianum textum interpolantibus?

Sive foras fertur, non est *ea finis profecto.*

Nihil indignius unquam vidi factum; neque aliâ fuit sententiâ, ut exspectavisses sane, Bentleius noster.

Ver. 979. *ubicumque:* V. ed. *obitumque;* Ω. *ubique.*

Ver. 980. *telo:* V. ed. B. *cælo.*—*fiat:* G. M. *fiet,* æque bene: et, vice versâ, in sequente versu, M. habet *Fiat,* male.

Ver. 981. *consistere:* i. e. constare—stare—esse. Horatius, sat. i. 1. 107.

———————— sunt certi denique *fines,*
Quos ultra citraque nequit *consistere* rectum.

Ver. 982. *Ecfugium prolatet:* i. e. fugæ

Fiet, utei nusquam possit consistere finis;
Ecfugiumque fugæ prolatet copia semper.
Præterea, spatium summaï totius omne
Undique si inclusum certis consisteret oris,
Finitumque foret; jam copia materiaï
Undique ponderibus solidis confluxet ad imum;
Nec res ulla geri sub cœli tegmine posset;
Nec foret omnino cœlum, neque lumina solis:
Quippe, ubi materies omnis cumulata jaceret

copia extendi dabit teli volatum. Silius, Pun. iii. 142.

> ———— stant aræ, atque horrida sacra,
> Ante oculos; brevitasque vetat mutabilis horæ
> *Prolatare* diem.

Quid autem facies cum isto *mutabilis*, prorsus importuno, et loci scopum nihil attingente? Virgilianum illum, Æn. xi. 425. omnino diversum est, atque huc torqueri nequit. Reposuerim, et certissime, ut exputem, minimam per mutationem:

> ——— brevitasque vetat *me labilis* horæ
> Prolatare diem.

Nec me terruerit, quod sequioris tantummodo seculi scriptores vocabulo utantur, inter has literarum veterum ruinas; quum præsertim interea veri sit simillimum, eos ex purissimis antiquiorum fontibus rivulos suos derivasse.

Porro, vox Lucretiana, quâcum nobis res est, forte an sit Vegetio restituenda, de re mil. iii. 6. "Illud quoque vitandum, "ne per negligentiam, aliis festinantibus, "aliis tardius incedentibus, interrumpa-"tur acies, aut certe tenuetur: continuo "enim hostes inter *prolatata* pervadunt." In libris, *prolata*, vel *interpolata*: sed, quam pronæ essent in aberrationes scribarum manus, quoties syllabæ similes concurrerent, emendatrix Critice passim testatur. Aliud hujusce depravationis exemplum proferre liceat ex fragmento œconom. Hieroclis: *Δυςπειθεστερος δ' ισως ὁ προς θατερα των εργων, ὁσα γυναιξιν* ΑΠΟΝΕΝΕΜΗΤΑΙ, *παρακαλων τον ανδρα λογος.* Vulgo, *απονεμηται.*

Ver. 984. *inclusum:* G. L. *inclusus.*—*oris:* Π. *horis.*

Ver. 986. *confluxet:* sic P. M. Δ. cum Aldinâ secundâ, et Florentinâ anni 1512. unde autem veram hanc lectionem duæ posteriores hauserint, plane nescio: reliqui omnes codices, et Veronensis, *confluxit.* Sic *consumse*, ver. 234. et *divisse*, Horat. sat. ii. 3. 169. cum multis aliis; in quibus Varro, de re rust. ii. 1. 6.—"ut Argis "Atreus; quam (auream pellem) sibi "Thyestem *subduxe* queritur:" etiam in pedestri oratione.

Ver. 987. *cœli tegmine:* quod *cortinam* cœli vocavit Ennius. Ut noster autem, togatorum disertissimus in Arateis:

> Amplexi terram, *cœli* sub *tegmine* fulti:

et similiter alicubi in iisdem. Arnobius, lib. vi. p. 192. "Sub axe enim nudo, et "sub *ætherio tegmine*, invocati si fuerint, "nihil audiunt."

Ibid. *Nec res ulla geri posset:* nam materies omnis ex longo tempore ad imum subsedisset, ex cujus motibus atque concursionibus creantur omnia, ac summa rerum sustentatur.

Ver. 989. *ubi:* P. V. ed. *ibi.*—*materies:* Vind. *materias.* Mox O. *subsistendo.*

Ver. 991. *requies:* Π. *reges.*

Ibid. *requies data nulla est.* Virgilius, Æn. vi. 600.

> ——— nec fibris *requies datur ulla* renatis.

Confer nostrum, vi. 1166.

Ex infinito jam tempore, subsidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla est; quia nihil est funditus imum,
Quo quasi confluere, et sedes ubi ponere, possint:
Semper in adsiduo motu res quæque geruntur
Partibus in cunctis, infernaque subpeditantur,
Ex infinito cita, corpora materiaï.

Ver. 992. *nulla est:* Σ. *nullis;* Vind. G. L. Π. Ω. *nullas*, elapsâ nempe *t* literâ ex scripturâ brevi, qualem exhibent P. et V. ed. *nullast.*—*nihil:* sic caste Veronensis, cujus editor modestus *ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν* noluit.—*imum:* P. O. *unum;* de quâ permutatione, vide Bentleium ad Hor. art. poët. 32. et Drakenborchium ad Sil. It. v. 112.

Ver. 993. *possint:* Vind. Π. Σ. *posset;* G. *poscit;* Ω. *possit;* V. ed. B. *possent.*

Ibid. *sedes ubi ponere.* Virgilius, Æn. iii. 88.

> Quem sequimur? quove ire jubes? *ubi ponere*
> *sedes?*

Ver. 994. *in motu:* i. e. *cum* motu—*ἐν κινήσει:* redeas ea, quæ sumus commentati nuper, ad ver. 881. Nimiâ cum temeritate ex arbitrio dederunt editores *et* pro *in*, usum præpositionis exquisitiorem doctioremque minus callentes.

Ver. 995. *in:* L. M. *quæ;* Π. deest.—*inferna:* P. *æterna. Inferna* autem, "ex "imo suscitata, neque ibi subsidentia, "(ver. 986) quod facerent, si rerum ulla "finis daretur: ex imo, inquam, non "minus quam ex aliâ parte quâlibet." Unde clare liquet, vocem *inferna* loco esse prorsus necessariam, atque adeo totius argumenti caput.

Ver. 996. *cita:* V. ed. B. *cito.*

Ibid. *Ex infinito cita:* i. e. ex infinito tempore agitata atque excitata; ut sit plane putidæ repetitionis crambe *τὸ æterna* Bononiensis, atque communium editionum, in versu præcedente.

Porro, lectorem edoctum velim, *τὸ citus* semper esse, quod vocant participium, adjectivum nunquam. Hinc loci Virgiliani ratio elegantior ostenditur, ut multorum etiam apud omnes auctores aliorum, ad Æn. xi. 714.

> Quadrupedemque, *citum* ferratâ *calce*, fatigat:

nam Virgilium ipsum, atque imitatorem ejus amantissimum Silium, interpretes grammaticorum centum auctoritati facile prætulerim. Sic ille, Æn. i. 316.

> ——— qualis *equos* Threïssa *fatigat*
> Harpalyce:

hic autem, Pun. vii. 696.

> *Ferratâ calce*, atque effusâ largus habenâ,
> Cunctantem *impellebat* equum:—

et rursus ibid. xiii. 169.

> Et jam *ferratâ* rapiebat *calce volantem*
> Taurea cornipedem:

ubi Heinsius eximiam locutionem *rapiebat* infelicissime suis conjecturis supplantatum ibat, recte obstante Drakenborchio: nam in hac etiam elegantiâ sibi exemplar habuit Æneïdos conditorem Punicorum præco, Æn. vii. 725.

> ——————— Turnoque ferocis
> Mille *rapit populos:*

et alibi quoque similiter locutus est.

Ver. 997. *ante:* Vind. *an;* unde haud invenuste tentare possim ad hunc modum, et vivacius, quasi ad ipsos adversarii sensus poëta confidentissime provocaret:

> Postremo, *en oculis* res rem finire videtur.

res rem: V. ed. B. *res jam;* et plures editi voces ineptissime transponunt, *rem*

Postremo, ante oculos res rem finire videtur:
Aër dissæpit colleis, atque aëra montes;
Terra mare, et contra mare terras terminat omneis:
Omne quidem vero nihil est quod finiat extra.
Est igitur natura loci, spatiumque profundi,
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu;

res exhibentes, fide librorum MSS. pudenter parum posthabitâ.

Ver. 998. *dissæpit:* Π. *discepit;* B. *discepsit*, si collatori sit credendum, quod ægre affirmem.
Forte scribendum est:

> Aër dissepit *nubeis*, atque aëra *nubes*.
>
> BENTLEIUS:

quibus divinationibus paucos habebit vir summus assentientes.

Ver. 1000. *vero*, abest Π.—*finiat:* Π. *finiatur.*

Ver. 1002. *flumina:* V. ed. *flumine;* L. *lumina;* Ω. *fulmine;* G. Σ. *fulmina*, uti sane passim turbant codices in his vocabulis; et, quum totus orationis color utrinque conveniat, ægre dixeris, utra lectio utri sit hac occasione præferenda: *fulmina* enim habuerit vividiorem intellectum, et poëtæ mentem similitudine signatiori efficacius depinxerit; sed *flumina* facilitatem quandam Lucretianam atque simplicitatem minime accersitam præ se fert, ideoque retinendam duximus.
Affirmavimus autem colorem sermonis utrique lectioni percommode congruere; et, si huic latius declarando paullisper immoremur, neque aberrabimus de proposito, et gratiam fortasse lepidis a lectoribus inibimus. Igitur bene *clara flumina.* Ita Seneca, Thyest. 355.

> Aut undâ Tagus aureâ
> *Claro* devehit alveo:

et Avienus, Arat. phæn. 1009.

> —— heic equus eminet, heicque comanti
> Cervice erigitur *claræ* dator *Hippocrenes.*

Nec minus de *fulminibus* sic poëtæ. Noster, vi. 83.

> Sunt tempestates, et *fulmina clara* canenda:

ut Lucanus etiam, Phars. v. 630.

> ———— nec *fulgura* currunt
> *Clara*—.

Percurrere vero *flumina* optime et sæpissime dici, quis deneget? adeo ut uno Avieni testimonio me præstiterit contineri, orb. desc. 1271.

> Plurima præterea *percurrunt flumina* terram
> Persidis, et rigidas curvant *labentia* ripas.

Rigidas utique, rigide stantes ob altitudinem, fluminum velocitate factam.
Rursus *currere fulmina* modo nos Lucanus docuit, et cum multis aliis Virgilius docebit, Æn. viii. 392.

> ———— *tonitru* cum rupta corusco,
> Ignea rima micans *percurrit* lumine nimbos.

Ver. 1003. *possint:* P. V. ed. Π. *possunt.*

Ibid. *labentia.* Hanc vocem antiquis scriptoribus de *fluminibus* usurpari, odiosus essem, si pergerem exemplis asserere: locum tamen Claudiani, ut rectius constituatur, proferam. Legitur in Rufin. i. 214.

> Hic *cantus avium, et labentis* murmura *rivi.*

Vulgo scribitur:

> Hic *avium cantus*, labentis murmura rivi.

Quæ nemo toleret venustior; et, quod dedimus, reponendum est vel invitis libris, et centum scribis obstrepentibus. Nec non versus quosdam Alcimi Aviti, iv. 559. utile fuerit admovisse; quum videatur ex imitatione Lucretii expressus, atque adeo nostram lectionem tueatur, locus:

Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:
Usque adeo passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis, in cunctas undique parteis.
Ipsa modum porro sibi rerum summa parare
Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,

Oceanusque sacer, notas collectus in oras,
Contentus solito *labentia flumina tractu*
Sorbuit, et cunctis distinxit frena fluentis.

Versus sunt præcellentes elegantiâ. Jam vero de *fulmine* sic ipse Carus, vi. 323.

——— celeri—sic *fulmina lapsu:*

et ibid. 333.

——— celeri volat inpete *labens.*

Nec mirum ei videbitur hæc omnia vocabula tam *fluminibus*, quam *fulminibus*, communiter æquo jure consentire, qui animo secum reputaverit, de utrisque, ut *fluidis*, poëtas loqui: consulas velim de hoc annotationes nostras infra, ad ii. 383. Porro, *celeritatem* lapsu *fulminis* optime significari, necesse est ille sit in veterum poëtarum scriptis hospes omnium novissimus, qui non statim recordetur: adeo similitudinibus hinc petitis omnia redundant. Satis ergo sit, lectores amandasse meos ad ea, quæ contulerim super hac re in Silv. Crit. v. p. 41. et ad interpretes in Florum, iv. 2. 63. ne in trivialibus et pervulgatissimis otium bonum conteramus. Contra, *celeritati* declarandæ primo statim intuitu *fluminum* cursus minus accommodatus judicari possit; sed immerito, quum ex iis, quæ dicturi sumus, cumulate plana res efficietur. Plinius, nat. hist. v. 10. de *Nilo:* "Insulas ita innumeras spargit, "quasdamque tam vastæ magnitudinis, "ut, quanquam *rapidâ celeritate*, tamen "dierum quinque cursu non breviore "*transvolet.*" Egregie Silius Italicus, iii. 307. ad rem nostram facit:

Nec non Autololes, levibus gens ignea plantis;
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus *amnis:*
Tanta fuga est!

Et rursum, nobis percommode, ut nihil supra, ad xv. 572.

Tum, quâ vitiferos domitat Prætutia pubes,
Læta laboris, agros, et pennâ, et *fulmine*, et *undis Hibernis*, et Achæmenio *velocior* arcu,
Evolat.

Nec tamen his tempestivitate cesserint nobilissimi versus Statii, Theb. vi. 407. quos hæ collationes felicissime illustrabunt:

Insonuit contra Tyrrhenum murmur, et omnes
Exsiluere loco. Quæ tantum carbasa ponto,
Quæ bello sic tela, volant? quæ nubila cœlo?
Amnibus hybernis minor impetus, *et Jovis* igni:
Tardius astra cadunt, glomerantur tardius imbres;
Tardius e summo *decurrunt flumina* monte.

Sic castigandus est, atque in ordinem digerendus, versus quartus. Vulgo:

Amnibus hybernis minor est, minor impetus igni:

nude nimis et indistincte. Liber scriptus:

Amnibus hybernis minor et Jovis impetus igni:

horridius atque incultius, quam quod Statio imputari debeat. Interea, miror Barthium ad *hybernis amnibus* et *flumina* tanto opere hæsisse, ut tautologiam Papinio non dubitaverit imputare; non memor scilicet, aliud esse χειμαῤῥον ποταμον, aliud autem ποταμον αεναον. Quid intersit, discas, si velis, a ver. 287. et annotatis ad ver. 231. hujusce libri.

Hinc minus honorifice de eorum judicio sentire cogimur, qui statuunt ad Virgilii Æn. i. 317. comparationem *venti* rationibus loci accommodatiorem esse, quam *fluminis*. Adeas, quæ nos ibi in nuperâ nostrâ poëtæ nobilissimi editione dixerimus, veterem lectionem, eamque longe exquisitiorem, in stationem suam revocantes:

——— *volucremque* fugâ prævertitur *Hebrum.*

His animadversis, ne in longius hanc disputationem trahamus, abunde patet, utramque similitudinem proposito Lu-

Et, quod inane autem est, finiri corpore cogit;
Ut sic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum
Simplice naturâ, ut pateat tamen inmoderatum;
Nec mare, nec tellus, neque cœli lucida templa,

cretii egregie convenire: rationes autem prius dictæ nobis, quam dedimus, lectionem commendavere; aliter interea sentientibus Fabro Bentleioque, quibus *τὸ fulmina* arrisit. Quod superest, suo quisque judicio fruatur.

Ibid. *ævi tractu.* Valerius Maximus, viii. 13. ext. 2. "Quid isto *tractu ætatis* "aut longius, aut beatius?" Et Orosius, sac. hist. ii. 7. "Hoc *tractu temporum*, Nabuchodonosor, elatus rebus "secundis, statuam sibi auream immen-"sæ magnitudinis posuit:" ex imitatione Velleii Paterculi, ii. 77. qui adeundus est. Porro, voce *tractu* Lucretius similitudinem suam suavissime tangit, et cum *ævo* nexu quodam consociat, quasi unâ currerent ratione *tractus temporis* et *tractus fluminum.* Q. Curtius, iv. 9. 21. "Tan-"dem, quâ leniore *tractu amnis* aperit "vadum, emersere." Claudianus, de Nilo, ver. 8.

—— *rapido tractu* mediis delatus ab antris—.

Haud aliter participium cognatum intelligi debet in pulcherrimo Neronis imperatoris fragmento, quod nobis Lucani scholiastes conservavit, ad Phars. iii. 261. et cujus hoc loco positi mihi gratiam lectores lepidi habebunt:

Quique pererratam subductus Persida Tigris
Deserit; et, longo terrarum *tractus* hiatu,
Reddit quæsitas jam non quærentibus undas:

i. e. *se trahens;* non *absorptus* jam nunc, ob præcedentem vocem *subductus.*

Ver. 1004. *ire meando:* V. ed. B. Ω. *in remeando;* Vind. *in re meando;* O. Π. *inremeando;* P. *in remanendo*, et fidelia ejus exemplaria, *irremeando.* Et in sequente versu, loco *passim*, Ω. habet *passum.*

Ver. 1008. *Ne:* Π. *Nec.—quia:* Vind. Ω. *que.—inani:* G. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *inane:* non obstat tamen hæc castorum pluriumque codicum pervicacissima consensio, quin prorsus incredibile videatur, ita potuisse, in hoc saltem loco, Carum scripsisse.

Ver. 1009. *Et quod:* V. ed. *Ec quod.* —*inane:* V. ed. B. *nunc.—autem est:* P. *autest.*

Ver. 1010. *alternis:* V. ed. Π. *alterius*, ut supra voces easdem commutatas vidimus, ad verr. *525*, *605.*

Ver. 1011. *terminet:* P. Vind. V. ed. B. Π. *terminat.—alterum:* O. Δ. *alter.*

Ver. 1012. *Simplice:* Π. *Simplici:* et post hanc vocem inserit *e*, quod facit etiam V. ed. Idem *e* post *naturâ* venit in Vind. *et* autem in Σ. et vulgaribus editionibus: hinc nos *ut* ex conjecturâ effecimus, et totum locum tantâ luce perfudimus, ut nihil clarius, aut facilius intellectu, desiderari possit. Poëtæ sensus sic declarabitur: "Hoc si neges, nec na-"tura hoc modo, finibus scilicet alternis "vacui ac corporis, ita simpliciter res "omnes terminet; neque hac conditione "terminet, ut vacui vel corporis perpetua "sit extensio, et spatium undique sine "limite alius cujuslibet generis propage-"tur; hoc, inquam, ni fiat, nec mare "nec tellus—." *tamen:* Vind. *tantum:* volebat Bentleius ex conjecturâ rescribere, *vacuum:* parum probabiliter.

Ibid. *inmoderatum:* i. e. *ἄπειρον*—sine modis, immensum, infinitum denique. Ita Cicero, de nat. deor. ii. 2.

Vides, sublime fusum, *immoderatum*, æthera:

et Arnobius, lib. ii. p. 37. cujus Davisius ad Tullii locum non oblitus est: "Tem-"pus enim a finibus et extremitatibus

Nec mortale genus, nec divôm corpora sancta,
Exiguum possent horaï sistere tempus.
Nam, dispulsa suo de cœtu, materiaï

" noscitur, quæ habere non potest series et " *immoderata* continuatio seculorum."

Ver. 1013. *neque:* Δ. Π. *nec*, ut editiones plures.

Ibid. *cœli templa:* i. e. concavum laquear, cameratum tectum: vide nos ad ii. 23. Sic prior Ennius, in frag. annal. i.

> Unus erit, quem tu tolles ad cærula *cœli*
> *Templa:*

ut mireris Virgilium nusquam locutionem adoptasse. Terentius, Eun. iii. 5. 41.

> At quem deum? qui *templa cœli* summa sonitu
> concutit.

Accius, apud Nonium, voce *Sonit:*

> Clamore et gemitu *templum* resonit *cœlitum*.

Eundem Ennium apud Cic. de div. 1. 20. leviter vitiosum, emendabo:

> Quamquam multa manus ad *cœli* cærula *templa*
> Tendebam lacrumans, et blandâ voce vocabam.
> *Sic* ægro tum corde meo me somnus reliquit.

Vulgo, *Vix:* sed, quo modo *vix* illa expergisceretur, quæ *exterrita* repente sit *somno*, nemo facile expediet. Germanicum etiam in prognosticis Arateis, ver. 453. rectius distinctum, atque emaculatum, dabo:

> *Templa* sed *ætherii* simul ac possederit *ignis*,
> Omnia mixta feret, pluvias meditabitur, ingens
> Undique grando venit; rumpuntur *fulmina* nimbis.

Vulgo, *culmina:* nec spreverim tamen *flumina;* ut Virgilius, Æn. xi. 548.

> ——————— tantus *se nubibus imber*
> *Ruperat:*

ita tamen ut priorem divinationem anteponendam habuerim. His Manilius superveniat, v. 726. quem, si quid recte excogitare valeam, elegantissime sum emendaturus, tribus dictionibus per totidem versus insigniter depravatum:

> Tunc *conserta* licet *cœli* fulgentia *templa*
> Cernere luminibus densis, *motis*que micare
> Floribus, ut *pictæ* curvum per litus arenæ.

Versus exquisitius et felicius expolitos vix invenies. Vulgo, *conferta*, invenuste ac ταυτολογως. Ex Lucretii scilicet penu phrasis elegans *conserta luminibus* provenit, ad ii. 211.

> ——————— et *lumine conserit* arva:

ubi te suaviter, nisi fallimur, detinebunt annotationes nostræ, si modo his orationis poëticæ deliciis medullitus tangaris. Hæc ante scripseram, quam me certiorem fecit Stœberi editio, eandem lectionem in codice Parisiensi comparere. *Motis* etiam reposui, pro *totis*, quod longe insulsissimum est; meâ vero divinatione nihil aptius, nihil sincerius. *Motis*, nictantibus scilicet; ut mox Lucretius, ver. 1088. multum suavissime:

> Atque ideo totum *circumtremere* æthera *signis:*

ubi me consulas. De *floribus* autem in hoc sensu, nos ubertim supra disseruimus, ad ver. 899. *Pictæ* vero, pro vulgato *siccæ*, quid laudabilius, et ex omni parte lautius? Carus itidem noster, quem magno opere Manilius passim æmulatus est, ii. 375.

> *Concharum*que genus parili ratione videmus
> *Pingere* telluris gremium, quâ mollibus undis
> *Litoris* incurvi bibulam pavit æquor *arenam?*

quæ sunt consimillima, et divinitus sane cogitata. Quæ diximus ad hunc quoque locum, venusti lectores fortasse cum tædio non perlegent. Atque hæc hactenus in Manilium; qui ad i. 448. ii. 354. adeundus est, atque hinc ibid. 118. sic extra dubitationem levi medicinâ persanandus:

> Signorumque choros, ac *mundi* flammea *templa*.

Vulgo, *tecta;* de quorum vocabulorum confusione, pluribus acturi sumus ad ii. 28. Hinc, ut pote de domo positam regiâ magnificâque, membranarum scripturam plurium tenendam dixerim, ad Catullum, lxiv. 75.

> ——————— quo tempore Theseus,
> Adtigit injusti *regis* Gortynia *templa*.

Copia ferretur magnum per inane, soluta;
Sive adeo potius numquam concreta creasset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset.

Evulgari solet *tecta:* confer ver. 85. ibid. Denique, distichon dulcissimum ex egregio poëmatio in Anth. Lat. Burm. iv. 13. 28. his elegantiis admiscebitur:

> Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
> Jussit, et in *cœli lucida templa* tulit.

Pro *et*, nolim equidem Burmannianum *at*, quæ minorem præ se fert facilitatem; et hoc epitaphio nihil simplicius vel purissima antiquitatis secula jactaverint.

Ver. 1014. *corpora sancta.* Ennius, apud Cic. de div. i. 48.

> Cedunt de cœlo ter quatuor *corpora sancta:*

et noster in prooemio, ver. 39.

> Hunc tu, *diva*, tuo recubantem *corpore sancto*
> Circumfusa super—.

Ver. 1015. *Exiguum horaï tempus:* unum momentum scilicet. Horatius, sat. i. 1. 7.

> ————— concurritur: *horæ*
> *Momento* cita mors venit, aut victoria læta:

quam locutionem sic idem variat, epist. ii. 2. 172.

> ————— *puncto* quod mobilis *horæ:*

Græcam phrasim interpretatus, στιγμῃ χρονου, S. Luc. iv. 5. conferas Is. xxix. 5. LXX. Similiter dicunt de spatio paullum majore, *horarum momento:* vide Justinum, ii. 14.

Ibid. *sistere:* i. e. consistere, in suâ statione fixa permanere. Virgilius, Æn. iii. 7.

> Incerti, quo fata ferant, ubi *sistere* detur.

Ver. 1016. *dispulsa:* II. *dipulsa;* voluit fortasse *depulsa*, minus efficaciter, nec cum *violentiæ* atque *impetûs* pari significatione: vide nos ad ver. 614. superius. Hac signatâ dictione feliciter usus est Virgilius, Æn. i. 512.

> ————— ater quos æquore turbo
> *Dispulerat:*

i. e. non segregaverat tantummodo, sed in omnes partes violenter undique disjecerat: videas ibidem Servium. Bene glossarium vetus: *Dispulit*, διεσκέδασε.

Ibid. *de cœtu:* B. *detectum;* P. *de coitu*, ut etiam V. ed. et ad latus, *motu;* II. *de toto;* L. M. *de cœtum*, adhærescente scilicet, ut fit solenniter, primâ verbi sequentis literâ. Sed *coitus* una est atque eadem vox cum *cœtus:* quod non effugit glossarii veteris confectorem, sic interpretantem: "*Cœtus*, συνεσια κοιτης. *Coitus*, "συνεσια." Silius Italicus, i. 658.

> Et, quem insana freta, aut *cœtus* genuere ferarum,
> Vidimus Hannibalem:

i. e. *coitus* ferarum genuere. Addam Statium, mox, ut sperem, meum; Theb. iv. 214.

> Tænareis his celsus equis, quam dispare *cœtu*
> Cyllarus ignaro generarat Castore prolem,
> Quassat humum.

"*Cœtu* a coëundo dixit in Venerem:" ibid. Lactantius. Ausonius, epig. cviii.

> Verbaque, lascivos meretricum imitantia *cœtus*,
> Vibrat:

et ibid. lxxi.

> Præter legitimi genitalia fœdera *cœtûs*,
> Repperit obscœnas veneres vitiosa libido.

Et rursum denique in ephem. ult. 11.

> Infandas etiam veneres, incestaque noctis
> Dedecora, et tragicos patimur per somnia *cœtus*.

Arnobius, lib. iv. p. 141. "Nec contentus hos *cœtus* gravitati attribuisse Saturniæ, etiam ipsum regem mundi flagitiosius liberos procreasse, quam ipse est natus atque editus, prædicatis." Atque iterum inferius, lib. v. p. 187. "Esto, in Jovis et Cereris *cœtu* irrigatio sit significata telluris."

Ver. 1017. *ferretur:* "quippe, quum nulla foret vacui et corporis, per posituras quasdam alternis, succedentium, atque se invicem excipientium, infinitum

Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se suo quæque sagaci mente locarunt,
Et, quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed, quia multa, modis multis, mutata, per omne,
Ex infinito, nexantur percita plagis;

" propagata congeries, cujus ope rerum " summa consisteret ac contineretur."

Ibid. *magnum per inane.* Maro, ecl. vi. 31.

——————— *magnum per inane* coacta
Semina—:

ad quem locum Servii commentarios velim consulat, qui Lucretianam de rerum primordiis philosophiam disertissimis verbis scientissime comprehensam, et eleganter expositam, videre cupiat.

Ver. 1019. *nequisset:* V. ed. *nequiesset.*

Ibid. *cogi nequisset:* " quoniam nec " vacuum fuisset, quod corpora penetrarent; nec corpora, quibus materies, loco " dispulsa, poterat occurrere, atque a va- " gationibus suis per spatium immodera- " tum reprimi."

Ver. 1021. *se suo quæque:* ita G. L. M. et Vind. V. ed. nisi quod hi duo habeant *neque*, pro *quæque;* B. Δ. *seque suo neque;* O. *seque suo;* Π. *seque suo nec;* Σ. *ne qua suo;* Ω. *sese quæque;* P. *se nec quæque.* Quod damus, Bentleiani etiam judicii punctum tulit: nostro sane gustui et copula placeret, et *suo* sic positum non satis omnino facit: sed melioribus exemplaribus obtemperandum esse censuimus. Versus recurrit infra, ad v. 421. *Suo* autem, quasi *swo*, μονοσυλλαβως. Sic Ennius apud Nonium, voce *puellos:*

Illis suos divis mos sacrificare puellos.

Sic certissime versus iste rescribendus est; nam, quod vox *Pœni* compareat apud Festum, in voce *puelli*, grammaticus eam ex præcedentibus arcessivit pro more, perspicuitatis gratiâ. Infra videatur noster, ad iii. 1037. itidem Ennium secutus. Hanc autem crasin tam in verbo *suus*, et consimilibus, quam in aliis multis dissyllabis, longe usitatissimam esse comicis, ne pueruli quidem nesciunt.

Ibid. *Ordine locarunt.* Virgilius, Æn. v. 102.

Ordine ahena *locant* alii.

Ver. 1022. *Et quos:* P. Π. *Nec quos;* Σ. *Nec qui.*—*darent motus pepigere profecto:* Σ. *gerunt sagaci mente locarunt;* Vind. L. M. *sagaci mente locarunt:* " verum in L. (verba sunt Havercampi) ex " liturâ apparet, utrumque versum, hunc " et præcedentem, a primâ manu aliter " fuisse scriptum." Deest integer versus Vind. V. ed. B. Π. Ω. Pro *Et*, in proclivi est proponere *Aut:* sed utrum *Aut*, *Nec*, vel *Et*, τῷ *non* a *neque* præeunte repetito, legas, nihil interest.

Ibid. *pepigere.* Mantuanus, Æn. xi. 133.

Bis senos *pepigere* dies.

" *Pepigere*, pacti sunt: nam, ab eo, quod " est *paciscor*, et *pepigi* et *pactus sum* fa- " cit:" Servius ad locum: quem videas etiam ad Æn. viii. 144.

Ver. 1023. *multa modis:* Σ. *multimodis*, ut communes editiones; pessime, contra alios omnes libros consentientes, et ipsam proprietatem; non enim *universa* semper moventur, sed *multa* solum, cæteris pro tempore in suâ statione et certis positurís permanentibus, donec sua fiat vicissim resolutio in primordia, ut alias res et alios mundos creent.—*mutata:* nonnulli, Pio teste, *motata;* minus bene, ob *motus* in ver. 1025.—*omne:* Ω. *omnem.*

Ver. 1024. *infinito:* M. *infinita.*—Π. repetit *ex* post *infinito.*—Omnes alii, *vexantur*, exceptâ V. ed. quæ habet *nexantur:* et verissime; nam versus, qui sequitur, præcedentium est ἀνακεφαλαιωσις quædam, ubi *omne genus motus* respondent τοις mo-

Omne genus motus, et cœtus, experiundo,
Tandem deveniunt in taleis dispostituras,
Qualibus hæc rerum consistit summa creata:
Et, multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta est convenienteis,

dis multis mutata, et *plagis percita; cœtus* autem vicissim *τῳ nexantur*. Hæc ἀλληλουχια scilicet atomorum Democritea, vel Epicurea, multis nexibus particularum prius operatur, multis concursionibus se exercet, quam in disposituras creationi commodas conveniat rerum summa, et aptissimæ omnium cohæsiones exoriantur. Noster, ii. 98.

> ——————— nimirum nulla quies est
> Reddita corporibus primis per inane profundum;
> Sed magis, adsiduo varioque exercita motu,
> Partim intervallis magnis conflicta resultant,
> Pars etiam brevibus spatiis *nexantur* ab ictu:

et quæ sequuntur: adeo ut gradatim fiat, particulis sensim cohærescentibus, rerum coalescentium unigenarum densatio. Vide ad ii. 98.

Ver. 1025. *motus et cœtus:* II. *motas et tactus*.

Constructionis autem ratio in hoc versu editores latuit: nomina enim *motus* et *cœtus* non sunt in secundo casu numeri singularis, sed quarti casus plurales: de quo regimine plenius acturi sumus cum Deo, ad iv. 739. Redi ad ver. 164. hujusce libri. Via sane structuræ pervulgatior caret offendiculo; sed elegantissimo Lucretii ingenio mos proprius fideliter asservandus est, atque editori ejus curâ strenuissimâ vindicandus.

Ver. 1027. *Qualibus:* V. ed. *Qualibet*. —*creata:* II. *creatas;* ut *multo*, versu sequente. Et admittendam arbitratus sum Fabri emendationem *rerum*, pro librorum constantissimâ lectione *rebus;* nam sibi Bentleii quoque approbationem nacta est: non quod *τι summa rebus* in reprehensionem debeat per se cadere, sed quia sic positum cum *Qualibus* in notam incurrat ambiguitatis infelicissimæ, a Lucretio per omnem machinam, quâ nobis uti liceat, amoliendæ. Fieri autem possit, ut corruptela quædam *τῳ Qualibus* insideat; cui suspicioni faverit editionis Veronensis variatio.

Ver. 1028. *multos servata per annos*. Virgilius, Æn. ii. 715.

> ——————— juxtaque antiqua cupressus,
> Religione patrum *multos servata per annos*.

Ibid. *magnos annos*. Idem Maro, Æn. iii. 284.

> Interea, *magnum* sol circumvolvitur *annum:*

quasi longius solito tempus anni fuerit, exsulibus patriæ, et omni pelago jactatis. Videndus tamen Servius, nisi velis ex ornatu poëtico dictum intelligere. Nobis favet, ad amplificationem speciosam referentibus, Græcorum poëtarum usus. Sic enim Lycophron, versibus dulcissimis, Cassand. 1039.

> Χερσι πατρῳας ἐ γαρ αν φονη ποσι
> Ψαυσαι, ΜΕΓΑΝ ΠΛΕΙΩΝΑ μη πεφευγοτα,
> Δικης ΕΑΣΗ̨ ταρροθος Τιλφυσσια.

Sic legendum, cum scholiaste, et codice; quamvis vulgatum ἐασει retineat etiam Stephanus Byzantinus in Τιλφυσσα. Tzetzes: Μεγαν πλειωνα· ὁλον ενιαυτον. Accedat Aratus, dios. 9.

> ——————— τα δε τε ΜΕΓΑΝ εις ΕΝΙΑΥΤΟΝ.

Ubi pulchre Theon, et nobis percommode: Μεγαν ενιαυτον, τον ἡλιακον λεγει· οἱ γαρ παλαιοι τρια ᾐδεισαν μετρα χρονε, την της σεληνης περιοδον, την ἑκαστην ὡραν τε ενιαυτε, και την ἡλιακην περιοδον· μεγιστον δε των αλλων, ἡ ἡλιακη. Magnificentius tamen quibusdam dictum videbitur, si Lucretianam locutionem arbitremur Metonis annum respexisse; de quo sic Ausonius, epist. ii. 12.

Eficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, et solis terra vapore
Fota novet fetus; summâ quoque gens animantum
Floreat, et vivant labentes ætheris ignes:
Quod nullo facerent pacto, nisi materiaï

> Quis fuit ille dies? Non *annus longior* ille est,
> Attica quem docti collegit cura Metonis.

Nobismetipsis tamen prior ratio, multo facilior, unice arridet.

Porro, si auctoritate quâvis suffulciatur editionis lectio, Havercampo memorata, nempe *formata*, vice *servata*; leviter vitiatam dixerim et detortam a genuinâ Lucretii scripturâ, sic primitus se habente:

> ——— magnos *firmata* per annos:

quam vocem loco convenientissime affinem esse, nemo denegaverit; sed librorum vis non est de nihilo parvi facienda.

Ver. 1029. *conjecta:* B. *conjuncta*, si collatoribus fides haberi queat.

Cæterum, aliquantulum subdubitare mecum soleo, an olim dederit poëta noster:

> Ut semel in *coitus* conjecta est convenienteis:

nam judices, motus genitales suum officium peregisse, et *cœtus* certos ac disposituras materiæ creatricis jam perfici, rebus ad species suas deformatis. Hanc lectionis varietatem in his vocabulis jam experti sumus, ad ver. 1016. sed nihil ex arbitrio citra necessitatem confessam in me susceperim demutare.

Ver. 1030. *avidum:* i. e. vastum, sensu secundario atque Lucretiano: vide mox dicenda, ad ii. 1065. v. 202.

Ibid. Lege:

> ——— largis avidum mare *jugiter* undis.
>
> BENTLEIUS.

Hercle incogitantiæ multæ divinatio est, vir sagacissime! Tibi minus bella, nî fallor, videbatur locutio gemellis dictionibus cumulata *fluminis undis amnes*; sed hujuscemodi verbosis exuberationibus abundant antiquorum poëtarum monumenta. Exemplo pari sit Priscianus, in perieg. 210.

> Hinc *fluvii* pinguis descendunt *flumina Nili*.

Exspectavisses scribere simplicius, ut videtur, ad normam Maronis, Æn. ix. 31.

> Hinc *fluvius pingui descendit flumine Nilus*:

sed nosmet hodie harum subtilitatum judices sumus minus idonei, neque regnum in alienâ provinciâ debemus arrogare. Euripides, Herc. fur. 368. editionis meæ:

> *Μακραι τ᾽* ΑΡΟΥΡΑΙ ΠΕΔΙΩΝ *ακαρποι*:

quibus centum parallela facile apponi possent; sed sine te remittam ad Silv. Crit. v. p. 35. Moram nihilo minus brevem nobis Virgilius excusabit, geo. iv. 361.

> ——— At illum,
> Curvata in montis faciem, circumstetit *unda*,
> Adcepitque sinu vasto, misitque sub *amnem*.

Ver. 1031. *Integrent;* Π. *Integeret;* Vind. V. ed. B. O. Σ. Ω. *Integerent*, admodum eleganter, si ratio temporum constaret. Habacuc, ii. 14. ex vulgatâ versione: "Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi *aquæ operientes mare.*" Sic etiam vere Syrus et Chaldæus: interpretes LXX virales male חם, pro ים, legerunt. Ovidius, qui non his discordat, admoveri dignus est, ut unâ operâ illustretur Lucretio, et emendetur etiam nobis, atque vindicetur, epist. ii. 35.

> Per *mare*, quod totum ventis agitatur, et *undis*.

Forte rescripseris optimo jure, *tortum:* quoties enim hæc verba commutantur? vide supra, ad ver. 294. Ita mox, ver. 38. ibidem:

> *Concita* qui *ventis* æquora mulcet, avum.

Indignissime vero Heinsium τῷ *undis* solicitatum ivisse, ex abundanti manifestum facient nobis nuperrime ad versum præcedentem disputata. Burmannus lectionem vulgatam bene retinendam vidit, sed exemplis nullâ tenus loci necessitates

Ex infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparare in tempore quoque.
Nam, velutei, privata cibo, natura animantum
Diffluit, amittens corpus; sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit subpeditare

attingentibus defendebat. Hæc autem hactenus.

Ibid. *Integrent.* Virgilius, geo. iv. 515.

> ——————————— at illa
> Flet noctem; ramoque sedens, miserabile carmen
> *Integrat.*

Servii glossam ita corrigas: " *Flet noctem.* " Jugi *noctem continuat* fletu." Vide ad ii. 1145.

Ibid. *solis vapore.* Horatius, epist. i. 16. 7.

> —— sed ut veniens dextrum latus adspiciat *sol*,
> Lævum decedens curru fugiente *vaporet*:

i. e. *calefaciat.* Ascensius, *irroret;* male.

Ver. 1032. *Fota:* G. M. *Forta;* V. ed. *Tota;* Σ. *Fœta*, ut M. a secundâ manu. Odium scilicet infensissimum in hanc dictionem et consanguineas ejus librarii exercuere: vide ad ver. 807. et tum demum fateberis fortasse similem maculam e Statio restare eluendam, silv. iii. 2. 17.

> Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,
> Baianosque sinus, et, *fota* tepentibus undis,
> Litora, tranquillo certatim ambite natatu.

Vulgo, *fœta.* Lucanus, ix. 184.

> *Igne fovet terras.*

—*novet;* P. Vind. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. *movet;* Π. *movent.*—*summâ:* sic P. Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. *summam*, Δ. editi communes, ex conjecturâ cujusdam, ut videtur, exhibent *summissa;* quæ vox mentem Lucretii nequaquam videtur attingere. Nos modestius facturos esse opinabamur, si ex ingenio reponeremus *quoque*, loco *que*, vel *qua*, membranarum omnium atque vetustiorum impressorum; quum via scribendi compendiaria corruptelam hujuscemodi nullo modo improbabilem reddat.—*gens:* V. ed. *genus;* ex glossâ, ut existimo.

Ibid. *gens animantum.* Sic de *mutis* animalibus Virgilius, geo. iv. 430.

> ——— vasti circum *gens* humida *ponti*—:

et Manilius eodem modo, i. 236.

> ——— variæ *gentes* hominum, atque *ferarum*—.

Ibid. *summâ:* i. e. " ita floreat, ut " summa eis consistat sine interitu toto; " id, quod aliter eveniret." Confer ver. 1027.

Ver. 1033. *Floreat:* Vind. G. L. Π. Σ. *Floreant;* P. *Florent.*—*labentes:* V. ed. B. L. Ω. *labentis;* Δ. *labentibus;* nonnulli legebant, teste Pio, *lambentes;* male.

Ibid. *Floreat gens animantum.* Virgilius, Æn. vii. 643.

> ——————— quibus Itala jam tum
> *Floruerit* terra alma *viris.*

Ibid. *vivant ignes.* Idem Maro, ibid. v. 680.

> Sed non idcirco *flammæ* atque *incendia* vires
> Indomitas posuere: udo sub robore *vivit*
> *Stuppa*—.

Ibid. *labentes ætheris ignes.* Idem, Æn. iii. 515.

> *Sidera* cuncta notat, tacito *labentia cælo.*

Ver. 1035. *suboriri:* V. ed. B. *subiri.*

Ver. 1036. *reparare:* P. Vind. Ω. *reparari.*—*tempore:* Π. *tempora.*—*quoque:* G. P. V. ed. L. Ω. *quæque;* quod non deterius.

Ibid. *solent reparare omissa:* nempe mare, terra, animalia, et sidera, hoc *solent* facere; quæ constructio longe facillima parum perspecta varietatem invenustam *reparari* genuit. Bene committetur Ovidius, met. i. 363.

> O! utinam possem *populos reparare* paternis
> Artibus.

Materies, aliquâ ratione aversa viaï.
Nec plagæ possunt extrinsecus undique summam
Conservare omnem, quæquomque est conciliata:
Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac subpleri summa queatur;

Hinc fortasse Plautus etiam corrigendus restat, Epid. v. 1. 45.

> *Perdidisti* et *reparasti* me, soror!—

Vulgo legitur, *reperisti.*

Ver. 1038. *Diffluit:* i. e. liquescit—dissolvitur—diffunditur, et ad nihilum evanescit, ut aqua in terram destillata: vide Sophoclis Trachin. 698. et animadversiones meas. Locus est germanissimus Apuleii, in met. ix. p. 640. ed. Oudend. "Interdum, acerrimo gravique odore sul-"phuris juvenis inescatus atque obnubila-"tus, intercluso spiritu, *diffluebat:*" i. e. animo et viribus deficiebatur—sensim collabebatur, et quasi evanescebat, undique sparsis viribus. Alia est translatio Virgiliana, ad Æn. ii. 169.

> Ex illo *fluere*, ac retro sublapsa referri,
> Res Danaûm:

nempe ex saxi fragmine, quod vetustas subruit, vel ruinâ quâlibet, decidente; ergo bene Servius: "Fluere, *delabi;*" non *dilabi*, quæ dictio Lucretium accuratius interpretari valet: etsi fuerint fortassis occasiones, quibus utravis vox indifferenter adhiberi poterit. Heynius ad locum fallitur egregie. Adeas Terent. Heaut. v. 1. 73. ibique Westerhovium. Sic Græci passim διαῤῥειν τρυφῃ, et similibus, solent dicere.

Ibid. *amittens corpus.* Hanc locutionem dabamus operam illustrare supra, ad ver. 810. quo amandandus lector est.

Ibid. *sic omnia debent Dissolvi.* Tantum non verbum verbo Virgilius hæc effinxit, geo. i. 200.

> ——————— *sic omnia* fatis
> In pejus *fluere:*

sic uti nos castigandum esse contendimus, et hunc locum Lucretii habemus strenuissime subvenientem. Consulas, si tanti sit, quæ nuperrime ad istum versum commentati sumus.

Ver. 1039. *defecit:* V. ed. *defficit;* O. *defiecit;* Π. Ω. *deficit;* Δ. *defici.*

Ibid. *defecit subpeditare.* Rarius regimen habemus hujusce verbi cum infinitivo sequente, neque alibi temere reperiendum. Sic autem Silius, iii. 111.

> ——————— sic fœdera nota,
> Primitiæque tori, gelidos ut *scandere* tecum
> *Deficiam* montes conjux tua?

Ad quem locum Heinsio reponere volenti *Deficiar* ne auscultem, vel solus fecerit Lucretius. Cæterum, de hoc absoluto usu verbi *suppedito*, nos diximus ad ver. 548. videas etiam Ruhnkenium, et quos laudat vir magnus, ad Rutil. Lup. ii. 9.

Ver. 1040. *aliquâ ratione:* sic P. Vind. V. ed. (nisi quod habeat *rarione*, operarum, ut putem, culpâ) B. L. M. O. Π. Σ. Ω. editi hodierni cum Δ. et G. (si fides Havercampo sit servata) *rectâ regione;* improbante etiam probe Bentleio. Noster, v. 414.

> ——— vis, *aliquâ ratione aversa*, recessit.

—*aversa:* P. *adversa*, errore solenni.

Ibid. *aversa viaï:* της ὁδου απεστραμμενα, pro *viâ*, vel *a viâ*, *aversa:* nam manifestissima est Græcismi phrasis Lucretiana. Hujuscemodi venustis novitatibus potissimum Horatius delectatur; ut *irarum abstineto*, et *desine querelarum*, quæ sunt omnibus notissima. Hæc autem exquisitior scriptura scrupulum nonnullis haud dubie injecit, et vulgariorem constructionem, τῳ *rectâ regione* suppeditatam, huic loco peperit.

Ver. 1041. *possunt:* ita P. Vind. V. ed. B. G. L. M. Δ. Π. reliqui, ut editi plerique, *possent.*

Interdum resilire tamen coguntur, et unâ
Principiis rerum spatium tempusque fugaï
Largiri, ut possint a cœtu libera ferri.
Quâ re etiam atque etiam suboriri multa necesse est:
Et tamen, ut plagæ quoque possint subpetere ipsæ,

Hoc autem dicit Lucretius: "Dixerit "vero fortasse aliquis, summam rerum "posse finitam esse atque extremitatibus "suis circumscriptam, et interea tamen "eum primordiorum concursum ac colli-"sionem per plagas extrinsecus illatas et "summam rerum, ne evagetur, inde "quasi continentes, recte fieri, quibus "omnes res creantur." "Enim vero, "respondet Lucretius, hoc nullo pacto "concedendum est. Principia scilicet "concurrentia non semper continuo nex-"antur, sed resiliunt interdum, et longe "discedunt; unde, nisi ex infinito spatio "vis infinita materiæ ad efficiendas pla-"gas genetrices subinde oriretur, res jam "coalitæ cito diffluerent, et res nondum "coalitæ in æternum disjungerentur." Hic est argumenti scopus, breviter expositi, ne lectoris acumini parum tribuere videamur.

Ver. 1042. *omnem quæquomque est:* V. ed. *omne quæ cum est.*

Ibid. *conciliata:* i. e. coacta—congregata—in *concilium* vocata; videas supra verr. 184. 485. 518. Virgilius, Æn. x. 150.

——————— Mezentius arma
Quæ sibi *conciliet:*

i. e. colligat—in unum *convocet;* a *calo* veterum Romanorum, Græcam vocem adoptantium, ut placere intelligo grammaticorum filiis.

Ver. 1043. *partem:* Π. *portam;* Faber et Bentleius videntur *partim* maluisse: nos nihil demutandum esse sine fructu arbitramur.

Ver. 1044. Sic Terentius in passivâ formâ *quita est* antique dixit, Hec. iv. 1. 57. ubi plura dabit Westerhovius: videas etiam Festum in vocibus *Nequitum* et *nequitur*, cum Cortio ad Sallust. Jug. 31. 8. Dictys Cretensis, ii. 21. "Imperfectâ igitur re, ut opinor, consequens fuit "arma capere; jusque per vim extor-"quere, quod amice impetrare *nequitum* "*est.*" Priscianus, perieg. 417.

Hic nasci lapidem, qui, tacto accensus ab igni,
Exstingui *nequitur:*

quæ fideli cum diligentiâ a Solino, cap. xiii. mutuatus est. Diomedes, gramm. lib. i. p. 380. exempla protulit ex Accio et Cæcilio, *quitus sum*, *queuntur*, *quitur.*

Ver. 1045. *Interdum:* V. ed. *Inter.*

Ver. 1046. *Principiis:* sic Δ. Σ. reliqui, *Principium;* G. autem, *Principio.* G. Quid hæc sibi velint, hariolari nequeo, nisi quod veri videatur simile, varietates istas *principium* et *principio* repræsentare voluisse, si librarii non aberrassent, *το αρχαϊκον principiom*, i. e. *principiorum:* vide ad ver. 884. Elegantem satis emendationem loci, hinc exorsus, expedire quiverim; sed audacior est, quam quæ admitti debeat, sic nude posita, et nullis membranarum suffragiis, aut veterum testimoniis, innixa:

Interdum resilire tamen coguntur, et *undæ
Principiom certum* spatium tempusque fugaï
Largiri.

Passim loquitur poëta de primordiis rerum et minutissimis corporum particulis, per vocabula a *fluidis* translata; atque Virgilianum illud, geo. ii. 462.

Mane salutantum totis vomit ædibus *undam*,

pro immensâ multitudine, omnes novimus; et posteriores, ne Græcos advocemus, hanc metaphoram certatim arripuisse. In his autem tempus consumere non libet, et contenti sumus super ingenii nostri tentamine arbitrium doctorum experiri,

Infinita opus est vis undique materiaï.
Illud in hiis rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summæ, quod dicunt, omnia niti;
Atque ideo mundi naturam stare sine ullis
Ictibus externis, neque quoquam posse resolvi
Summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa:
Ipsum si quidquam posse in se sistere credis;
Et, quæ pondera sunt sub terris, omnia sursum

consultum euntes testimonio membranarum.—*fugaï*: Δ. *figura*.

Ver. 1049. *ipsæ*: G. *et ipsa*; M. *et ipsæ*. Si quid lateat, ut hi sunt egregiâ castitate libri, nequit mea sagacitas odorari, nisi τὸ *suppetere* sit ex interpretatione, et scripserit Lucretius, quum verbis neutraliter adhibitis delectet, ut qui maxime, ad hanc normam:

Et tamen ut plagæ quoque possint *subdere et* ipsæ.

"Subire, subdere," Nonius in voce *subit*, iv. 444. Edicat autem lector nasutus atque eruditus, ad quem omnia mea defero.

Ibid. *Et tamen ut*—: i. e. "His autem "missis, vel illæ ipsæ, quas fingis, plagæ, "quasi extrinsecus impellerent et con"tinerent summam rerum, finibus suis "circumscriptam, continuari nequirent "in infinitum, nisi materies infinita sub"deretur."

Ver. 1050. *Infinita*: M. *Infinitæ*; non deterius.—*est* abest Π.

Ibid. *vis opus est*: ut nomen quasi adjectivum *opus* sit, omnium generum, indeclinabile; vel, si mavis, substantivum. Sic sæpe noster. Sic etiam Plautus, Capteiv. i. 2. 61.

Jam maritumi omnes *milites opus* sunt tibi:

quem versum laudat Nonius in voce *Opus*, ut et nostrum Carum, ii. 814. Sic etiam Terentius, Adelph. iv. 5. 72.

Ego eo intro, ut, *quæ opus* sunt, parentur.

Nec difficile est diversorum regiminum, quæ in hanc dictionem cadunt, rationes declarare. Si dicam, "*Opus* est *sumptu* "ad has nuptias," valet, "*in* sumptu "*opus*, vel res, ponitur:" si dicam contra, "*Opus* est *sumptus*," valet, "*sump*"*tus* est *res*, per quam hæ nuptiæ proce"dent." Et similiter æque bene dixeris "*Opus* est *sumptûs*:" quod per se patet.

Ver. 1051. *fuge*: V. ed. Π. *fuga*.

Ver. 1052. *In medium omnia niti*. Cicero, de nat. deor. ii. 45.—"*omnes*—partes "(mundi), undique *medium locum* capes"sentes, *nituntur* æqualiter."

Ibid. *quod dicunt*. "Peripateticorum, "et veterum Academicorum, et Stoïco"rum, et omnium denique, qui unum "mundum, eumque finitum, esse volunt, "hæc sententia est; Omnia gravia in me"dium ferri, levia a medio ad extremum: "Epicurus autem, et cæteri, qui mundos "censent esse innumerabiles, et omne, "infinitum; neque extremum, neque me"dium, esse concedunt. Ita eorum ra"tione neque gravia in medium, neque "levia ad extremum, moventur." Lambinus.

Ver. 1054. *externis*: P. *alternis*; V. ed. *æternis*; de quorum vocabulorum permutatione, vide nos superius, ad ver. 231. —*quoquam*: Δ. Π. *quoque*.

Ver. 1055. *nixa*: V. ed. *cuxa*, operarum fortasse incuriâ. Diomedes, de art. gramm. i. p. 371. "Nitor, niteris; per"fecto *nisus* sum: sed *veteres* immutantes "*nixus* declinant, ut Virgilius, etc." Verum enim aliorsum videtur ire Priscianus, lib. x. p. 903. im. "utor usum, nitor *ni*"*sum*: invenitur tamen etiam *nixum*." Scripturæ, quam nos recepimus, favet Servius, ad Virg. Æn. i. 144. 506.

Nitier, in terrâque retro requiescere posta;
Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus:
Et simili ratione animalia suppa vagari
Contendunt, neque posse e terris in loca cœli
Recidere inferiora magis, quam corpora nostra
Sponte suâ possint in cœli templa volare:
Illei quom videant solem, nos sidera noctis
Cernere; et alternis nobiscum tempora cœli

Ver. 1056. *in se sistere:* M. *insistere;* Π. *nisi se sistere;* Ω. *in fine sistere.*

Ver. 1057. *Et:* G. M. *At;* unde scribendum putem,

Aut quæ pondera sunt—.

sunt: B. *sint.*—*sursum:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *rursum;* pronâ manûs, oculive, aberratione.

Ver. 1058. *Nitier in:* G. *Nī sierint;* M. *Nī fierent:* commixtis literis, atque inde depravatis ipsis dictionibus.—*in terrâ:* V. ed. B. *interea.*—*retro:* Π. *recto.* —*requiescere posta:* G. *requieste reposta;* P. *requiesse reposta.*

Ibid. *retro posta:* i. e. situ præpostero —inversam habentes, et nobis contrariam, posituram; ut recte Faber, et interpres. "Fugias, Memmi, credere, non dico corpora, ad oppositam terræ partem jacentia, sursum niti, sed vel posse ea sic sita omnino requiescere, et in statione permanere."—In proximo, pro *quâ*, Ω. *aque*, quasi voluerit præcedentem dictionem, ut fit, repetere.

Ver. 1060. *suppa:* sic G. M. et, ut videtur, a primâ manu, L. quæ vox est longe exquisitior, quam quæ librariorum inscitiæ, aut etiam incuriæ, adscribi debeat. "*Suppum* antiqui dicebant," (verba Festi sunt, Salmasio prius indicata) "quem nunc *supinum* dicimus: ex Græco videlicet, pro aspirato ponentes literam *s*; ut cum iidem ὕλας dicunt, et nos *sylvas:* item ἕξ, *sex*, et ἑπτα, *septem.*" Ut nempe *suppus* sit ab ὑπο, vel ὕπτιος, uti etiam *subtus.* Ipse noster, iv. 445.

Quæ, demersa liquore, obeunt, refracta videntur
Omnia *converti*, *sursum*que *supina* revorti.

P. *cuncta;* Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *supra;* quod pro *supera*, casu quarto numeri multitudinis, aliter non contempserim, nisi exquisitius quiddam jam suppeteret; quum elegantissime dixisset noster *supera vagari*, sine præpositione, pro "superas terræ partes permeare;" videas retrorsum, ad ver. 834.

Ibid. *animalia vagari.* Virgilius, ecl. vi. 40.

——— per ignotos *errent animalia* montis:

et geo. iii. 540.

——— timidi *damæ*, *cervi*que fugaces,
Nunc interque canes, et circum tecta, *vagantur.*

Ver. 1061. *loca:* Π. *lococa*, similibus literis ob proximitatem negligentissime commixtis.

Ver. 1062. *Recidere:* i. e. retrorsum cadere, quum sint *retro posita*, ver. 1058. Cicero, de div. i. 54.—"in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum *recidisse.*"

Ver. 1063. *in cœli templa volare.* Maro, geo. iii. 226. hinc sua fortasse, divinitus perfecta, coloraverit:

——— nec morti esse locum, sed viva *volare*
Sideris in numerum, atque alto subcedere *cælo.*

Ver. 1065. *alternis.* Ita sæpius locutus est Lucretius. Hinc castiges Ennium, ann. i.

Alterno seritote diem concorditer ambo:

i. e. alterno *semine* sermonis—alterno sermone. Vulgo, *alternum;* i. e. veteri

Dividere; et nocteis parileis agitare diebus.
Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error,
Amplexei quod habent perverse prima viaï.
Nam medium nihil esse potest, ubi inane locusque
Infinita: neque omnino, si jam medium sit,
Possit ibei quidquam hac potius consistere caussâ,
Quam quâ vis aliâ longe regione manere.
Omnis enim locus, ac spatium, quod inane vocamus,

scripturâ *alternom*, vel potius *alternō*. Vides utique progressum depravationis. Nihil certius: adi nostram Silv. Crit. sect. cvi. et imprimis tom. v. pp. 107, 108. Porro, nos recte Virgilium rescripsisse ad geo. i. 250. ad hunc modum.

*Nos*que ubi primus equis oriens adflavit anhelis,
Illis sera rubens adcendit lumina vesper;

probat omnino præcedens versus hujusce loci nobis jam subjacentis:

Illei quom videant solem, *nos* sidera noctis
Cernere.

Addam Anthol. Lat. Burm. iii. 62. 9.

Illic *alternis depugnant* pontus et aër:
Hic, rivo tenui pervia, ridet humus.

Sic reponendum putem. Vulgo, *depugnat*. Et post hunc versum G. positum vult ver. 1093.

Ver. 1066. *parileis:* B. *paribus.*

Ibid. *diebus*. Optime. Verissimum est, antipodas nostros noctes agitare pares diebus nostris. Bentleius.

Editiones utique pleræque cum G. Σ. et priscis Pii codicibus habent, *diesque*. In Priap. epigram. lxiv. 8.

Parum, quod actâ sub laboribus luce,
Parem diebus pervigil traho *noctem*.

Ibid. *nocteis agitare*. Mantuanus, geo. ii. 527.

Ipse *dies agitat* festos—.

Et huic loco G. M. inserunt ver. 1075.

Ver. 1067. *vanus:* Π. *manus.*—*finxerit:* P. *parturit.*—*omnia finxerit error*, desunt Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ.

Ibid. *vanus stolidis*. Livius, xxii. 28. 8. "Primo statim conspectu contempta "paucitas; ac sibi quisque deposcere pel- "lendos inde hostes, ac locum capiendum. "Dux ipse, inter *stolidissimos* ferocissi- "mosque, ad arma vocat; et *vanis* animis "et minis increpat hostem." Ita bene Perizonius.

Ver. 1068. *Amplexei habent:* P. *amplexis hebent.*—*perverse prima;* Ω. *spatium per utrumque.*—*erse prima viaï*, absunt Vind. V. ed. O. Δ. Σ. et tres priores literæ etiam *erv.* Π.

Ibid. *Amplexei habent*, *περιλαβόντες ἔχειν:* nam purus putus est Græcismus, cui geminum et simillimum ex Latinis mihi non est ad manus.

Ver. 1069. *Nam:* P. V. ed. B. *Jam.* —*ubi inane locusque:* Ω. *sine fine manentum;* desunt Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ.

Ver. 1070. *Infinita:* Ω. *Infinitum autem.*—*neque:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. *denique;* P. *et denique;* Ω. *non denique.* —*omnino:* P. *in omni.*—*medium sit:* omittunt Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω.

Ver. 1071. *ibei quidquam:* B. *ubicumque;* Π. *ubique.*—*hac potius caussâ:* Ω. *medium rebus;* desunt Vind. V. ed. Σ. et *hac* unum, L.—*consistere:* Σ. *concedere.*—*caussâ:* abest Vind. V. ed. O. Δ. Π.

Ver. 1072. *quavis:* Ω. *quamvis.*—*regione:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ratione;* nec minus bene; ut hæc sit loci mens: "Consistere non potest corpus "quodquam eo in loco, hac magis de "caussâ, quod sit mundi medius; quam "ob aliam quamvis caussam longissime

Per medium, per non medium, concedat oportet
Æquis ponderibus, motus quaquomque feruntur.
Nec quisquam locus est, quo corpora quom venere,
Ponderis amissâ vi, possint stare in inani:
Nec, quod inane autem est, ulli subsistere debet,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat:
Haud igitur possunt tali ratione teneri
Res in concilium, medii cupedine victæ.

" dissitam, et omnino alienam." Eadem vocabula supra etiam commutata vidimus, ad ver. 957.—*manere:* abest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ.

Ver. 1073. *ac:* omittit Π.—*ane vocamus:* absunt Vind. V. ed. Δ. Π. Σ.

Ver. 1074. *concedat:* P. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Ω. *concedere.—oportet:* Ω. *opiest;* abest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Forte scribendum, *debet.*

Ver. 1075. *feruntur:* Vind. *ferunt,* omisso fortasse *se;* Δ. *fuerunt.*

Ibid. *Æquis ponderibus:* τυ κινυ, scilicet, (secundum Epicurum, cujus verba ex Laërtio prior admovit Lambinus) την ἴξιν ὁμοιαν παρεχομενυ τῃ κυφοτατῃ και τῃ βαρυτατῃ ατομῳ εις τον αιωνα. Cum editoribus quibusdam, *Æque* maluit, re non satis, ut mihi saltem videtur, perpensâ, Bentleius. Locus exstat apud Diog. Laërt. x. 43. et, quæ præcedunt allatis verba, non minus ad rem faciunt, et proferri debent: Κινυνται τε συνεχως αἱ ατομοι· φησι δε ενδοτερω, και ισοταχως αυτας κινεισθαι, τυ κενυ, κτλ· quæ supra veniunt.

Ver. 1076. *quom venere:* G. *cum venirunt;* Vind. V. ed. B. *convener,* L. *comvener;* M. *convenir;* Π. *con venire;* Δ. *con venere;* Ω. *cum venerunt.* Inter *cum* et *con* scribæ passim fluctuant: vide ver. 818. Σ. *commoveant.* Abest O. *venere.*

Ver. 1077. *Ponderis:* O. Δ. *Pondere.* —*stare in inani:* Ω. *sistere inani: in* abest Vind. V. ed. O. Π. cui omissioni repetitio syllabæ caussam dedit: vide ad ver. 982. Specimen emendationis, hancce vitiositatis originem spectantis, in Plutarcho proferre liceat, de Pyth. orac. p. 399. B. et tom. vii. p. 569. ed. Reiske: Τοιαυτα τυ Βοηθυ διελθοντος, ὁ Σεραπιων· Δικαιον, εφη, το αξιωμα περι των οὕτως, ὩΣ λεγει Βοηθος, αοριστως και ανυποθετως λεγομενων. Vulgo, deest illud ὡς, vocabulo præcedente, ut fit, absorptum.

Ver. 1078. *ulli:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Ω. *ullis,* adhærescente literâ vocis venientis: de quo errore, vide ad ver. 1016. et exemplum nulli secundum, unum etiam atque alterum, in Silv. Crit. sect. xiii.—*autem* vero deest Π.

Ibid. *ulli subsistere:* i. e. accipere et fundamentum dare—stationem venienti præbere—*sustinere* denique. Vocem in hoc sensu, aut parcissime detorta, passim invenias, sed semper cum casu tertio, vel, si malis, sexto. Unde Gronovio non accesserim ad Liv. xxvii. 7. edicenti, aliquoties variare hujusce vocis significationem; neque dubitaverim, quin ille Livius, i. 4. sic legendus sit:—" jam non *feris* " tantum *subsistere,* sed in latrones—impetus facere:" ubi vulgo, *feras.* Hinc *sustinere,* cum libris quibusdam, ibid. ix. 31. 6. pro *subsistere* legerim; neque receptam lectionem de loco moverim, ad xxxvii. 38. 4.

Ver. 1079. *pergat:* cum corpus utique venerit in medium, quod vocant, non ibi minus corpori vacuum est concessurum, quam in aliis ubilibet locis.

Ver. 1080. *Haud:* V. ed. *Hanc.*—*possunt:* Π. *possint:* et, in versu statim præeunte, vice *Quin,* Σ. *Quem.*

Ver. 1081. *concilium:* sic omnes libri

Præterea, quoniam non omnia corpora fingunt
In medium niti; sed terrarum, atque liquores,
Humorem ponti, magnasque e montibus undas,
Et quasi terreno quæ corpore contineantur:

scripti, atque editi priores; recentiores autem, ex arbitrio criticorum, *concilio:* male omnino. Has regiminis rarioris formulas religioni sit, membranis vetantibus, demutare: redeas ea, quæ dedimus ubertim, ad verr. 250, 289. *cupedine:* sic O: Σ. Ω. at Vind. V. ed. *cupidine.* Jam vero de literâ non geminatâ, relegas dicta in ver. 64.—Cæterum, receptæ lectioni *victæ* Creechianam divinationem *vinctæ* Bentleius anteposuit. Jactantiæ nimirum est valde puerilis voces, passim scribis commutatas, conjecturis, nullâ de caussâ atque incontinenter propositis, sollicitare. Ego nihil novem. Q. Curtius, ix. 2. 12. "*Vicit* ergo *cupido* rationem." Sed nugis immorari nolo.

Ver. 1082. *quoniam:* Vind. Δ. *quoque jam;* quod editorum turbæ placuit, contra vim membranarum atque editorum sinceriorum consentientem, immerito; si modo quædam suppleantur, qualia solent in argumentorum decursu sine fraude reticeri. "*Præterea,* alia insuper difficultas rationibus eorum adversatur:" vel, "Hoc etiam, quo sibi minus constare videantur, illis potest objici:" vel simile aliquid. L. M. habent *qua* cum lineolâ desuper; quæ scriptura quidnam sibi voluerit, collatoris erat ex locis aliis commissis declaravisse. Interea, de fragmento Gottorpiano altum agitur silentium.

Ver. 1083. *atque:* Π. *ac.*—*liquores:* sic L. M. et placet, ut vulgare minus atque elegantius: Σ. Ω. *liquoris;* reliqui omnes, *liquorum,* ut editiones recentiores.—Porro, hicce versus in P. V. ed. L. Δ. Σ. Ω. sequenti postponitur, sed in M. τῳ ver. 1085.

Ver. 1084. *magnas:* Σ. *magnis,* ut vulgares editi, minime ad loci scopum. Huic autem versui sequens præponitur in V. ed. M. et Ω.

Ibid. *Humorem ponti.* Mantuanus, geo. iv. 430.

——— vasti gens *humida ponti:*

et eundem ibid. i. 372. ita rectius capias, et interpungas:

——— atque omnis navita, *ponto*
Humida, vela legit:

i. e. vela, quæ pontus humectavit.

Ibid. *e montibus undas.* Inveniet lector nonnulla huc facientia in notis ad ver. 231. hujusce libri: neque videar intempestivus, si veram constructionem loci in Horatio aperuero, quam scholiastes Cruquianus et Acron perspexere, sed editorum, quantum valeam intelligere, hodiernorum nemo. Exstat od. i. 29. 11.

——— Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti?

Ordo est: "Quis neget rivos, pronos arduis montibus," (i. e. decidentes—decurrentes—montibus) "posse relabi—?" Hinc etiam Valerii Flacci versum restituas, qui Burmannum vehementer cruciavit, vii. 391.

Et jam jam magico per opaca silentia Colchis
Cœperat ire sono, monstrataque condere vultus
Numina, *sub*que suis averti *collibus amnes.*

Vulgo, *cum*que; portentose satis. Ovidii duos locos prius ex ingenio emendaveram, quam libros quosdam consentientes intellexerim, met. xiii. 954.

——— diversis lapsi de *montibus* amnes.

Vulgo, *fontibus:* de quarum dictionum permutatione, videas ver. 291. supra, et consulas Burmannum ad Ovidii l. c. Alter locus est ex Ponto, iv. 5. 43.

Fluminaque in *montes* cursu reditura supino.

Plus videtur dicere, quam cum vulgato *fontes;* quamvis utrumque eodem redeat. Porro, Claudianus, in Eutrop. i. 353. his non alienus accesserit:

At contra tenueis exponunt aëris auras,
Et calidos simul a medio differrier igneis;
Atque ideo totum circum tremere æthera signis,
Et solis flammam per cœli cærula pasci,

Prona petunt retro *fluvii juga*—.

Denique, proverbium Græcum, quod hæ dicendi formulæ respiciunt, sic Euripides elocutus est, Supp. 521.

——————— ανω γαρ αν ῥεοι
Τα ΝΑΜΑΘ' οὑτως, ει 'πιταξομεσθα δη.

Vulgo, insulsissime, Τα πραγμαθ' οὑτως. In Propertium, simile tractantem argumentum, et egregie corruptum, acumen ingenii mei periclitabor, ad i. 15. 29.

Pulsa prius *vacuo* labantur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vias—.

Codicum varietates apud Burmannum videas, et fortasse conatui meo plaudes.

Ver. 1085. Hunc versum, ut adulterinum, obelo confodit Bentleius; et sane, si credere dignum est, Bodleianus non agnoscit. Nobis, ut exegeticus, adeoque simplicitatem stili Lucretiani sapiens, nullo modo displicet. Porro, Δ. vice *contineantur*, habet *continuantur*.

Ibid. *quasi terreno corpore:* i. e. non proprie terrena tantummodo, sed lignea, cornea, ut Virg. Æn. vi. 732. *terreni artus;* atque alia hoc genus: ut nequaquam suâ vi vocabulum *quasi* destituatur. Cicero, Tusc. dispp. i. 20. "Nam nunc quidem, "quamquam foramina illa, quæ patent "ad animum a corpore, callidissimo arti-"ficio natura fabricata est, tamen *ea ter-"renis* concretisque corporibus sunt in-"tersæpta quodammodo." Sic fortasse supplendum. Vulgo sine *ea*, sed codex Oxon. habet *a*. Arnobius, lib. ii. p. 61. de *animâ:* "Nolo illam discere, sed do-"cere; nec ex doctâ, ut dicitur, elemen-"tariam fieri; sed, retinentem res suas, "*corporibus* semet circumligare *terrenis.*" In quibus animum advertat lector formulam sermonis Paulinæ gemellam, 1 Tim. iv. 3. κωλυοντων γαμειν, απεχεσθαι βρωματων: quam nos ad Silv. Crit. Sect. xxiv. paucis illustravimus. Hanc autem minime tenentes, Lysiam, contra Philoc. epil. non intellexit Reiskius, et, ad ejus mentem inconsultius interpolans, Augerus depravavit: Τις δ' ουκ οιδεν Αθηναιων τρια ταλαντα παρα Εργοκλεους μεσεγγυηθεντα τους λεγουσιν, ει δυναιντο αυτον σωσαι, και μη κατηγορειν; Sic sincerissime legitur in Aldinâ. Non aliunde pendet loci in Diogene Laërtio, ii. 95. intellectus, ubi M. Casaubonus egregie ludificatus, vanas conjecturas prodigere sustinuit: Ανῃρουν δε και τας αισθησεις, ουκ ακριβουσας την επιγνωσιν· των τ' ευλογως φαινομενων παντα πραττειν: nempe ουκ ανῃρουν, επετασσον, εκελευον. Similiter Tertullianus, apol. cap. 35.— "qui nos nolunt Romanos haberi, sed "hostes principum Romanorum." Neque alienus est idem nobilissimus Tarsensis, modo memoratus, ibid. ii. 12. Γυναικι δε διδασκειν ουκ επιτρεπω, ουδε αυθεντειν ανδρος· αλλ' ειναι εν ἡσυχιᾳ. Vide insuper Davisium ad Cic. de finn. ii. 8. Sanctii Minerv. ix. 8. fin. Cum trimetro denique, quem dat Marius Victorinus, art. gram. i. p. 2504. hunc excursum claudam; non indigentem tamen, ut sperem, excusationis, quum rem, multis viris eruditis parum perceptam, tangat, atque ad justam intelligentiam locorum innumerabilium haud leviter conducat:

Amare nolo, nec dolere, Clinia.

Ver. 1086. *tenueis aëris auras.* Sic Maro, geo. iv. 311.

——— *tenuem*que magis, magis, *aëra* carpunt:

et ibidem ille, ver. 500.

——————— ceu fumus in *auras*
Commixtus *tenuis*.

Porro, vice *aëris*, V. ed. *artus*.

Ver. 1087. *medio:* Π. *mari.*—*differrier:* V. ed. *disserier*.

Ver. 1088. *circum tremere:* propter scintillantem, palpitantem, ac nictantem

Quod calor, a medio fugiens, ibi conligat omnis:
[Quippe etiam vesci e terrâ mortalia secla;]
Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos

siderum micantium ignem. Faber. Statius, Theb. i. 353.

> ———— nec non abrupta *tremiscunt*
> *Fulgura:*

ut Ennius apud Macrobium:

> *Lumine sic tremulo* terra et cava cærula candent:

cum quo versu compares statim venientem ver. 1089. iv. 406.
Sic etiam Cicero, de divin. i. 11. quem castigatione leporis non infimi donabimus:

> Nam primum astrorum volucreis, te consule, motus,
> Concursusque *gravi* stellarum *albore* micanteis,
> Tu quoque, quom tumulos Albano in monte nivaleis
> Lustrasti, et læto mactasti lacte Latinas,
> Vidisti, et claro *tremulos ardore* cometas.

Optime Turnebus, cui debuerat Davisius assentire, *gravi* reposuit, pro *gravis* librorum. In hoc loco non erat nomen nudum epitheto suo relinquendum. Vulgo insuper, *ardore;* sed verissimum est, opinamur, vel ob eandem dictionem statim recurrentem, tentamen positum. "*Albor,* "λευκοτης," et vicissim "Λευκοτης, *albor,* "candor:" glossarium vetus: vide nos Silv. Crit. v. pp. 79. 80. 81. Sed divinationem nostram maxime stabilit, et esse sincerissimam tantum non demonstrat, parallelus Virgilii locus, geo. i. 365.

> Sæpe etiam *stellas,* vento inpendente, *videbis*
> Præcipitis cœlo labi; noctisque per umbram
> Flammarum longos a tergo *albescere* tractus.

Ad Ovidii epist. ii. 12. explicationem Burmanni miror:

> ———————— sæpe putavi
> *Alba* procellosos *vela* referre notos:

i. e. *splendentia* vela, ad ipsam rem verissime, ut, qui viderint, agnoscent; pelago nigricante, et potissimum, si sol luceat. Statius, Theb. v. 130. interpretem tam frigidum non egit:

> ——— adverso *nituerunt vela* profundo.

Addam Senecam, Hippol. 246.

> Per has senectæ *splendidas* supplex *comas.*

Porro, videas quæ dicturi sumus ad v. 299. Hic autem versus integer abest V. ed. et, vice *æthera,* Π. dat *omnia.*

Ver. 1089. *flamma:* Vind. Π. Σ. *flammam;* Δ. *flammas.*—*pasci:* V. ed. *pasti;* uti sæpe liber iste, ob similitudinem literarum *c* et *t* in minoris scripturæ formis.

Ibid. *solis flammam per cærula pasci:* de hac re ad dicta superius, in ver. 232. remittendus es.

Ver. 1090. *a:* B. *e.*—*ibi:* omnia vetera exempla scripta et edita, *sibi;* sed me persuasissimum habeo, vocem contraxisse literam *s* a fine vocabuli præcedentis, quum nullam constructionem aliter exsculpseris. Neque aliud visum est editoribus, qui præcessere.—*conligat:* G. *contiget.*—*omnis:* G. Δ. Π. *igneis;* et ita vulgares editi: sed male. Huic varietati præbuit originem consuetudo Lucretii, maxime ei in deliciis, minus diligenter observata, quæ verba in absoluto, quem dicunt, significatu studiose solet adhibere. *Conligat* igitur, pro *se conligat,* vel *conligatur.* In operis decursu magna de hoc genere exemplorum vis nobis obversabitur. Sin fuerit, cui minus hæc ratio placitura sit, ille repetat απο κοινυ ex versu præcedente το *flammam:* "Quod calor "omnis utique, fugiens a medio, conligat "in cœlo flammam." Imo, fieri potest, illud *s,* quod τῳ *ibi* agglutinatum codices nobis exhibent, veram Lucretii scripturam ad hunc modum fortassis indicare:

> Quod calor, a medio fugiens, *se ibi* conligat omnis.

Nobis ex analogiâ prima ratio satisfacit. Denique, quum proclivis foret, intellectûs facilioris gratiâ, τυ *omnis* in *igneis* mutatio, contraria autem ratio multo minus veri similis, credibile est librarios ad

Posse, nisi a terris paullatim quoique cibatum
Terra det: at supra circum tegere omnia cœlum;
Ne, volucri ritu flammarum, mœnia mundi

hanc varietatem loco Virgilii, in geo. i. 427. impulsos esse:

Luna revertentis quum primum *conligit ignis*.

Ver. 1091. Spurium esse hunc versum pronunciat Bentleius; nec libris antiquis agnoscitur, si excipias L. et Δ. de quorum priore vehementer dubito, an fideliter renunciaverint; ideoque cancellis uncinorum circumscriptum volui. Mihi quidem, quamvis oratione vix satis simplice pro Lucretii ingenio sententia enuncietur, non omnino videtur *νόθειας* postulandus. Accipio sane, sensu haud incommodo, quasi dixerit poëta, argumentum ab adversarii doctrinis in eum retorquens: "Imo, non "flamma solummodo centrum fugit, sed "etiam terrena illa, quibus homines ves-"cuntur, non vergunt penitus ad medi-"um, sic ut tute posuisti; ideoque tua "de medio omnium quodam sententia, "mera evaserit philosophorum somnian-"tium deliratio."

Ibid. *mortalia secla*. Gemellæ locutiones apud nostrum passim leguntur. Æmulatus est Claudianus, in Rufin. ii. 473.

Huc post emeritam *mortalia secula* vitam
Deveniunt:

et Serenus Samonicus, ver. 539. sic castigandus:

Tam varii casus *mortalia secla* fatigant,
Ut sint diversis obnoxia corpora morbis:
Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alvi;
Frenat commixto *quem fervens* brassica vino.

Vulgo, *quum fervet*.

Neque interea suam vim non habent in Lucretio voces *vesci e terrâ*. "Dicebas "modo, manifestissimum esse flammas "a medio differri; non enim aliter æther "signis pingeretur, neque haberet solis "globus, quo vesci posset, et lucem suam "continuare: et ego vicissim quoque tibi "demonstrabo, homines etiam iis vesci, "quæ de medio tuo sustolluntur. Hæc "nihil valent."

Ver. 1092. *Nec:* Π. *Hec;* uti sane literæ majusculæ *N* et *H* in libris passim commutationi subjacent, ob vel levissimam lineæ horizontalis declinationem: quod norunt omnes, qui membranas vetustas oculis usurpavere: vide nos ad ver. 580. hujusce libri.—Cæterum, hunc etiam versum cum sequente Bentleius obelo confodit; cujus judicio in hac re saltem invitus equidem subscripserim: conferas nostrum sibi ad ii. 187—196.

Ibid. *frundescere ramos*. Arnobius, lib. i. p. 2. im. "Commendata semina "tellus recusat accipere, aut *frondescere* "*arbores* nolunt?"

Ver. 1093. *nisi:* Ω. *nec.—quoique:* P. *quodque;* V. ed. *cines;* in nempe pro *ui*, in quod admodum proclive scribis erat aberrare.

Ibid. *cibatum:* sucos scilicet, qui proinde a medio differuntur; ut et ipsæ arbores, a solo in aëra salientes: vide ver. 188.

Ver. 1094. Deest versus P. Vind. V. ed. M. O. Δ. Π. Σ. cui omissioni occasionem dedisse existimaverim rationes totius loci non satis liquido scribis librariis perceptas.

Ibid. *circum tegere omnia cælum;* templo suo nempe, vel laqueari: vide supra, ad verr. 987. 1013. Ovidius, in magni operis exordio:

Ante mare, et tellus, et, quod *tegit omnia*, *cælum*.

Ver. 1095. *Ne:* G. P. Π. Ω. *Nec.* Pro *volucri*, multæ editiones *volucrum*, contra fidem membranarum et vetustissimorum typis expressorum, longe minus *ποιητικῶς*. Exempla consimilia translationis ab ipsâ *re* ad rei *qualitatem* quandam, vel *circumstantiam*, in quibusvis paginis abundant; neque aliud quidvis poëtici sermonis indolem a soluto discriminat efficacius.

Ibid. *volucri:* a *volando* nempe; unde Virgilius, Æn. v. 319.

Diffugiant subito magnum per inane, soluta;
Et, ne cætera consimili ratione sequantur:
Neve ruant cœli tonitralia templa superne,
Terraque se pedibus raptim subducat; et omnes,
Inter permixtas rerum cœlique ruinas,
Corpora solventes, abeant per inane profundum;

——— et ventis, et *fulminis* ocyor *alis:*

et his paria apud auctores utriusque linguæ infinito numero leguntur. Nequeo tamen mihi temperare, quin versus quosdam Manilianos excitem, quorum locutiones ex multis Lucretii locis, hinc inde sparsis, elegantissime delibatæ sunt. Inveniuntur autem in i. 856. et nostrum pulchre illustrabunt:

Ignibus usque adeo natura est omnis *abundans;*
Ne mirere faces subitas *erumpere cœlo,*
Aëraque accensum *flammis* lucere *coruscis,*
Arida complexum *spirantis* semina *terræ,*
Quæ *volucer pascens ignis* sequiturque, *fugat*que,
Fulgura cum videas *tremulum* vibrantia *lumen*
Imbribus e mediis, et *cœlum fulmine ruptum.*

Fugat utique, expellit ignea semina: sic castigandum: vulgo legitur, *fugit.* Et voces, Italicis literis distinctæ, ex thesauris Lucretianis vel integræ, vel leviter detortæ, provenere.

Ver. 1096. *Diffugiant mœnia mundi.* Commode cum his comparabuntur, quæ dederit scriptor Apocalypseos, xx. 11. *Και ειδον θρονον λευκον μεγαν, και τον καθημενον επ' αυτε· οὗ απο προσωπε* ΕΦΥΓΕΝ *ἡ γη, και* 'Ο ΟΥΡΑΝΟΣ.

Editio ad cod. Vind. exacta, dat *Diffugiunt*, typothetarum, ut arbitrer, ex incuriâ.

Ver. 1097. *Consimili:* O. *simili.* Insigniore cum varietate in Π. versus exhibetur:

Et ne *cuncta quidem* simili ratione sequantur.

Ver. 1098, *tonitralia:* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *penetralia;* Vind. *penitralia;* G. L. M. Ω. *tonetralia.*

Ibid. *ruant cœli templa.* Sic Terentius, Heaut. iv. 3. 41.

——— quid, si nunc *cœlum ruat?*

ubi Westerhovius hanc phrasim erudite illustravit, et opportune nobis otiari licere fecit.

Ibid. *tonitralia.* Scripturam genuinam esse *tonitrualia* arbitramur, a verbo *tonitruo.* Glossarium vetus: "*Tonitruo,* "*βροντω:*" et idem rursus: "Βροντω, "*tonitruo.*" Seneca autem et alii nomen *tonitruum* usurpant. Apuleius de mundo, sub finem, de Jove: "Dicitur et ful- "gurator, et *tonitrualis*, et fulminator."

Ver. 1099. *Terra se pedibus subducat.* Mediæ vocis formam potestatemque maluit Virgilius, Æn. iii. 565.

Tollimur in cœlum curvato gurgite, et iidem
Subductâ ad manis imos desidimus *undâ:*

i. e. undâ *se subducente*, vel subtrahente. Arnobius, lib. v. p. 173. "Jupiter ille, "quicumque est, si sentiret se esse, aut "si ullo sensu afficeretur injuriæ, nonne "digna res esset, propter quam iratus, et "percitus, *terram* nostris *subduceret gressibus*, solis lumina exstingueret atque "lunæ; quin imo res omnes in antiquæ "speciem confunderet unitatis?"

Ibid. *raptim:* i. e. impetu citatissimo. Virgilius, geo. ii. 427.

——— ad sidera *raptim*
Vi propriâ nituntur—:

illa hujusce libri Lucretiana, ver. 188. phrasi variatâ volens exhibere:

E terrâque exorta *repente* arbusta *salirent.*

Porro, de regimine *τε omnes*, vide ad ii. 908.

Ver. 1100. *permixtas:* G. M. *mixtas;* amissâ priore syllabâ propter similitudinem præcedentis *ter:* vide ad ver. 1077. —*rerum:* sic uno ore omnia genuina exemplaria, tam scripta, quam edita: i. e. terrenarum rerum. Specimen significatûs hujusce passim occurrentis sufficiat ex Horatio, od. iv. 15. 17.

Temporis ut puncto nihil exstet reliquiarum,
Desertum præter spatium, et primordia cæca.
Nam, quaquomque prius de parti corpora deesse
Constitues, hæc rebus erit pars janua leti:
Hac se turba foras dabit omnis materiaï.
Hæc si pernosces, parvâ perductus opellâ;

Custode *rerum* Cæsare—:

cum imitatione Virgilianâ, ad Æn. xi. 310.

——— quâ *rerum* jaceant perculsa *ruinâ*.

De suo editores audacissime τὸ *terræ* interpolavere. Vocibus autem transpositis, Π.

——— *cœli rerum*que ruinis:

quo modo maluerim. Manilius, i. 932.

Nec mirere graves hominum *rerumque ruinas*.

Ibid. *cœli ruinas*. Seneca, Octav. 392.

——— nunc *ades* mundo, dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruinâ.

Sic optime rescribendum jubet Gronovius, prò *adest*. Virgilius etiam et Silius habent *cœli ruinam*, sed laxiore sensu, vice *tempestatis*; ut ille præterea, *ruit æther*.

"Omnes codices, *rerum*. Lego:
"Inter *mixtas terrarum* cœlique ruinas."
BENTLEIUS:

ἀμούσως, et inscite satis.

Ver. 1101. *Corpora solventes:* i. e. Corpora sua, nexibus ab omnibus literata, in primordia primigenia friantes. Hunc locum videtur in oculis habuisse Mantuanus etiam, ad Æneïd. xii. 204.

——— non si *tellurem* effundat in undas,
Diluvio miscens, *cœlum*que in Tartara *solvat*.

Idem adhibuit hoc dicendi genus, sed figurate, ad geo. iv. 198.

——— nec *corpora* segnes
In Venerem *solvunt*.

Ver. 1102. *Temporis:* V. ed. Π. *Temporum.*—*nihil:* Ω. *vel.*—*exstet:* B. *restat*, quæ ex glossâ irrepserit, si irrepserit, in contextum.

Ver. 1103. *cæca:* non tantum propter *exilitatem* tenuissimam atque evanidam, quæ oculorum aciem eludit; sed propter inutilitatem etiam, in hoc loco, et ad res creandas ineptam conditionem; ut Græcorum τυφλος. Pari sensu noster, iv. 1004.

Inproba navigii ratio tum *cæca* jacebat.

i. e. nondum ad usus suos suscitata; ubi nos de hac vocabuli exquisitiore potestate mox ampliabimus.

Ver. 1104. *quaquomque:* V. ed. B. *quæcumque.*—*prius:* V. ed. *prima.*—*corpora:* Π. *tempora;* quarum de dictionum permutatione, videas Burmannum, ad Val. Flacc. ii. 324.

Ibid. *parti.* Varro, de re rust. i. 13. 5. "Fenestras habere oportet ex eâ *parti*, "unde commodissime perflari possit."

Ibid. *deesse:* i. e. deficere, et decedere, quâcunque demum caussâ impellente. Lambinum vero vocem undequaque inculpabilem et opportunissimam ad arbitrium ex statione suâ ejecisse, ut *cesse* inferciret, et editores in sententiam ejus pedibus patientissimis ivisse, Lucretium contra omnium proborum exemplarium auctoritatem contaminantes! Pessimo illud hercule exemplo, atque, ut a me vera vox erumpat, flagitiosissime quidem, factum est.

Hæc autem, et quæ sequuntur ad epilogum, ita sunt accipienda, quasi dixerit poëta ad hanc normam: "Recte quidem, "et optimo de jure, eâ tenus suas opi- "niones adversarii nostri suffultum eunt, "dum cœlum omnia tegere et continere "fingunt, reprimens rerum impetum colligensque, ne per inane spatium solutæ "dispergantur: aliter enim mundi moles "discerperetur, et in chaos omnia dila- "berentur. Hoc, inquam, saltem haud

Namque alid ex alio clarescet; nec tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima naturaï
Pervideas: ita res adcendent lumina rebus.

"male factum est; et opinionis est ab- "surdæ non absurdum medicamentum."

Ver. 1105. *janua leti.* Virgilius, Æn. ii. 661.

——————— patet isti *janua leto.*

Arnobius (quem videas etiam supra, ad ver. 856.) lib. ii. p. 64.—" si animæ *leti* "adeunt *januas*, Epicuri ut sententiâ de- "finitur." Insuper, pro *leti*, Ω. *lete.*

Ver. 1106. *se dabit foras.* Similiter Plautus, Capteiv. i. 2. 12.

——————— mene vis *dem* ipse *in pedes?*

ut idem alibi, *dare se in fugam.*

Ver. 1107. *perductus:* i. e. " quasi "prolectatus Musæorum leporum illece- "bris, et rationis veræ blandimentis:" nam graviter timebat poëta, ne *vacuas aures* (vide ver. 45.) illi Memmius suus nollet adhibere; ne illum quidam religionis scrupuli, (vide ver. 82.) quasi viam scelerosæ philosophiæ ingressurum, remorari possent; ne, denique, totum argumentum, ut duriusculum, tristius, et obscurum, (verr. 932. 942.) aversaretur: ideoque nihil aptius, nihil elegantius, nihil signatius, voce *perductus*, excogitari poterat. Ferendumne igitur est, editores in textum conjecturam Lambini, *perfunctus* scilicet, avidissime admisisse, et foras projecisse lectionem longe longeque lepidissimam? Hoc pacto scilicet in optimum poëtam grassata vanorum temeritas licentiosa criticorum! Pudet, pigetque. Si quid liceret immutare, *perdoctus* τῳ *perfunctus* facile egomet prætulerim; sed manus emendatrices ab hoc versu omnino abstinendum est. Et *perductus*, ἑκων quasi ἀεκοντι γε θυμῳ, ut suavissime Homerus, hactenus protraheretur, et aliquantulum reluctatus. Appositus est Terentii locus in Andriâ, i. 1. 54.

Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut unâ esset, meum.

"Perduxere. *Invitum* isse Pamphilum "his verbis significat: *perducuntur* enim, "*necessitate coacti:*" ut egregie Donatus.

Ibid. *parvâ opellâ.* Hoc verecundiam amici sui vult attingere; quasi dixerat: "Certe molestias tam brevis operis haud gravaberis."

Ibid. *opellâ.* Vox in Horatio quoque legitur, epist. i. 7. 8.

Officiosaque sedulitas, et *opella* forensis:

sensu diminuto, et modesto; quasi fuerit opera molestiarum fertilior, quam profectûs.

Ver. 1108. *Namque:* V. ed. *Neque;* P. *Æque.*—*alid:* V. ed. B. O. Π. *aliud.* —*clarescet;* G. *clariscit;* unde mallem equidem, *clarescit;* i. e. *solet clarescere;* ut effatum sit generalem veritatem continens.—*nec:* Vind. Δ. Π. *non.*

Ibid. *clarescet.* Maro verbum proprie adhibuit, Æn. ii. 301.

Clarescunt sonitus.

Non inscite Hilarius in gen. 54.

Utque hominum solers posset *clarescere* vita,
Artibus ætheriis totas quæ ducere luces
Gaudet, et ingenium diversâ laude fatigat,
Insequitur nox atra diem.

Ver. 1109. *quin:* V. ed. B. Π. *quando;* solennis variatio, brevitate scripturæ nasci facilis; nisi forte Virgilius hac occasione scribis importunis ansam dederit, arripientibus Æn. ii. 446.

——————— *quando ultima* cernunt.

Ibid. *Nox cæca.* Virgilius, geo. iii. 260.

Nocte natat *cæcâ* serus freta:

Ibid. *Nox iter eripiet.* Idem Mantuanus bellissimam locutionem non incuriosus vidit; sic enim ille, ad Æn. i. 88.

Eripiunt subitæ nubes cœlumque, diemque,
Teucrorum ex oculis: ponto *nox* incubat atra.

Hanc lectionem, longe exquisitiorem vulgatâ *subito*, veri esse simillimam, imo

verissimam, evincent tibi, nî fallimur, quæ mox dabimus liberiore calamo, ad. ii. 363. *Nubes subitæ;* supervenientes scilicet, subortæ; ut ibid. ix. 33.

> Hic *subitam* nigro glomerari pulvere *nubem*
> Prospiciunt Teucri:

ubi liber itidem unus pessime habet *subito.*

Neque immemor nostri Maro, ad Æn. viii. 254.

> ——— involvitque domum *caligine cæcâ,*
> *Prospectum eripiens* oculis.

Ibid. *ultima naturaï Pervideas;* i. e. "oculorum aciem ultra flammantia mun-"di mœnia, ut Epicurus ipse, jaculeris." Sed enim vix equidem dubito, quin figuratam orationem concinnius servaverit poëta noster, et hoc pacto locum primitus exhibuerit:

> ——————— nec tibi cæca
> Nox iter eripiet, quin ultima naturaï
> *Perveniat.*

Sic omnia congruent aptissime, et amicissime conspirabunt. Noster supra, ver. 73. per eandem translationem:

> ——————— extra
> *Processit* longe flammantia mœnia mundi.

Similiter Virgilius, qui τῳ *pervidere* nusquam usus est, Æn. x. 472.

> ——————— etiam sua Turnum
> Fata vocant, *metas*que dati *pervenit* ad ævi;

i. e. ad ævi *ultima:* et sic alii sæpissime. *Pervenias* autem *ultima,* sine præpositione, perquam eleganter; ut Claudianus, de bell. Get. 73.

> ——————— nec *pervenere* juventæ
> *Robur* Aloïdæ:

et videas par regimen ad ver. 1060. supra.

Ver. 1110. *adcendent:* P. V. ed. *accedent;* Σ. *accendant.*

Ibid. *res adcendent lumina rebus.* Virgilius, geo. i. 251.

> *Illis* sera rubens *adcendit lumina* vesper:

sic enim legendum esse alibi planum fecimus. Similem habet insuper sententiam Gratius, cyneg. 8.

> ——— contiguas didicere ex artibus artes
> Proserere.

ADDENDA QUÆDAM.

VER. 7. *tibi tellus Submittit flores.* Eumenius, paneg. Constant. Aug. sect. 22. hunc locum videtur imitari, et suspicionem meam de Homero, quasi notionem Lucretio suppeditaverit, confirmare:—"Nec magis Jovi Junonique recubanti-"bus novos *flores terra submisit,* quam "circa tua, Constantine, vestigia urbes "et templa consurgunt."

Ver. 14. *feræ pecudes.* Hujusce versûs scriptura vere constituta est. Pariter Minucius Felix, sect. 17.—"præcipue "cum a *feris belluis* hoc differamus, "quod illa prona—etc."

Ver. 71. *ecfringere portarum claustra.* Quemadmodum Cornelius Nepos etiam locutus est, x. 9. 6. *foribus effractis;* et Plautus alias, iteratis vicibus. Asin. ii. 3. 8.

> ——— *cardines* ne foribus *effringantur.*

In mil. glor. etiam, iv. 6. 35.

> ——— Mil. Obclusæ sunt *fores.* Ac. *Effringam:*—

et in Stich. ii. 2. 3. denique:

> ——— eân' gratiâ *fores effringis?*

Ver. 93. Tantum non pœnitet haud admissam esse vocem *subnixa.* Locus Livianus, xxvi. 9. 8. maxime congruit: "Plo-"ratus mulierum non ex privatis solum "domibus *exaudiebantur,*" (vide nostrum, ii. 579, 580.) "sed undique matronæ, "in publicum effusæ, circa deûm delu-"bra discurrunt, crinibus passis aras ver-"rentes, *nixæ genibus,* supinas manus ad "cœlum ac deos tendentes, orantesque—." Hanc notionem verbi glossator vetus respicit: "*Subnixus,* ὑπoδὶς:" i. e. quasi *minor genibus,* vel *metu perculsus:* nam in utramvis partem potest accipi.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.



SUAVE, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem:

VER. 1. Constructio est, vel *turbantibus mari æquora*, ad notum Græcismum, quem in tyronum gratiam admovemus: ut Soph. Œd. tyr. 2.

Τινας ποθ' ἑδρας τασδ' ΕΜΟΙ ΘΟΑΖΕΤΕ;

vel, quod simplicius fortasse, *turbantibus æquora mari*; quam asseruimus et illustravimus ad Silv. Crit. ii. p. 39. et v. p. 34. Huc autem non equidem Tacitum retulerim, ad ann. xv. 37. adeoque ad hunc modum punctis dederim dispositum: "Volucres et feras diversis e terris, et "animalia maris, oceano ab usque, pe- "tiverat."

Interea, mihi rem reputanti subest cogitatio, an recte iniveris diversam distinctionem loci, quam serus video et interpreti placuisse:

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem:

i. e. "suave spectare periculum alterius, "mari *in* magno *versati*, dum turbat su- "perficiem aquarum tempestas." Tum intelligas mari *magno* non male de mari *intumescente*, cum viris doctis ad Sallust. Jug. 78. 3. aliter sequerer equidem vulgarem dictionis sensum: terrorem enim facile adaugeat spatiosa oceani magnitudo; ad illud Virgilianum, Æn. iii. 193.

—— cœlum undique et undique pontus:

sed alia ratio constructionis longe venustior est, et exquisitior.

Versus nescio cujus apud Stobæum, ecl. moral. de navigatione et naufragio, quos sibi imitandos sumpsit Lucretius, sic legendi sunt:

Ὡς ἡδυ μεν θαλατταν απο ΤΗΣ γης ὁρᾳν,
Ω μητερ, εστι, μη πλεοντα μηδαμως.

Fragmentum Sophoclis ibidem, quod pulchre Lambinus etiam contulit, mihi videtur hoc pacto commodissime rescribendum, habitis tam Stobæi, quam Ciceronis, rationibus; nam illud *και*, Brunckio memoratum, meo Stobæi exemplari deest:

Τι χαρμα τουτε μειζον αν λαβοις ποτε,
Του γης ΕΠΙΨΑΥΣΑΙ ΤΕ, Κ'ΑΘ' ὑπο στεγῃ
Πυκνας ακουσαι ψεκαδος, εὑδουσῃ φρενι;

Ad quos versus Sophocleos suaviter Tibullus allusit, i. 1. 45. sic fortasse rescribendus:

Non, quia vexari quemquam est jocunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Per campos instructa, tuâ sine parte pericli,

Quam juvat inmites ventos audire cubantem,
Et *dominæ in* tenero *delituisse* sinu!

Ibid. *mari magno:* sic Maro, Æn. v. 628. *mare magnum:* atque iterum, ut noster, Æn. iv. 566. *mare turbari.* Cæterum, *mari magno* in sensu populari, pro quovis *spatioso* mari, non cum eruditis, utitur. Cicero, somn. Scip. 6.—" insula " est, circumfusa illo *mari*, quod Atlan- " ticum, quod *magnum*, quod oceanum, " appellatis in terris."

Ver. 2. *E:* Nonius, iv. 441. *Et;* ad quædam exemplaria: arreptâ *ε τε terrâ*.

Ibid. *magnum.* Displicet tam cito super *magno.* Forte:

E terrâ *vastum* alterius spectare laborem.

Seneca, Herc. fur. 1103.

——————— *gemitus vastos*
Audiat æther:

et Lucilius junior in Ætnâ, ver. 200.

Ipse procul *vastos* miratur Jupiter ignes.

Vulgo, *magnos;* sed codex unus *tantos:* unde nos veram lectionem restituimus. Similiter libri fluctuant inter *magnas* et *vastas* ad Ovid. fast. ii. 322. Virgilius sane multis in locis hoc pacto voce *vastus* usus est; sed ex colore sermonis ad geo. i. 158.

Heu! *magnum alterius* frustra *spectabis* acervum;

receptam Lucretii lectionem videri potest confirmare: nisi quod iste versus ita fortassis est scribendus:

——————— frustra *sperabis* acervum:

uti plane exhibet codex in Musæo Britannico seculi decimi, quem nos contulimus. Hinc de glossâ nonnullorum MSS. varietas, *exspectabis;* et ex eâ decurtatâ lectio vulgata fortassis invaluerit. De permutatione autem *spero* et *specto*, passim critici.

Ver. 3. *quemquam:* P. V. ed. *quempiam:* et *jocunda* scribunt antiquo more P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. et alii fortasse omnes.

Ibid. *vexari:* i. e. *jactari* pelago, et pulsari: vide ad i. 276. Ovidius, epist. xix. 126.

An *mare*, ab inviso privignæ nomine dictum,
Vexat in æquoream versa noverca deam?

Conferas eundem ad met. xi. 435. Anne hinc Virgilius castigandus est? Æn. v. 469.

——————— sic densis *ictibus* heros,
Creber utrâque manu, pulsat, *vexat*que, Dareta.

Vulgo, *versat:* de quarum dictionum commutatione, Barthius ad Stat. Theb. v. 612. commentatores ad Catull. lxiv. 80. et quos nominat eruditissimus Drakenborchius, ad Liv. ii. 34. 5. certatim egerunt.

Porro, nisi animum advertas ad meam loci Virgiliani distinctionem, elegantias ejus neutiquam degustabis; nam a *creber* pendet *το manu.* Idem, Æn. i. 85.

Unâ Eurusque Notusque ruunt, *creber*que *procellis*
Africus.

Ibid. *jocunda voluptas.* Lucilius, modo memoratus, ver. 247. ejusdem carminis, hanc locutionem mutuatus est:

Sed, manifesta notis certâ disponere sede
Singula, divina est animi ac *jucunda voluptas.*

Ver. 5. Tempestiva sunt, ut quæ maxime, Appiani illa in Punicis, sect. 71. laudata Havercampo, neque voluptatem legentibus non afferent hic etiam exhibita: Ὁ δε Σκιπιων εθεατο την μαχην αφ' ὑψηλου, καθαπερ εκ θεατρου· ελεγε τε πολλακις ὑστερον, αγωσι συνενεχθεις ποικιλοις, ου ποτε ὡδε ἡσθηναι· Μονον γαρ, εφη, τονδε τον πονον (*laborem*, ver. 2.) αφροντις ιδειν, μυριαδας ανδρων συνιουσας ες μαχην ἑνδεκα· ελεγε τε σεμνυνων, Δυο προ αυτου την θεαν ταυτην ιδειν, εν τῳ Τρωϊκῳ πολεμῳ, τον Δια απο της Ιδης, και τον Ποσειδωνα εκ Σαμοθρακης. Et est narratiuncula sane undequaque lepidissima; et heroa, omnibus rebus excellentissimum, egregie commendat.

Suave etiam belli certamina magna tueri:
Sed nihil dulcius est, bene quam munita tenere,
Edita doctrinâ sapientum, templa serena;

Ibid. et 6. In omnibus, præ se ferentibus auctoritatem, exemplaribus, scriptis et editis, si Pii excipias Bononiensem, hi duo versus, uti nos posuimus, ponuntur; et exemplaria quidem vetera omnia nobis audienda esse existimavimus.

Ibid. *belli certamina.* Virgilius, Æn. x. 146.

——————— duri *certamina belli.*

Ibid. *certamina magna.* Idem, ecl. vii. 16.

Et *certamen* erat, Corydon cum Thyrside, *magnum.*

Ibid. *tueri:* nempe in *turre*, vel altiore quodam loco, positus; unde proprietas sequentium clarius elucescet, ac venustas. Oculis poëtæ nostri involasse putem Homerei loci simulacrum, ad Il. Γ. 153. ubi similiter optimates Trojanorum speciem belli intuentur:

Τοιοι αρα Τρωων ἡγητορες ἡντ' επι πυργῳ·

neque fortassis illi procul aberat rei recordatio, quam de Xerxe, copias suas de turris apice cum lacrimis lustrante, plures veterum nobis tradidere. Sed operam longe commodissimam, atque ad illustrandum Lucretium summopere facientem, Seneca navabit, ad Troad. 1068.

Est una magna *turris* e Trojâ super,
Adsueta Priamo; cujus *e fastigio,*
Summisque *pinnis*, arbiter belli *sedens*,
Regebat acies: turre in hac, blando sinu
Fovens nepotem, cum, metu versos gravi,
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
Paterna puero *bella monstrabat* senex.

Ver. 7. *nihil:* G. M. *nihilo.*—*dulcius:* G. *dulce;* sed quid sibi hæc velint, non perspicio.—*bene:* P. V. ed. *bone.*

Ibid. *dulcius.* Idem ergo sunt *dulcis* et *suavis;* neque aliter Cicero, de senect. 10. "Et enim, ut ait Homerus, ex ejus "linguâ melle *dulcior* fluebat oratio: "quam ad *suavitatem* nullis egebat cor-"poris viribus."

Ibid. *bene munita:* i. e. tuta; ut Ovidius ad Liv. Aug. 61. ita leviter castigandus:

Ipse vigil, summâ sacer ipse locatus in arce,
Res hominum *ex tuto* cernere dignus erat.

Ibid. *bene munita sapientum templa.* Aristophanes, Nub. 1024.

ω ΚΑΛΛΙΠΥΡΓΟΝ ΣΟΦΙΑΝ
Κλεινοτατην επασκων!

unde lyræ Romanæ fidicen, od. iii. 28. 4. illustrabitur.

*Munitæ*que adhibe vim *sapientiæ:*

i. e. Σοφιᾳ εμπεπυργωμενη, doctrinis scilicet atque disciplinis philosophorum. Appositus est etiam Accius apud Tullium, de div. i. 22.

Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes
æque ac pecus,
Is, *sapientiâ munitum*, pectus egregium gerat;
Teque regno expellat.

Porro, locum contrarium sic Lucanus graphice lectoribus depinxit, v. 250. Cari memor:

Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo
est,
Quam non e *stabili, tremulo* sed, *culmine* cuncta
Despiceret; staretque *super titubantia* fultus.

Ver. 8. *Edita:* i. e. educta—facta—creata—in altum erecta—doctrinâ philosophorum. Q. Curtius, ix. 1. 9.—"Sylvæ erant prope, in immensum spatium "diffusæ, procerisque et in eximiam al-"titudinem *editis* arboribus umbrosæ:" i. e. *se dantibus*—se tollentibus—in eximiam altitudinem.

Ibid. *templa serena:* ob altitudinem suam, rerum terrenarum *nebulis* carentia. Pulchre Statius, Theb. ii. 35. Carum certissime respectans:

Stat *sublimis* apex, ventosque imbresque *serenus*
Despicit.

Ver. 9. *Despicere alios Errare.* Idem Statius, silv. ii. 2. 131. Lucretium imitatus est iterum:

——————— celsâ tu mentis *ab arce*
Despicis errantes, humanaque gaudia rides:

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ;
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti præstante labore

quem locum mihi Preigerus occupavit, atque etiam Nasonianum, met. xv. 147. multum Lucretio debentem:

> ——————— juvat ire per alta
> Astra; juvat, terris et inerti sede relictis,
> Nube vehi, validique humeris insistere Atlantis;
> *Palantes*que animos *passim*, ac rationis egentes,
> *Despectare* procul.

Eleganter item in hanc rem Silius, xv. 106.

> ——————— mox, celsus, ab alto
> Infra te cernes hominum genus:

ubi plura videas in notâ Drakenborchii. Nec minus venuste Claudianus, plures Cari locos æmulatus, in Mall. Theod. cons. 4. de *Virtute:*

> Nil opis externæ cupiens, *nihil* indiga laudis,
> Divitiis animosa suis, immotaque mundi
> Casibus, *ex altâ* mortalia *despicit arce:*

uti legendus est ex libris. Corruptos versus in Ciri Maronis, verr. 14—18. hinc desumptos esse plures observavere. Addam Orosium, ut emendem, hist. ii. 18.—"si quis intentius adhibeat animum, seseque toto mentis adfectu ipsis *penite* caussis bellisque permisceat, ac rursus, velut *in arce* spectaculi *constitutus*, utrumque in suis qualitatibus tempus permetiatur—." Vulgo *pene*, vice *penite*. Mamertinus, gratt. act. Julian. sect. 10. 1.—"nunc in illud idem *editum* reponatur, ac *despiciat* cuncta lætantia—."

Ver. 10. *palanteis:* II. *palentes*. Et librarius, vel typotheta, in V. ed. oculo longius provecto, atque in vocem sequentis versûs, simili statione positam, et similiter terminatam, incidente, omnia omisit inter *errare* et *ingenio* venientia.

Ibid. *Errare palanteis.* Paria vocabula sic amant scriptores consociare. Ita Sallustius, Jug. 18. 2.—"*vagi*, *palantes*, quâ nox coëgerat, sedes habebant:" ubi satis multa huc facientia Cortii doctrina pulchre congessit. Livium tamen, ad v. 44. 5. malim legi ad alium codicem, et distinctione melius curatâ sublevari, ad hunc modum: "Jam, obsidionis tædio victi, abscedunt, *vagi*que per agros *populantur:* cibo vinoque raptim hausto repleti, ubi nox adpetit, *propter* rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus ac custodiis, passim, ferarum ritu, sternuntur." Vulgo, *palantur;* quæ dictio minus ad scopum loci, me judice saltem, facit. Historicus autem poëtam non ignobilem illustrabit, ut hoc in transitu tangam; Claudianum dico, de bell. Get. 350.

> ——————— Nulla Lyæi
> Pocula; rara Ceres: *raptos* contentus in armis
> Delibasse *cibos:*

ἁρπαγδὴν, ob celeritatem ac festinationem.

Ver. 11. *Certare ingenio:* ut Athenienses antiqui, teste Virgilio, geo. ii. 382.

> *Præmia*que *ingeniis* pagos et compita circum
> Thesidæ posuere:

uti locus iste verissime legitur; non *ingentes*, ut quidam libri. Eandem mendam prior sustulerat Gronovius ex Valerio Maximo, i. 7. ext. 4.—"*ingenii* agilitate, et corporis dotibus, præstantiorem." Omnes codices, *ingenti;* corruptissime. Confer Heinsium, Sil. It. xvi. 46. errorem contrarium sagaciter emaculantem. A. Gellius, xv. 23. "Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiæ scriptores, iisdem temporibus fere, laude *ingenii* floruerunt." Sic optime Gronovius, vice vulgatæ lectionis, *ingenti* scilicet.

Ver. 12. *præstante:* Ω. *præstare;* ex *præstate*. Neque ausim equidem damnare τo *præstante*, quum bonum sit, et ita non multo aliter eloquentiæ Romanæ flos, Tusc. dispp. i. 10. "Aristoteles, longe omnibus (Platonem semper excipio)

Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum menteis! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis,
Degitur hocc' ævi, quodquomque est! Nonne videre est,

"*præstans* et ingenio, et *diligentiâ-:*" malim tamen, cum Pii membranis quibusdam, ad iii. 62. *perstante;* i. e. perseverante—pertinaci. Horatius, sat. ii. 5. 39.

Persta, atque *obdura*.

Cæterum, integra loci oratio satis ostendit, Sisyphi imaginem, de quo plura ad iii. 1013. animo Lucretii præsentem fuisse, si attendas dictionibus sigillatim: *nocteis atque dies—niti—labore—summas—emergere*. Dignus est, qui committatur, Terentii locus, simili verborum efficacium vigore roboratus, And. iv. 1. 53.

Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo;
Conari manibus, pedibus, noctisque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.

Ver. 13. *emergere:* ἐξαναδῦναι· quasi ex *luto vilitatis*, ac profundâ rerum colluvione, quibus immersum vulgus hæret. Livius, i. 13. 5. "Monumentum ejus "pugnæ, ubi *ex profundâ emersus palude* "equus Curtium in vado statuit." Valerius Maximus, ii. 10. 6. "Marius, in "*profundum* ultimarum miseriarum ab- "jectus,—beneficio majestatis, *emersit*." Hinc præclare Juvenalis, iii. 164.

Haud facile *emergunt*, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Ibid. *rerumque potiri:* ac si montis fastigio saxum Sisyphium. Ovidius, met. xi. 339.

Vertice Parnasi potitur.

Ver. 14. *miseras:* Δ. *nescias:* et *menteis hominum*, vocibus transpositis, Π. qui in utroque loco scribit *Oh*, non *O!* Varietatem lectionis in Lactantio, i. 21. fin. *stultas*, pro *miseras*, fallaci scriptoris politissimi memoriæ tribuerim.

Forte an Lucretius versum Lucilianum, quem in usus proprios sumpsit Persius, ob oculos habuerit:

O curas hominum! O quantum est in rebus inane!

Capitulum interea sequentium, ne tyronibus, forte fortunâ in illud incidentibus, moram injiciat, prout exhibetur in codice Vindobonensi, Sartoseus states catastema; sincerius aliquantulo exaratur in editione Veronensi, ad hanc normam: "Sarcoseus id est sarcos eustates "cata schema:" quod valet, probe evolutum, et Græcis literis distinctum, Σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα. Hoc autem est voluptatis, vel summi boni, Epicurea definitio, quam invenies apud A. Gellium, ix. 5. initio.

Ver. 15. *Qualibus:* V. ed. *Qualibet*, ut nonnulla etiam Lactantii exemplaria, l. c. vide i. 1027.

Ibid. *in tenebris vitæ*. Virgilius, Æn. ii. 92.

Afflictus, *vitam in tenebris*, luctuque, trahebam.

Ibid. *quantisque periclis*. Idem, ibid. vi. 693.

——— *quantis* jactatum, nate, *periclis*.

Ver. 16. *Degitur:* Nonius in voce, iv. 117. *Degimus.—nonne:* Π. *nene.—videre est:* sic Ω. et emaculati codices Pii; et veri simillimum videtur, τὸ *est* omissum esse in G. L. M. hic enim fons uberrimus erroris, ob angustias chartæ non raro, ad fines versuum. Hoc codici nostro Δ. sæpissime evenit, quum minimam formam habeat. Vind. P. V. ed. B. O. Δ. Π. *videtis:* Σ. autem utramque lectionem, tam *videre*, quam *videtis*, exhibet. Nuda lectio vulgarium editionum, τὸ *videre* scilicet, nemini non jure displicuerit ex venustioribus, nî fallimur. Porro, de orthographiâ *hocc'*, redeas observata in i. 693.

Ver. 17. *nisi:* V. ed. Π. Ω. *nec.—quoî:* sic P. sed omnes alii, *qui;* haud dubie pro *cui*, vel *quoi:* B. *quo*, si fas sit credere. Bentleius etiam legendum jubet, sic ut nos edidimus.

"*Naturam* vero, cujuslibet hominis, nisi "ut *ille* fruatur;" ne in expediendâ con-

Nihil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jocundo sensu, curâ semota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant quomque dolorem;

structione tibi sit ulla forte hæsitatio; ut olim Pio, qui hinc conjecturam suam nobis peperit, *mensque*, pro *mente* scilicet. Epicurus dixit, ἡδονην τελος ὑπαρχειν·—το μητε αλγειν το σωμα, μητε ταραττεσθαι την ψυχην·—το μεν φυσικον παν ευποριστον εστι, το δε κενον δυσποριστον·—την αυταρκειαν αγαθον μεγα νομιζομεν. BENTLEIUS.

His verba Gellii subjungamus, uti leguntur apud eum, lib. ii. cap. 6. "Epicurus "—maximam voluptatem detractionem "privationemque omnis doloris definivit "his verbis: Ὅρος του μεγεθους των ἡδονων, ἡ "παντος του αλγουντος ὑπεξαιρεσις." Quibuscum parallela committas apud Diogenem Laërtium, x. 139.

Ibid. *latrare:* i. e. acriter poscere—*clamosis* quasi conviciis efflagitare. Festus: "*Latrare* Ennius pro *poscere* posuit." Hinc festive de *increpitantibus*, et bolum petentibus, famelici visceribus Horatius, sat. ii. 2. 17.

——————— cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet:

Homerum, ut mihi videtur, æmulatus, Od. Υ. 13.

——————— κραδιη δε οἱ ενδον ὙΛΑΚΤΕΙ·

i. e. "rem aggredi vehementissime gestiebat." Neque alio, quam ad hunc principis poëtarum locum, Statius respexit, nobis non incommodus accessurus; Theb. ii. 338. ad quem versum consuli debet Gronovius:

——————— quoties hæc ora natare
Fletibus, et magnas *latrantia* pectora curas
Admotâ deprendo manu?

Sed prior Ennius, cujus hemistichium, de quo cogitabat Festus, videas in Hesselio, p. 93. ex Varrone. Proprie in primis Petronius, cap. 104. ubi docendi sunt interpretes:

Et canis in somnis leporis vestigia *latrat;*

i. e. scrutatur—insequitur—disquirit, non sine quodam murmure fortasse tenuissimo. Juvencus, evang. hist. iv. 14.

Post Sadducæi tali cinxere *latratu:*

i. e. clamosâ atque malitiosâ *quæstione*, quasi dentibus volentes districtis lacerare.

Ver. 18. *sejunctus:* Π. *sejunctis.*—*mente:* Δ. *mensque;* uti volebat Pius: vide ad ver. 17.

Ibid. *Corpore sejunctus dolor.* Cicero, de finn. ii. 28. "Ipse enim Metrodo-"rus, pene alter *Epicurus*, beatum esse "describit his fere verbis: Cum corpus "bene constitutum sit, et sit exploratum, "ita futurum." Consulas, quæ Davisius ad locum annotaverit.

Ver. 19. *Jocundo:* sic αρχαϊκως G. Vind. O. Σ. Pro *semota*, Bentleius videtur maluisse, *semotu.* Cui vero fructui? Cæterum, his exprimit Lucretius, quæ Epicurus a Democrito exceperat, et nobis tradidit Diogenes Laërtius, ix. 45. unde digna sunt, quæ in has chartas transferantur: Τελος δε ειναι την ευθυμιαν· ου την αυτην ουσαν τῃ ἡδονῃ, ὡς ενιοι παρακουσαντες εξεδεξαντο, αλλα καθ' ἡν γαληνως και ευσταθως ἡ ψυχη διαγει, ὑπο μηδενος τυραννουμενη (sic bene Suidas; vide mox ver. 1090.) φοβου, η δεισιδαιμονιας, η αλλου τινος παθους. His autem admonitus, lexicographum modo memoratum tribus maculis in articulo Επικουρος expurgabimus: Ειχε δε το βιβλιον τας Επικουρου δοξας, ἁς εκεινοι ΚΥΡΙΩΣ οὑτω καλουσιν, Επικουρου ΚΑΛΑ γνωρισματα. Vulgo, κυριας et καλα, quamvis de discipulis ejus sermo fiat. Mox ibidem:—ειτα, ὁτι ΟΥΚ εκ προνοιας φερεται παντα.—Libris abest ου, de quâ omissione nos uberius ad Silv. Crit. ii. sect. 107. iv. sect. 198. Hinc elapsa est vox ob similitudinem sequentis εκ. Kusterus reponit ανευ· violenter, et minore cum probabilitate.

Delicias quoque utei multas substernere possint;
Gratius interdum neque Natura ipsa requirit:
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut subpeditentur;

Ver. 20. *ad naturam pauca opus.* Ita Epicurus, in Diog. Laërt. x. 144. Ὁ της φυσεως πλουτος και ὡρισται, και ευποριστος εστιν.

Ver. 21. *demant:* Δ. *demat;* et, pro *quomque*, G. L. *quemque;* cujus rei fides penes Havercampum sit: vide ad ver. 71.

Ibid. *opus esse pauca.* Hujusce regiminis exempla plurima dedit noster, aliis etiam non spreti. Justinus, xi. 7. 10. "Consulentibus de fine discordiarum "oracula responderunt, *Regem* discordiis "*opus* esse:" ubi manibus non parcentibus interpretes specimina tibi suppeditabunt. Nos in superioribus rem attigimus, ita ut ea, quæ sunt ad manum, supervacaneum sit accumulare.

Ver. 22. Nonnulli volunt *nullas;* codices, *multas:* verissime. Plutarchus ad Colotem:—περας ἡδονης κοινον την παντος του αλγουντος ὑπεξαιρεσιν επιτεθεικεν (Επικουρος·) ὡς της φυσεως αχρι του λυσαι το αλγεινον αυξουσης το ἡδυ, περαιτερω δε προελθειν ουκ εωσης κατα μεγεθος, αλλα ποικιλμους τινας ουκ αναγκαιους, ὁτ' αν ουκ εν τῳ μη πονειν γενηται, δεχομενης. BENTLEIUS. Locus autem non exstat in libello adversus Colotem, sed in eo, qui præcedit, p. 1088. C. ubi Reiskius bene legit ὑποτεθεικεν.—Porro, vice *multas*, Π. *multis.*

Ibid. *substernere:* i. e. ad amussim, si etymon utriusque vocis contemplere, *subpeditare*, ver. 26.

Ver. 23. *requirit:* P. V. ed. Ω. *requiret.*

Ver. 24. Hunc locum ex Homero adumbratum esse alii dudum monuere, Od. Η. 100. ubi de Phæacum luxu loquitur poëtarum princeps:

Χρυσειοι δ' αρα κουροι, εϋδμητων επι βωμων,
Εστασαν, αιθομενας δαϊδας μετα χερσιν εχοντες,
Φαινοντες νυκτας κατα δωματα δαιτυμονεσσι.

Nec minus eundem artificem consummatissimum imitari voluit Nonnus Dionys. iii. p. 94.

Και πολυς, ΕΥΠΟΙΗΤΟΝ ερεισαμενος ποδα πετρῳ,
Χρυσεος ἱστατο κουρος, εναντια δαιτυμονηων
Λαμπαδος ἑσπεριης τανυσαν επιδορπιον αιγλην.

Sic legendum: vulgo, ευποιητος· eleganter minus et poëtice. Per imitationem generaliorem Virgilius rem administravit, ad geo. ii. 461. quem nolim hic transcriptum dare; ut neque versus parallelos Culicis, ver. 57. et sequentes multos, ob nimiam prolixitatem.

Ver. 25. *retinentia;* ut simplex *tenentia:* vide ad i. 496.

Ver. 26. *Lumina nocturnis epulis.* Virgilius, Æn. vii. 13. conferri debet:

——————— tectisque superbis
Urit odoratam *nocturna* in *lumina* cedrum.

Ver. 27. *fulget:* P. *fulgens;* et sane, ut minor sermonis superflui sit species, hoc pacto concinnatum locum longe longeque anteposuerim:

Nec domus, argento *fulgens* auroque, renidet:

i. e. fulgorem ab argento atque auro remittit: nec dubitem, lautos lectores mihi consensuros; sed libros MSS. conspirantes in vulgatam lectionem, calcatos nolim.—*renidet:* P. *renidens;* Vind. O. Π. *renitet;* Ω. *redimet.*

Porro, et Horatius integros versus Lucretianos coram habuit, ad od. ii. 18. 1.

Non ebur, neque *aureum*
Meâ *renidet* in domo *lacunar.*

Ibid. *argento fulget auroque.* Justinus, xi. 13. "Hortatur, Spernant illam "aciem, *auro et argento fulgentem.*" Ubi quædam membranæ dant *spectent;* reliquias, nî fallor, genuinæ lectionis, cujus erat το *spernant* glossa marginalis; *despectent* scilicet.

Ibid. *argento auroque:* i. e. poculis, et

Nec domus argento fulget, auroque renidet,
Nec citharæ reboant laqueata aurataque templa;

reliquâ supellectili, in vasario fulgentibus. Idem voluit Horatius, sat. ii. 2. 4.

Discite, non inter *lances mensas*que nitentis,
Cum stupet insanis acies *fulgoribus*:

i. e. "vario luxu et splendore epularum," ut bene Ascensius, nec minus ad rem commentator Cruquianus.

Ver. 28. *citharæ:* P. Σ. *citharis;* ut postea V. ed. quæ ab initio sic dedit versum:

Nec *cytharæ laqueat reboantia* aurataque templa:

quam sequitur Π. in ordine verborum.—*laqueata:* Π. *laquear.*

Ibid. *citharæ reboant templa:* vel, "reboant ad vocem citharæ," ut sit *citharæ* in tertio casu numeri singularis: vel, quod malim equidem, "citharæ *faciunt* *reboare;*" in numero multitudinis, quod ποιητικωτερον est, magnificentiusque. Et hanc rationem esse verissimam, mihi persuasit Maronis locus, modo memoratus, ubi poëta perfectissimus certe non oculis nullis Lucretium suum respiciebat:

Dives inadcessos ubi solis filia lucos
Adsiduo *resonat* cantu:

i. e. *resonare facit*, ut bene Servius. Facessant igitur editores cum suo *citharis;* lectione oppido vulgari, et testibus paucioribus atque levioribus subnixâ.

Ibid. *citharæ reboant.* Fortius habemus, ut videri possit, quam, quod exigat occasio, vocabulum. De re scilicet efficaciore Mæonides, Il. P. 265.

Βεβρυχε μεγα κυμα ποτι ῥοον, αμφι δε τ' ακραι
Ηϊονες ΒΟΟΩΣΙΝ:

ut idem alibi; ad quem Virgilius, geo. iii. 223. proprium dictionis significatum exhibens, de tauris bellatoribus:

——— *reboant* sylvæque et longus Olympus:

cui superveniat Pacuvius in Medeâ apud Nonium, ii. 80.

Clamore et sonitu colles resonantes bount:

sicut *sonitu sonanti* noster, i. 825. cum veteris colore simplicitatis. Hac igitur de caussâ το *reboant* Lucretianum intelligamus velim dici ad *laquearis* commendationem, quasi summo cum artificio affabre rotundati, adeo ut sonos quosvis impense auctiores reddat. Quid velim, aperiet idem Mantuanus, Æn. i. 725. quem statim dixeris magistrum suum pro more æmulari:

Fit strepitus tectis, *vocem*que per ampla *volutant*
Atria: dependent *lychni laquearibus aureis.*

Ibid. *laqueata aurataque templa:* trabes utique laquearis, auro perfusas, vel imbracteatas: ξυλα χρυσοπαστα vocavit Æschylus, Agam. 785. quam certissimam emendationem non dolemus Schutzio præreptam esse. Vulgo legitur insulsissime, ἐσθλα. Cyprianus, epist. i. sub finem: "Jam tibi *auro distincta laquearia*—sordebunt." Emendetur Musonius, apud Stobæum, ethic. ecl. i. Τι δ' αἱ περιστυλοι αυλαι; τι δ' αἱ ποικιλαι ΧΡΩΣΕΙΣ; τι δ' αἱ ΧΡΥΣΟΡΟΦΟΙ ΣΤΕΓΑΙ; τί δ' αἱ πολυτιλειαι των λιθων; Vulgo, χρησεις. Claudianum, nî fallor, verissimâ divinatione sum donaturus, ad epist. ii. 42.

Aurataque serant culmina celsa *trabes:*

i. e. jungant—distinguant—intertexant; ut *floris serti*, Apuleius, met. x. p. 743. post Lucanum, x. 164.

Accipiunt *sertas* nardo florente *coronas:*

ubi videas Oudendorpium. Vulgo, *ferant;* sed *columnæ*, non *trabes*, laquear *ferre* veteribus dicebantur; quod ex pluri-mis locis tibi facere manifestissimum de proclivi est, sed in transitu sufficiat Horatius, od. ii. 18. 3.

Non *trabes* Hymettiæ
Premunt columnas—.

Videas autem Tibull. iii. 3. 16. Prudent. peristeph. xi. 219. Senec. Thyest. 646. De hac vero permutatione, *fero* et *sero*, vide ad i. 9.
Hinc nemo in controversiam vocaverit alteram Claudiani emendationem, de bell. Get. 223.

*Fulva*que despiciens *auro laquearia* dives—:

quam sero vidi, unam esse ex Heinsii con-

Quom tamen inter se, prostratei in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,

jecturis, multum in hoc versu fluctuantis, pro vulgatâ lectione *fulta*. Similem castigationem Avieno equidem adhibuerim, orb. desc. 378. elegantissimo loco:

> Heic, inter celsas late surgentia nubes,
> Templa *Sinopitæ* Jovis *adstant*, nixa columnis,
> Divite saxorum circum vestita metallo,
> Auro *fulva* gravi, niveo radiantia dente:

i. e. non auro *lita*, sed etiam laminis crassioribus, et *gravibus*, inducta. Et vulgo legitur etiam, *Sinope Jovis adstabant:* mendosissime. Quin etiam Apollinarem Sidonium apponam, epist. ii. 10. quum sit locus venustissimus, et iis, quibuscum versamur, illustrandis summopere idoneus:

> Intus lux micat, atque *bracteatum*
> Sol sic solicitatur ad *lacunar*,
> *Fulvo* ut concolor erret in *metallo*.

Quod ille *bracteatum*, numerus scriptorum *inauratum*, nominat. Juvenalis, xiii. 151.

> ——— minor exstat sacrilegus, qui
> Radat *inaurati* femur Herculis, et faciem ipsam
> Neptuni; qui *bracteolam* de Castore ducat.

Unde virorum doctissimorum incogitantiam satis mirari nequeo, manus importunas Livio injicientium, ad xli. 20. 9.—"Jovis Capitolini magnificum templum, "non *laqueatum auro* tantum, sed parie-"tibus totis laminâ *inauratum*:" i. e. laminis aureis bracteatum. At displicet illud *inauratum:* quasi scilicet laminis *argenti*, vel alîus metalli cujuslibet, non obduci poterat! Arnobius pro consuetudine suâ Lucretium æmulatus est, lib. vi. p. 191. et lucem dabit conjecturæ nostræ *serant*, pro *ferant*, in loco Claudiani:—"*laquearibus* aut *renideant aureis;* splen-"deant hic gemmæ, et sidereos evomant "variâ *interstinctione* fulgores."

Ibid. *templa*. Macrobius, Saturn. vi. 2. utique *tecta:* recte. Propertius, iii. 1. 49.

> Quod non Tænariis *domus* est mihi fulta columnis,
> Nec *camera auratas* inter eburna *trabes*.

BENTLEIUS.

Nihil unquam vidi infelicius, aut tanti viri elegantissimo ingenio indignius. Ita sane egomet olim sponte conjeceram, loco Flacci ductus, od. ii. 16. 11.

> ——— curas *laqueata* circum
> *Tecta* volantis:

sed diu pœnituit, et nihil in Lucretio novandum dicam. Rem scilicet sublimiorem voce magnificâ nobilitare noster voluit; et vulgatam lectionem satis tuetur Lucanus, Cari non immemor, x. 111. quem prior Havercampus occupavit.

> Ipse locus *templi*, quod vix corruptior ætas
> Exstruat, instar erat; *laqueata*que *tecta* ferebant
> Divitias, crassumque *trabes* absconderat *aurum*.

Templum nempe more Lucretiano valet *tegmen*—concavum lacunar; ut noster *cœli cavernas*, iv. 172. et *cœli templa*, i. 1013. ubi nos videndi: conferas etiam ibid. 987. Rursus, iv. 628.

> Humida linguaï circum sudantia *templa:*

i. e. oris cavum et laqueatum tegimen, quod *ουρανος* Græci vocitant. Ibi plura. Hinc in spurcissimo quodam epigrammate, meretrix dicitur *τα ουρανια* libenter pati: quæ nollem in hoc loco planius declarata. Porro, nisi de ædibus hominum magnificentioribus, sicuti de *templis*, liceret loqui, vix probandus esset Naso, quasi vocibus haud discriminatim accuratis uteretur, ad amor. iii. 9. 43.

> *Aurea* sanctorum potuissent *templa deorum*
> Urere—.

Locum Ennii commodissimum, Lucretio non inobservatum, aliquantulum castigatiorem præstabimus, ex Ciceronis Tusc. dispp. iii. 19.

> O! pater, o! patria, o! Priami domus;
> Septum altisono cardine *templum!*
> Vidi ego te, adstante ope barbaricâ,
> *Tecteis* cælateis, *laqueateis*,
> *Auro*, ebore, instructum *regificeis!*
> Hæc omnia vidi inflammari.

Sic legendum pro *regifice*, ad numerorum legem, si modo versus ultimus, quod arbitrer equidem, prioribus sit continuus. Vox *regificeis* utrumque nomen complectitur, *auro* scilicet atque *ebore*. Nam in

Non magnis opibus jocunde corpora curant:
Præsertim, quom tempestas adridet, et anni

dictione *templa* utique, pars, ut videtur, pro toto ponitur. Festus auscultetur, sic edocens: " *Templum* significat *tignum*, " quod in ædificio transversum ponitur." Interea, voces *tectum* et *templum* librariis sæpissime commutantur; de quo errore diximus ad i. 1013. hic autem plura dabimus, quum res sit diligentiæ nec inutilis, neque meo judicio saltem, invenustæ. Hanc adeo medicinam primum faciam Silio, ad Pun. iv. 786.

——— sævamque coruscans
Lampada, *Tarpeiis* infers incendia *templis*.

Vulgo, *tectis*; voce materiem degravante. Iterum, v. 635.

——— vos in *Tarpeia* tonantis
Templa faces, ferrumque, datis.

Codices dant, *tecta*. Idem, viii. 344.

Tarpeiæ rupes, cognataque sanguine nobis
Templa Jovis.

Denique, ad xvii. 629.

Securus sceptri, repetit per cærula Romam,
Et patria invehitur sublimi *templa* triumpho.

Utrobique iterum in libris *tecta* legitur; sed hoc ultimum ex imitatione Virgilianâ est, geo. ii. 148.

Romanos ad *templa* deûm duxere triumphos.

Confer Silium ad vii. 56. x. 433. xvii. 227. Auson. idyll. xi. 42. Stat. silv. iii. 4. 105. et me non aberrare scopo confiteberis. Serenus Samonicus, ver. 7.

Tarpeias arces, atque inclyta *templa*, petisti.

Quidam codices mendose, *tecta*. Ad Statium, silv. iii. 5. ult. rei dignitas receptam lectionem non patitur:

——— sine me tibi ductor aquarum
Tybris, et armiferi sordebunt *templa* Quirini.

Vulgo humilius, *tecta*. Idem bene, paullo supra:

Quid nunc magnificas species, cultusque locorum,
*Templa*que, et innumeris spatia interstincta columnis?

Iterum, ibid. iv. 6. 79. de Annibale:

——— Italicæ perfusum sanguine gentis,
Diraque Romuleis portantem incendia *templis*,
Oderat.

Libri, *tectis*; sed imitari voluit Horatium Papinius, od. iv. 48.

Vastata *Pœnorum* tumultu,
Fana deos habuere rectos:

conferas ibid. i. 37. 6. sic enim gravare solent, et ampliare, rem poëtæ. Cum epigramma, quod est 152. lib. v. Anthol. Lat. Burm. expurgatum dederim, et sane lepidum est, ad Lucretium redibo in viam:

Ædibus in nostris volitans, argenteus anser
Dulcisono strepitu colla *canora* levat.
Ales grata bono duplici; nam fercula mensæ
Conplet, et adservat nocte silente domum.
Solus, Tarpeiâ canibus in rupe quietis,
Eripuit Gallis Romula *templa* vigil.

Libri, *tecta*; sed vide Livium, i. 10. 5. Vulgo etiam, *canore*: male. Virgilium scriptor æmulatus est, ad Æn. vii. 700.

——— longa *canoros*
Dant per *colla* modos:

ut in versu primo sua sumpsit ex Æn. viii. 655.

Ver. 29. *Quom*, *Quum*, vel *Cum*: sic omnes libri, cum Macrobio Gronovii, Sat. vi. 2. nisi quod imprimatur in Vind. *Attamen*; sed, an fideliter ad exemplar scriptum, valde dubito. Alii editores reposuere ex arbitrio, *At*, *Tum*, vel *Quin*: nobis non licet esse tam disertis. Constructio est; " Cum tamen, in gramine " prostrati, non magnis opibus, inter na- " turæ simplicis amœnitates, curant cor- " pora; et doloribus carent, et deliciis " fruuntur:" vel potius, ut verbum substantivum subintelligatur, " Cum pros- " trati *sint*, curant tamen—." Horatius, od. i. 7. 21.

——— Teucer Salamina, patremque,
Cum fugeret, *tamen* uda Lyæo
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ.

—*prostratei*: п. *prostranti*; G. *prostrata*, non male, ut ad *corpora* referatur.

Ibid. *prostratei in gramine molli*. Auctor Culicis, ver. 68.

Sæpe super *tenero prosternit gramine* corpus:

huc certe respiciens.

Ver. 30. *altæ*: V. ed. *alcæ*, ob maxi-

Tempora conspargunt viridanteis floribus herbas:
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,

mam similitudinem literarum *t* et *c*, quam sæpe in his notis alibi tetigimus.

Ibid.

Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ.

In eodem Culice, ver. 389.

Rivum propter aquæ, viridi sub fronde—.

Verus Virgilius, in opere maximo, Æn. vii. 108.

Corpora deponunt *sub ramis arboris altæ.*

Theocritus autem plane divinitus in hanc rem, id. vii. 135.

Πολλαὶ δ', ἉΜΙΝ ὕπερθε κατὰ κρατὸς, δονέοντο
Αἴγειροι, πτελέαι τε· τὸ δ' ἐγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ,
Νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο κατειβόμενον, κελάρυζε:

uti scribendum jubet Eustathius, ad Il. P. p. 1151. Cæterum, ῥῆσιν commodule prolixam ex Euripidis Medeâ, ver. 190—204. nec prorsus intempestivam tamen, admovit Bentleius; quam nihilo minus, brevitatis in his levioribus studiosior, apud ipsum tragicum lectori legendam linquo. Hunc autem locum in oculis habuit Boëtius, lib. ii. met. 5.

Somnos dabat *herba* salubres,
Potum quoque lubricus *amnis*,
Umbras *altissima pinus*.

Ver. 31. *corpora curant.* Virgilius, geo. iv. 187.

—— tum tecta petunt, tum *corpora curant.*

Epicuri autem ipsius modestiam in victu, atque temperantiam, sic suaviter et honorifice prædicavit Juvenalis, xiii. 122.

———————— non Epicurum
Suspicit, exigui lætum plantaribus horti:

et mox, xiv. 319. non minus lauto cum præconio, versibus nectare quovis dulcioribus, nec auro contra caris; quos memori pectore figendos juveni cuivis, hæc legenti, etiam atque etiam commendamus:

———————— mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, et frigora poscunt;
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis;
Quantum Socratici ceperunt ante penates.

Ver. 32. *anni:* Δ. *aura:* et sane vix poëtam vel unum mihi protuleris, in hac materie versatum, qui non *auræ*, vel *Zephyri*, flores evocantis, mentionem faciat: confer ipsum Carum ad v. 736—740. Latet aliquid, nî fallor. Si codices addicerent, receptis anteponerem equidem, quæ sequuntur:

Præsertim, quom tempestas adridet, et *auræ*
Tempore conspargunt viridanteis floribus herbas:

i. e. suo tempore—anni statuto tempore; auræ *vernæ* scilicet: et forte an illud *anni* ex hujuscemodi glossâ quâdam in contextum venerit. Catullus, lxiii. 281.

———— quos, propter fluminis undas,
Aura parit *flores* tepidi fecunda Favonii.

Ibid. *tempestas:* i. e. dies veris; ὥρη, Hom. Il. B. 468. Pacuvius apud Nonium, voce *tueor:*

Quam te post *multis* tueor *tempestatibus:*

phrasim scilicet pervulgatissimam, πολλαῖς ἐν ἩΜΕΡΑΙΣ, Græcorum tragicorum transferens. Neque aliter Tullius Homerum reddidit, de div. i. 25.

Tertia te Phthiæ *tempestas* læta locabit:

ad Il. I. 363.

Εἰ δέ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος,
ἩΜΑΤΙ κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Ubi animadvertat lector, velim, illud epitheton de *deo* usurpatum, κλυτὸν dico; hinc enim noster de *Venere*, i. 41.

—— petens placidam Romanis, *incluta*, pacem.

Ibid. *tempestas adridet.* Similiter pastor Mantuanus, ecl. vii. 55.

Omnia nunc *rident*—.

Ver. 33. *conspargunt:* Π. *cum spargunt.*—*viridanteis:* Ω. *viridantibus:* eleganter hercle, et fortassis vere; ut intelligatur vocabulum de quovis hilari colore, venustoque. Sic Claudianus de *Iride*, rapt. Pros. ii. 100.

———————— cum tramite flexo
Semita discretis *interviret* humida nimbis:

quæ haud vulgari Musarum lepore contacta esse vere affirmaverim. Hinc autem

Textilibus si in picturis, ostroque rubenti,
Jacteris, quam si plebeiâ in veste cubandum est.
Quapropter, quoniam nihil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, nec gloria regni;

fortasse versus 87. in Culice probe corrigetur:

> Ille colit lucos; illi Panchaïa tura,
> *Floribus* agrestes herbæ *viridantibus*, adsunt.

Vulgo, *variantibus*. Et Lucretii memorem fuisse Maronem credam, ad ecl. ix. 19. dum divinos versus istos expoliret:

> Quis caneret Nymphas? quis humum *florentibus herbis*
> *Spargeret*, aut *viridi* fontis induceret umbrâ?

Ver. 34. *calidæ decedunt corpore febres.* Hæc imitatus est Horatius, epist. i. 2. 34. uti Lambinus etiam observavit:

> Non domus, aut fundus, non æris acervus, et auri,
> Ægroto domini deduxit *corpore febris*;
> Non animo curas.

Ibid. *decedunt corpore.* Hinc Sallustius, Jug. xli. 3.—"*illa formido* mentibus *decessit*:" sic legendum; non *discessit*, cum Cortio, qui diversas verborum rationes ne minimâ quidem ex parte tenuit: redeas, si placeat, ad ea, quæ diximus in i. 681. Neque aliter extra omnem controversiam ibid. xx. 1.—"legati Africâ *decessere*:" nisi velis et Africam et legatos pariter abiisse; hanc unâ viâ, eos aliâ. Sic edoctus, lector proprio acumine per locos veterum innumerabiles rem certo prosequi cum successu quiverit: nobis ad alia transeundum est, cum affirmaverimus, non mentituros esse, si dicamus mille saltem locos in morbo cubare, non aliûs medicinæ indigentes. Interea, accurate officio functus est glossator vetus: "*Decessus*, αποχωρησις. *Discessus*, χωρισμος."

Ver. 35. *Textilibus picturis.* Hæc vestimenta Mantuanus, nostro intentus, uberius executus est, ad Æn. iii. 483.

> Fert, *picturatas* auri subtemine, *vestis*;—
> *Textilibus*que onerat *donis*—:

de quibus tamen, quæ sufficiant, effudimus ad Euripidis Ion. 192. ubi vocantur καλλιφαρα φωτα· quam locutionem nos primi perspicue declaravimus, et aperuimus locum crassâ caligine demersum. Græcæ locutionis audaciam felicem Manilius æmulari non expalluit, et res ei processit optime. Versus nitidissimi, quos cum voluptate lector cernet, dictis fidem dabunt, v. 258.

> Ille colet, nitidis gemmantem floribus, hortum,
> Pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
> Liliaque, et *Tyrias* imitata papavera *luces*.

Heu! Bentlei, criticorum sagacissime! communis humanitatis leges, et membrorum terrenorum tarditatem, quam graviter expertus es, qui *Tyrios fucos* hic iveris repositum! Sed *quisque suos patimur manes* scilicet, et ἁπαντες πταιομεν.

Ibid. *ostro rubenti:* Paullo aliter Virgilius, Æn. xii. 67. *sanguineo ostro.*

Ver. 36. *Jacteris:* G. *Jactaris;* V. ed. *Lacteris.*—*si* abest V. ed. *plebeiâ in:* sic voces transpositas exhibent L. M. Δ. vulgo, *in plebeiâ.*

Ibid. *Jacteris.* Vocabuli singularis usu vividis pinxit in coloribus imaginem hominis se undequaque vi doloris, aut ægritudinis, volutantis. Nescio, an Homerum animo præsentem, Il. Ω. 5. habuerit:

> ———————— ουδε μιν ὑπνος
> Ἡρει πανδαματωρ, αλλ' εστρεφετ' ενθα και ενθα,
> Αλλοτ' επι πλευρας κατακειμενος, αλλοτε δ' αυτε
> Ὑπτιος, αλλοτε δε πρηνης· τοτε δ' ορθος—.

Quam varietatem! quâ εναργειᾳ! Juvenalis, xiii. 218.

> Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
> Et, *toto versata toro*, jam *membra* quiescunt.

Pulchro Catullus etiam, l. 12. ægritudinem animi calamo descripsit, Juvenale non inobservatus:

> Ut nec me miserum cibus juvaret,
> Nec somnus tegeret quiete ocellos;
> Sed *toto*, indomitus furore, *lecto*
> *Versarer*, cupiens videre lucem.

Quod super est, animo quoque nihil prodesse putandum:
Si non, forte tuas legiones per loca campi
Fervere quom videas, belli simulacra cienteis;
Fervere quom videas classem, lateque vagari;

Lucretium imitari videtur Propertius, i. 14. 21.

> Et miserum *toto* juvenem *versare cubili*,
> Quid relevant *variis* serica *textilibus*?

i. e. *φαρεσι πεποικιλμενοις*, vestibus acu picturatis, *textilibus* denique *picturis*; adeo ut Heinsii conjectura, ingeniosissima licet, *Phariis*, pro *variis* scilicet, ad illum locum nullo pacto debeat admitti. Et neminem latet, *lineis* vestimentis, non item *versicoloribus*, Ægyptum celebrari. Denique, Dictyn Cretensem, iii. 3. rectius interpunctum præstabimus: "Dein, "*animi jactatione*, saucius, huc illuc *ober-"rans*:" pulchre. Constructio est: "Dein "saucius, oberrans huc illuc *præ* animi "jactatione:" quæ videtur editores latuisse. Adeas etiam Valer. Flacc. vii. 21.

Ibid. *cubandum*. Bene; nam usurpatur vox de *ægrotis* potissimum decumbentibus. Tullius, Tusc. dispp. ii. 24. "Ita-"que narrabat, eum graviter et copiose "de hoc ipso—*cubantem* disputavisse:" modo autem dixerat, "eum *graviter* esse "*ægrum*." Sic Horatium capiunt Ascensius et scholiastes Cruquianus, ad sat. i. 9. 18.

> Trans Tiberim longe *cubat* is, prope Cæsaris hortos.

Ver. 37. *gazæ*. Dubitari non potest, Horatio totum hunc locum in oculis fuisse, ad od. ii. 16. 9. in versibus impense suavibus et delicatis:

> Non enim *gazæ*, neque consularis
> Submovet lictor miseros tumultus
> Mentis, et *Curas*, *laqueata* circum
> *Tecta* volantis.

Ver. 38. *neque*: L. M. *nec*.—*nec*: L. M. A. *neque*. Vide Arntzenium ad Aurel. Vict. p. 145.

Ibid. *gloria regni*. Ita S. Matthæus, iv. 8.—*δεικνυσιν αυτῳ πασας τας* ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ *τε κοσμου, και την* ΔΟΞΑΝ *αυτων*.

Ver. 39. *super est*: Π. Σ. *superes*; et subjungit literas Π. *as*, quasi sic lectum versum voluisset:

> Quod *super*, *has* animo quoque—.

Porro, ad finem versûs, Ω. habet *est*.

Ver. 40. *per*: V. ed. *puer*: et ita sæpius ille liber insanit.

Ver. 41. *belli simulacra cienteis*. Huc oculos Virgilius intendebat, ad Æn. v. 585:

> ——*pugnæ*que *cient simulacra* sub armis:

et ibidem, ver. 674.

> Quâ ludo indutus *belli simulacra ciebat*.

Rem eandem vates summus attingit etiam ad Æn. xi. 660.

> Quales *Threïcii* quum flumina Thermodontis
> Pulsant, et *fictis bellantur* Amazones *armis*:

uti nos ex ingenio verissime locum restituimus, ad Silv. Crit. iii. p. 94.
Porro, in quibusdam codicibus, et editione Veronensi, hunc versum sequuntur duo, varie lecti, qui ex margine contextum invasere; sed in duabus ex nostris membranis diverso atramento, et grandioribus literis, *nobuas* satis indicantibus, leguntur exarati. Sic fere constitutos Pius in ordinem admisit:

> Subsidiis magnis Epicuri constabilitas,
> Ornatas armis statuas, stanteisque animatas.

Varietates autem lectionis morosius recensere, et otio proprio et lectorum esset molestissime abutentis.

Ver. 42. *classem*. Festus: "*Classis* "veteribus *exercitus*." Servius, *equites*. Ego hic loci retineo significationem communem. Horatius:

> Scandit æratas vitiosa *naves*
> Cura, nec *turmas equitum* relinquit.
>
> Bentleius.

Cæterum, hic versus de Nonii testimonio, voce *fervit*, qui ibi protulit ex Lucretii secundo libro, in contextum edito-

Hiis tibi cum rebus, timefactæ, Religiones
Ecfugiunt animo pavidæ, mortisque timores;
Tum vacuum tempus linquunt, curâque solutum:

ribus dudum importatus est: et sane, meâ saltem opinione, commodissimam stationem tenet; vix enim de *naumachiæ* simulacris, quibus Romani tantopere delectabantur, poëta siluisset: videas de hac re versus Ausonianos quosdam, ad Mosell. 217. Suetonium, i. 44. 2. et sæpe alibi; nam res est notissima, nec pluribus tractari cupit. Sed enim Ausonii locum, et depravatum, et intellectum nemini mortalium, emendare libet, cum bonâ lectoris veniâ, atque explicare:

Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboïcæ referunt per Averna sonantia cymbæ;
Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantes
Naumachiæ: Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi *reparet* sub *margine* pontus:

i. e. "quales, si res tulerit, iterum re-"ferret pontus sub oras ripæ viridis, li-"tori scilicet proxime; ea utique belli si-"mulacra, quæ Augustus, (vide Sueton. "ii. 16. 2.) bello Pompeiano præludens, "ibi quondam exhibuerit." Vulgo legitur, *reparat* et *imagine*.

Suspicionem interea, quam de Lucretiano versu sibi insidentem lector aliquis fortassis habeat, allevare possit imitatio Virgiliana; nam ex hoc ipso versu non injuriâ dicam summum vatem profecisse, ad Æn. viii. 677.

In medio *classis* æratas, Actia bella,
Cernere erat; *totum*que instructo Marte *videres*
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Ibi sic corrigendus est Servii commentarius in voces ultimas: "Non quod hic "ex auro fluctus esse dicat, quos supra "(ver. 672.) canos dixit; sed quod, *quom* "mare ex auro expressum sit, fluctus "*super* aurum effulgeant." Vide Sil. It. iii. 695.

Denique, *fervere* potest *celeriter moveri*; ex secundario sensu, quod *celeres motus* soleant *fervorem* excitare. Horatius, od. i. 1. 4.

——— metaque *fervidis*
Evitata rotis—.

Mamertinus, geneth. Maxim. sect. 10.— "aræ incendi, tura poni, vina libari, "victimæ cædi, cuncta gaudio *calere*, "cuncta plausibus tripudiare—." Pro *calere*, Schwarzius proponit *salire*: quod nollem factum: non poterat enim infelicius. Nempe ita passim Græci; et exempla infinita tibi possem suscitare: sed sufficiant, quæ Brunckius dederit ad Æsch. Pers. 39. Eumenius, gratt. act. Const. Aug. sect. 14. "Præsertim, cum tu—ad-"veneris,—*flagrabit* tota civitas *gaudiis*; "perstrepet, et, cum proficisceris, fortasse "retinebit." Ita locus interpungi debet. Virgilius, Æn. iv. 407.

"——— opere omnis semita *fervet*:

"pedibus nempe frequentibus discursi-"tantium formicarum, semitam terenti-"bus, et calefacientibus." Aliter rei venustatem non tenebis. Hinc perspicue constat, quomodo Catullus est accipiendus in carm. lxiii. 65. Galliambo:

Mihi januæ frequentes, mihi limina *tepida*:

attritu scilicet numerosorum pedum. Hinc etiam Persium, sat. i. 109. pulchre queas interpretari; ubi nihil sani Casaubonus magnus protulit:

——— vide sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant:

calceamentis tuis non usurpata.

Ver. 43. *cum*: sic P. Vind. V. ed. Δ. Π. Ω. et mihi placet, ut elegantius et exquisitius vulgato *tum*.—*timefactæ*: V. ed. O. *tumefactæ*; P. *tumefacto*; nec male, nec sine venustate, meo judicio: Π. *tamen effecte*; unde haud inepte tentes ad hunc modum:

Hiis tibi cum rebus *tum exactæ* religiones:

nam breviter scriptum est illud *tamen*, hoc pacto, *tñ*, pro more.

Porro, his illustrandis tempestivam operam navabunt luculentissimi Varronis versus, qui comparent apud Nonium, voce

Quod, si ridicula hæc, ludibriaque, esse videmus;
Re verâque Metus hominum, Curæque sequaces,
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela;

religio, iv. 387. Lucretianis quam simillimi, et aliis editoribus admoti:

> Non fit *thesauris*, non auro, *pectus solutum*;
> Non demunt animis curas ac *religiones*
> Persarum montes, non *divitiis atria Crœsi*.

Sic, opinor, reformandi sunt; hanc enim societatem nominum adamant in hac re poëtæ, ut nos ostendimus ad Eurip. Herc. fur. 647. Statius, silv. i. 3. 105.

> Digne Midæ, *et Crœsi*, *Pelopisque*, et *Perside* gazâ.

Mihi sedet ita eo loco castigandum esse; videas Marklandum. Vulgo, " Midæ " Crœsi*que bonis:*" sed *et*, scriptum ē, fácile elaberetur ob finalem literam præeuntis vocis; atque de aberrationibus librariorum in nominibus propriis jam disputavimus ad i. 724.

Ver. 44. *Ecfugiunt:* P. V. ed. *Effugiant.*—*timores:* Π. *timore.*

Ibid. Distinctione locus levandus est:

> Effugiunt animo pavidæ; mortisque timores
> Tum vacuum pectus linquunt.
>
> BENTLEIUS.

Nobis quoque idem olim se suggesserat; vide Silv. Crit. ii. p. 38. sed, quamvis emendationis ibi propositæ non pœniteat, tritam interpunctionis viam ineundam esse jam tandem arbitramur. Debet interea nemo doctior ad voces conjunctas, *timefactæ* et *pavidæ*, offendere; nam, ut omittam repetitis vicibus admonere, non hactenus Lucretium se fastidiosissimum præstare, apud alios auctores vel politioris seculi similia leguntur. Sed minime omnium culpari debet τɛ *pavidus* vocabulis *metus*, *timor*, *terror*, *formido*, et aliis cognato sensu, consociatio, si verum dictionis etymon nos deprompserimus in ver. 376. hujusce libri; ad quem te promoveas. Plautus, Curc. v. 2. 49.

> *Timidam* atque *pavidam*; nec vivam, nec mortuam.

Noster Carus, iii. 142.

> Heic exsultat enim *pavor* ac *metus*.

Iliados epitome, incerti auctoris, ver. 717.

> Ille, *timore pavens*, Vitam concedite, dixit:

i. e. *palpitans* timore. Virgilius, Æn. ii. 685.

> Nos *pavidi* trepidare *metu*—:

i. e. " nos, *metu palpitantes*, *festinare*, et " operâ celeri subvenire." Ita locus iste capiendus est: vide me ad iii. 597. sed de his satis.

Ver. 45. *Tum:* Π. *Cum*. Pro *tempus*, editi nonnulli *pectus* exhibent, nullis idoneis auctoribus subnixi tamen. Terentius, Heaut. i. 1. 38.

> Sine me, *vacivom tempus* ne quod dem mihi Laboris.

Ver. 48. *armorum* deest V. ed. quæ in ver. 46. habet *ludibra*; et ver. 47. *revera quæ.*—*fera:* Π. *ferrea:* et fortasse vere, si ad hanc normam leviter concinnes versum:

> Nec metuunt *sonitum* armorum, nec *ferrea* tela:

vel sic, paullo aliter:

> Nec metuunt sonitus armorum, *et ferrea* tela.

Utrum libet anteponam equidem vulgatis ob majorem sensûs, hinc exorti, perfectionem; tam *fragorem* armorum invicem impulsorum, quam *claritatem* formidabilem, (vide mox, ad ver. 50.) complectentis scilicet: neque dissenserint, opinor, lectores lepidi. Per se tamen non displicere debuisset τɛ *fera tela*; similiter enim Maro, Æn. xi. 545.

> ——— *tela* undique *sæva* premebant.

Addas Ovidium, epist. xiv. 56.

> Non faciunt molles ad *fera tela* manus.

Sed hic loci non habet epitheton, de quo agitur, eam opportunitatem, quam in scito poëtâ judex nasutior desideret. Contra, vulgatis favet mox veniens ver. 102. " et " *fera ferri* Corpora."

Ibid. *sonitus armorum*. Virgilius, ut ita sæpius de *armis*, sic ad geo. i. 475.

Audacterque inter reges rerumque potenteis
Vorsantur,* neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omnis sit hæc rationis potestas?
Omnis quom in tenebris præsertim vita laboret.
Nam, velutei puerei trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam

> *Armorum sonitum* toto Germania cœlo
> Audiit.

Sed in hoc loco, tam ob occasionis sublimitatem, quam ob ætheriam regionem, unde fragor venerit, mihi ad liquidum res perducta est reponi debere:

> Armorum *tonitrum* toto Germania *cœlo*
> Audiit.

Silius autem, comes individuus Mantuani, divinationis meæ locupletissimus suffragator adsit, Pun. xiii. 9.

> ———— concussa est Daunia tellus
> *Armorum tonitru.*

Vide me supra, ad i. 918. et ad Æn. viii. 474. editionis meæ, cum Æn. viii. 529. ix. 709. xii. 700. Statius, Theb. iii. 423.

> Tænariumque cacumen, Apollineasque Therapnas,
> *Armorum tonitru* ferit.

Et *ferit*, ob pulsus aëris propagatos utique; sicut millies Lucretius, et omnes alii similiter: unde mireris Barthium vocabulum solicitantem, quo nullum est sincerius, aut elegantius. Recordari me res Æschyli facit, sept. Theb. 123. ita certo certius rescribendi:

> Αργειοι γαρ πολισμα Καδμου
> Κυκλουνται· ΨΟΦΟΣ δ' αρηΐων όπλων·
> Διαδεται δε γενυων ίππειων
> Κινυρονται ΦΟΒΟΝ χαλινοι.

Libri in secundo versu *φοβος* habent; frigidissime: et miseret me editorum, qui concoquere potuerunt. Homerum nempe tragicus æmulatus est, Il. i. 569.

> Των δε ταχ' αμφι πυλας όμαδος και ΔΟΥΠΟΣ
> ορωρει,
> Πυργων βαλλομενων.

Alteram rursus emendationem ipse stabilit Æschylus ibidem inferius, ver. 392.

> Χαλκηλατοι ΚΛΑΖΟΥΣΙ κωδωνες ΦΟΒΟΝ:

cum Euripide in Rheso, ver. 308. de Gorgone:

> Πολλαισι συν κωδωσιν ΕΚΤΥΠΕΙ ΦΟΒΟΝ.

Ver. 49. *rerum:* Π. et Pii quidam codices, *regum:* ut simile sit istis Flacci, epist. i. 10. 33.

> ———— licet sub paupere tecto
> *Reges*, et *regum* vitâ præcurrere *amicos*.

Sed vulgatæ lectioni nos tenaciter adhæremus.

Ver. 50. *fulgorem reverentur.* Audacter, sed feliciter, de solo *fulgore* oculos perstringente, atque animo terrorem incutiente. Horatius se non minus feliciter audacem gessit, od. ii. 1. 20. de ferri splendore:

> Jam *fulgur armorum* fugacis
> *Terret* equos, equitumque *vultus*.

Hinc Arnobius, lib. vi. p. 208. pereleganter, ac nervosissime:—" ut adesse vis quæ- " dam in *fulgoribus* crederetur, quæ non " *oculorum* tantum *perstringeret sensum*, " verum etiam *mentes* ipsas augustissimæ " lucis *radiationibus territaret*." Et paginâ sequente, nostrum respiciens:—" ip- " sosque illos deos—cum ipsis suis *aureis*, " *metuendisque, fulgoribus*." Haud aliter Pausanias, cum quodam spiritu poëtico, iv. 21. 'Ο Θεος—τους οφθαλμους αυτων

Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque, necesse est,
Non radiei solis, neque lucida tela diei,
Discutiant; sed Naturæ species, Ratioque.
Nunc age, quo motu genitalia materiaï
Corpora res varias gignant, genitasque resolvant;
Et, quâ vi facere id cogantur, quæque sit ollis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,

ἐναντίαις ταῖς ἀστραπαῖς ἐξέπληττε: cui similis est Philostratus, icon. ii. 15.—ἐμπίπλησθαι μοι δοκεῖ καὶ τὸ τοῦ Λυγκέως ὄμμα. Fabius etiam, instt. viii. 3. "Nam "et *ferrum* affert *oculis terroris* aliquid." Hinc, quid sibi velit sublimior quidam Prudentii conatus, pergas discere, psych. 297.

Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum sese ostentat, *clypeo* dum *territat auras:*

i. e. dum σκιομαχεῖ cum aëre, et fulgore clypei coruscantis territat. Ausus est nempe Virgilium æmulari, ad Æn. xi. 351. id, quod Silius prior fecerat, Pun. iv. 278. Ipsos locos velim consulas.

Ver. 51. *vestis splendorem purpureaï:* ἐσθῆτα λαμπρὰν vocat S. Lucas, xxiii. 11. in quem locum, ad Silv. Crit. sect. xciii. de *purpuræ claritate* nos olim ampliavimus, Lucretium non obliti. Sufficiat Ausonium addidisse, idyll. viii. 5.

Et *toga purpurei* rutilans prætexta senati:

nisi quod nefas foret hujusce leporis fontem præterire, de tali vestimento magnifice canentem, ad Il. Z. 295.

Ὃς καλλιστος ἐην ποικιλμασιν, ἠδε μεγιστος·
ΑΣΤΗΡ δ' ὡς ΑΠΕΛΑΜΠΕΝ.

Ver. 52. *quin:* V. ed. *quando.—omnis:* P. *omne.—hæc:* P. *hoc.—potestas:* P. Δ. *egestas.* Has autem varietates non aliunde prognatas credam, quam indignis librarii cujusdam offensionibus de syllabæ *is*, duplici saltem in eodem versu, elisione; quasi vero non idem jam factitaverit Ennius cum aliis antiquioribus. Exemplo sit versiculorum prior, quos ad i. 1. Bentleius attulit. Hoc insuper poëta dicit: "Quid dubitas, quin hæc potestas, per "quam Religiones, Metus, Curæque, "summoveri et terreri debeant, sit omnino "solius potestas Rationis?"

Ver. 53. *in tenebris laboret:* i. e. "cum "ærumnis et laboribus conflictetur, dum "viam tenebricosam conatur eluctari." Porro, vice *laboret*, Ω. *roboret:* et, in versu sequente, *pueri* deest Π.

Ver. 55. *cæcis tenebris.* Haud dissimiliter etiam locutus est Mantuanus ille, ad Æneïd. iii. 203.

Tris adeo, incertos *cæcâ caligine*, soles
Erramus pelago—.

Ibi sic capias structuram: "Soles, incer-"tos ob caliginem:" ubi, et quo tempore nimirum, orti sint et occiderint; ut pendeat *caligine* ab *incertos:* quam ne perdas elegantiam, punctis probe positis cavendum duxi. Adsit etiam Silius, Pun. vi. 150.

Intus dira domus, curvoque immanis in antro
Sub terrâ specus, et tristes *sine luce tenebræ.*

Sed locus in morbo cubat, nostrâ medicinâ persanandus. Legendum dico:

——— et tristes sine luce *latebræ:*

ex Virgilii sui scilicet pro solito imitatione, ad Æn. vi. 534.

Ut *tristis sine sole domos*, loca turbida, adires.

De confusis autem dictionibus *tenebræ* ac *latebræ*, Burmannum adeas, si libeat vacetque, ad Anthol. Lat. i. 89. 12.

Ver. 57. *fingunt:* Δ. *fugiunt;* infeliciter. Et tres versus proxime sequentes

Expediam: tu te dictis præbere memento.
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies; quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris;
Quom tamen incolomis videatur summa manere;
Propterea, quia, quæ decedunt corpora quoique,
Unde abeunt, minuunt; quo venere, augmine donant:
Illa senescere, at hæc contra florescere, cogunt.

jam habuimus, ad i. 147. In primo, vox *animi* Π. codici omittitur.

Ver. 63. *quæque:* P. Δ. Σ. *quæve;* male: vide i. 52.—*sit ollis:* Π. Σ. *si tollis;* literis, uti fit, male discretis.

Ver. 65. Pene mutaturus eram ex arbitrio verborum ordinem; nec, uti non verear affirmare, nasuti lectores mihi id vitio vertissent, hoc pacto:

Expediam *dictis; tu te* præbere memento.

Haud aliter enim locutus est in i. 500.

—— ades, paucis dum *versibus expediamus:*

et v. 114. prorsus ad eundem modum:

Multa tibi *expediam* doctis solatia *dictis.*

Nec variare voluit discipulus, ad Æn. vi. 759.

Expediam dictis; et te tua fata docebo.

Sed nobis ab initio solidissime statutum est, libidini emendationis prurienti ad vanam ingenioli ostentationem ne semel quidem inutiliter indulgere.

Ver. 68. *Et:* Ω. *E.*—*quasi cernimus:* V. ed. *qua terminus:* et in ver. 66. pro *inter*, Π. *iter.*

Ibid. fluere: i. e. liquescere—tabescere—dissolvi; ut in ver. antepenult. hujusce libri. Ita Prudentius, de corpore Lazari putrescente, apoth. 763.

Quis potuit *fluidis* animam suffundere *membris?*
Nimirum, qui membra dedit; qui fictilis *urnæ*
Perflavit venam madidam; cu tabida gleba
Traxit sanguineos *injecto* humore *calores.*

Sic expurgandus est corruptelis maculatus locus. To *urnæ*, (conferas verr. 920. 1025) i. e. vasis, vel humani corporis, eleganti ingenio Latinii debetur. Vulgo, *ulvæ—infecto—colores.* Et insuper cum elegantiâ, quâ solet, Statius, Theb. xii. 455.

———— furtum claro plangore fatentur,
Securæ; quippe omne vident *fluxisse* cadaver.

Ita Maro, Æn. ii. 169. "*fluere* spes Danaûm."

Ver. 69. Hunc versum, et ver. 76. mox venientem, suspectos videtur habuisse Bentleius. Mihi sane, ut exegetici, perquam elegantes sunt; sed unusquisque suo judicio fruatur. Saltem isti *volvas* suspicioni nullus codex favet.

Ver. 70. *incolomis.* Hanc antiquiorem orthographiam bene nobis exhibent Pii editio atque Veronensis, quas sequendas habui.

Ver. 71. *decedunt:* Π. *decidunt:* et, pro *quoique*, vel *cuique*, nonnulli editores imperiose reponunt *cumque;* hoc ausi scilicet, quod similis jam venerit locutio ad ver. 21. Quasi vero poëtæ non liceret carmen suum gratâ sermonis varietate subinde conspersum dare!

Ver. 72. *augmine:* P. *augmina;* G. Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *agmine:* neque hanc vocem non esse genuinam Lucretii scripturam temere affirmaverim. Arnobius, lib. vii. p. 230. "Non magmenta, "non *augmina*, non mille species vel farciminum, vel fritillarum—:" ubi sane liber unus habet *augmenta;* atque, ut verum fatear, Latinitas ipsa dictionis *augmine* mihi suspecta est, neque extra

Nec remorantur ibei: sic rerum summa novatur
Semper, et inter se mortales mutua vivunt:
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur;
Inque brevi spatio mutantur secla animantum,
Et, quasi cursores, vitaï lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse,
Cessandoque novos rerum progignere motus;
Avius a verâ longe ratione vagaris.
Nam, quoniam per inane vagantur, cuncta necesse est

Lucretium et Arnobium quivi reperire: videas tamen, quæ attulimus ad i. 435.

Ver. 73. *Illa senescere, hæc florescere.* Pulchre etiam Velleius Paterculus, ii. 11. 3.—"ut appareat, quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gentium, nunc "*florere* fortunam, nunc *senescere*, nunc "interire:" per translationem scilicet ex *plantis*, vel *arboribus*; quas Plinius sæpissime dicit *senescere*.

Ver. 74. *ibei:* Π. *ubi.*—*novatur:* Π. *novamus;* L. *novantur:* non probo.

Ibid. *rerum summa.* Virgilius, Æn. x. 70.

Num puero *summam belli*, num credere muros?

Ver. 75. *mutua:* i. e. per vices—per successiones—*αμοιβαιως*—*εναλλαξ:* versum Homereum uno vocabulo quasi coaggeratum volens exhibere, in Il. Z. 149. prostantem:

Ὡς ανδρων γενεη, ἡ μεν φυει, ἡ δ' απολήγει.

Adsit etiam Virgilius, Æn. vii. 66.

——————pedibus per *mutua* nexis.

Porro, pro *et inter se*, Π. *item sese:* unde nihil exsculpimus.

Ver. 77. *secla animantum.* Arnobius, lib. vii. p. 230.—"quâ dejicere cibos, et "referre, natura est *ruminatoribus secu-* "*lis.*"

Ver. 78. *tradunt:* V. ed. *traduntur.*—De hac autem λαμπαδηφορια Atheniensium, quam præstringit poëta, consulas Pausan. in Att. 33. Herod. Uran. 98. Potterum ad Lycoph. 734. Plat. de repub. i. init. Arrian. exped. Alex. iii. 16. et alios bene multos: videas etiam Pers. sat. vi. 61. et vet. schol. ibidem. Hinc interea patebit, hujusce λαμπαδηδρομιας varia genera exstitisse, neque auctores inter se prorsus consentire. Quæ narrat Persii scholiastes, et vetus commentator, Havercampo memoratus, Lucretii mentem videntur proxime attingere: hic igitur exscribetur. "Pulcra translatio. Cursores "nocturno tempore sibi invicem lumen, "cornu inclusum, tradunt. Mos est, "cum prope diversorium venere cursores, "signum facere, ut socii præsto parati "sint; qui laternam *accipiunt*, et iter arripiunt. Sic traditur per manus vita "animantum." Lege, *excipiunt.*

Ver. 79. *Si cessare.* Lege: "*Sin cessare.*"

BENTLEIUS.

Bene sane; et amplexus essem, libro vel uno MS. addicente; aliter non omnino res cogit, aut argumenti poëtice administrati parum morosæ rationes, ut ita locutionum norma ad regulas scrupulosiores necessario exigatur.

Ver. 81. *Avius longe vagaris.* Maro, Æn. xii. 480.

Nec conferre manum patitur: *volat avia longe.*

Ver. 83. *gravitate suâ ferri.* Plutarchus, de plac. phil. 1. 3. Δημοκριτος μεν γαρ ελεγε δυο (τοις σωμασι συμβεβηκεναι), μεγεθος τε και σχημα· ὁ δ' Επικουρος τουτοις και τριτον, το ΒΑΡΟΣ, επεθηκεν· Αναγκη γαρ, φησι, κινεισθαι τα σωματα τῃ του βαρους πληγῃ· επει ου κινηθησεται. Ubi vitiosum

Aut gravitate suâ ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius: nam, concita, sæpe,
Obvia quom flixere, fit, ut divorsa repente
Dissiliant: neque enim mirum, durissima quæ sint,
Ponderibus solidis, neque quidquam a tergo ibus obstet.
Et, quo jactari magis omnia materiaï

est illud *πληγῃ*. Forte an, *τῃ τȣ βαρȣς* 'ΟΛΚΗ.—Pro *ferri*, Ω. *fieri*.

Ver. 84. *forte:* codd. Pii, *auferri.*—*concita sæpe:* sic Ω. sed G. L. M. *cita sæpe:* ast illud *con*, breviter exaratum, quin facile elabi posset, nemo dubitet; quidam Pii codd. *percita sæpe;* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *cita superne:* sed ex Epicuri doctrinâ vix videtur *το superne* suam proprietatem retinere: nam in "infinito inani" (Ciceronis verbis utor, doctrinam Democriteam, quam Epicurus amplexus est, exponentis, ad finn. bon. et mal. i. 6.) "nihil nec *summum*, nec "infimum, nec medium, nec ultimum, "nec extremum." Noster mox, ver. 239.

Omnia quapropter debent per inane quietum
Æque ponderibus non æquis *concita ferri:*

ac similiter, iv. 189.

——————— sequenti *concita plagâ.*

Et ordo est: "Nam, concita, (i. e. quo-"niam commoventur) quum flixere, i. e. "(post collisionem) fit sæpe—:" ne fortassis *το sæpe* perperam referas ad *concita*.

Ibid. Quid si legas?

Aut ictu *forti* alterius—.

BENTLEIUS.

Ingeniose, ut semper. Sic *validâ plagâ*, iii. 819. et *validi ictus*, Virg. Æn. viii. 419. nihil tamen in Lucretio mutandum arbitramur.

Ver. 85. *quom flixere:* P. *cum fluxere;* Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *confluxere;* G. *conflexere;* L. M. *conflixere*. Ut vix possibile sit in his varietatibus expendendis, et lectione loci concinnandâ, longissime a veritate aberrare; ita non in proclivi est ipsissimam Lucretii scripturam extra omnem controversiam dispicere. Omnium viarum, quas ingredi possumus, hæc tutissima forte fuerit denique, atque commodissima:

Aut ictu forte alterius: nam, *quom* cita, sæpe
Obvia *conflixere*, fit—.

Quemadmodum noster, i. 996.

Ex infinito *cita* corpora materiaï.

—*fit ut:* V. ed. Σ. *ut uti;* L. *fit uti;* O. *ita uti;* Δ. *velut.*—*divorsa:* Π. *divisa*.

Ibid. *flixere*. Sic Livius, Ægistho, apud Nonium, ii. 328. voce *Fligi:*

Ipsus se in terram saucius *fligit* cadens.

Ita forte rescribendum: libri, *Ipse:* et Accius ibidem, ad hunc modum rectius distinguendus:

Nec perdolescit *fligi* socios, morte campos contegi.

Vocabuli hujusce vetustioris substantivum Virgilius non reformidavit adoptare, ad Æn. ix. 667.

Sternitur omne solum telis; tum scuta, cavæque
Dant sonitum *flictu* galeæ:

ubi videas Servium; nam Pacuvii phrasim, quam profert, grammaticus, in usus proprios Silius arripuit, Pun. xiv. 558.

Remorumque fragor, *flictu*que sonantia rostra;

Virgilium secutus in præcedentibus, Pun. ix. 322. Vide Drakenborchium. In Iliados epitome locus exstat haud vulgari venustate, cui dictionem hujusce familiæ restituam, et vice simplici emendabo, ver. 744.

Lux exorta viros in pristina bella remisit;
Instaurantque, animos recreato, milite *pugnam*
Dardanidûm Danaûmque duces: volat undique nubes
Telorum, et ferro ferrum sonat: undique *flictis*

Corpora pervideas, reminiscere, totius imum
Nihil esse in summâ; neque habere, ubi corpora prima
Consistant: quoniam spatium sine fine modoque est,
Inmensumque patere in cunctas undique parteis
Pluribus obtendit; certâ et ratione probatum est.
Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est

Inter se strident mucronibus: instat utrinque
Densa acies, *mixtus*que fluit cum sanguine sudor.

Vulgo, *mixtis;* sed *strictis*, non sine Musis iratis, Wernsdorf volebat. Hinc medicinam Lucani loco faciam, figurarum confusione miserrime affecto, Phars. v. 118.

——— quippe stimulo *flictu*que furoris
Compages humana labat; pulsusque deorum
Concutiunt fragiles animas.

Imago est equi cum domino, *stimulis* et *verberibus* rem gerente, conflictantis. Vulgo, *fluctu*. Sic *infligere plagam* usitatum est; et Virgilium exprimere voluit Lucanus, ad Æn. vi. 101.

——— Ea *frena* furenti
Concutit, et *stimulos* sub pectore vertit, Apollo.

Mox ipse Lucanus, ver. 174.

Iratum te, Phœbe, ferens: nec *verbere* solo
Uteris, et *stimulis*.

Ibid. *divorsa:* i. e. se divertentia. Verbi nempe participium est, cum mediæ Græcorum vocis potestate. Nos alibi de hac re.

Ver. 86. *Dissiliant:* Π. *Disiliant;* B. L. M. *Dissolvant;* et vix ausim damnare; in tantum usu verborum absoluto Lucretius delectatur: sed vulgatam lectionem præferam. Vide ad iv. 609.

Ver. 87. *neque:* Π. *nec.*—*tergo ibus:* omnes libri, et MSS. et editi vetustiores, uno ore dant *tergibus*, quasi *tergis:* de quâ verbi formâ quum nihil explorati habeam, vel apud Latinitatis reliquias, vel grammaticos antiquos repertum, non dubitandum putavi de admissione in contextum præclaræ illius emendationis, quam Vossii ingenio Preigerus tribuit: quamvis enim illud *ibus*, vel *hibus*, pro *iis* vel *his*, in primâ syllabâ sæpius produci videatur, quantitatem, quam Lucretii versus postulat, certe habet in Plaut. Rud. prol. 73.

Nunc ambo *ii* in saxo, leno atque hospes, simul
Sedent ejecti: navis confracta est *ibus*.

Sic fortasse castigandum: vulgatis abest *ii*. Super his autem vetustis nominum terminationibus, Preigerus *dibus*, pro *diis*, et *filibus*, pro *filiis*, ex inscriptionibus Gruterianis attulit; et consulas, si libeat, Sosipatrem Charisium, instt. gram. i. p. 39. cum Prisciano, lib. xiii. p. 961. Cato, de re rust. sect. cii.—"*eabus* latera doliis "intrinsecus usque bene perfricato." De nostro *ibus*, si Nonium consulas, exempla alia invenies ex Titinnio, Pomponio, Plautoque; quibus sic præfatur grammaticus: "*Ibus*, pro *iis*, minus Latinum "putat consuetudo, cum veterum auctori- "tate plurimum valeat:" viii. 21.

Ver. 90. *neque habere:* i. e. "neque "eam summam habere, ubi corpora con- "sistant."—Et, vice *ubi*, Π. *tibi.*

Ver. 93. *obtendit*, vel *ostendit:* sic Vind. V. ed. O. Σ. Ω. i. e. *ostendit τo patere;* quod multo magis poëticum, et Lucretiani moris: reliqui dant *ostendi.*—*certâ et:* ita P. Vind. V. ed. Vulgo, *et certâ*. Versus integer abest Π. atque in Vind. Ω. literis rubris scribitur; in hoc etiam diversâ formâ literarum. De Havercampi membranis parum liquet. Videas autem simile regimen infra, ad iv. 769.

Cæterum, quod prius monitum oportuit, ut nobismetipsis per omnia constemus, *obtendit*, non *ostendit*, in hac voce scribere solemus. Nam etymon vocis ad *os* et *tendo* sine caussâ nonnulli putant referen-

Reddita corporibus primis per inane profundum;
Sed magis, adsiduo varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta resultant,
Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.
Et, quæquomque, magis condenso conciliatu,
Exiguis intervallis, convecta resultant,
Indupedita suis perplexis ipsa figuris;
Hæc validas saxi radices, et fera ferri

dura esse. Olim in usu videtur fuisse tam *obs*, quam *ob*; ut hodieque *abs* non minus, quam *ab*: et prior sane præpositio magis frequentatur vetustis, quam posterior. Huc refer *obstinet*, i. e. *obstenet*, "coram tenet," pro *ostendit* apud Festum; et ibidem *obstrudunt*. Neque hilum discrepant, si rem propius inspicias, vulgaria *obtendo* et *ostendo*, aliter quamvis scripta. Ad eundem modum post *sub* venire sæpiuscule solebat elementum *s*: huc refer vocabulum *subscus* multis scriptoribus usitatum; et voces *substraho*, *substineo*, *subscito*, *substento*, *substentatio*: vetustarum formarum reliquias, in glossariis antiquis et codicibus MSS. etiamnum comparentes. Hinc erroris patet ratio in codice Juvenalis, qui bibl. pub. Acad. Cantab. est, ad xv. 88. *substravit* pro *sustinuit*. Frequens est *substulit* in Hygino.

Ver. 94. *Quod*: Δ. *Sed.*—*nulla*: G. Vind. O. Ω. *multa*; Π. *ulla*. Hac autem varietate, *multa* scilicet, nihil alienius loci scopo per errorem scribi potuit; ita solent tamen voces omnium diversissimas librarii permiscere, sic ut observatum est nobis dudum, ad i. 756.

Ver. 95. *primis*: Π. *primum*; cui in ver. 96. deest *que*.

Ibid. *exercita motu*. Virgilius, geo. iii. 530.

——— fontes liquidi, atque, *exercita cursu*,
Flumina.

Ver. 97. *conflicta*: sic veteres Pii codd. quos re dubiâ me tutius secuturum existimavi: P. Vind. G. L. M. Π. Σ. Ω. *confulta*; O. *confulcta*; V. ed. B. Δ. *consulta*; quod verum equidem putaverim: participium ut sit utique verbi compositi ex *con* et *salio*, atque *mutuis assultibus collisa* valeat. Antiquitatem sane redolet hoc vocabulum, neque exempla sunt ad manum, quibus ejus usus confirmetur. Sed, an Lucretius scripserit,

Partim intervallis magnis *conpulsa* resultant?

Non nimium discrepant literarum ductus, et genuini commatis dictionem habemus. Sed incerta res est, et arbitrio lectoris submittenda. Virgilius, Æn. i. 575.

Atque utinam rex ipse, noto *conpulsus* eodem,
Adforet Æneas!

Ver. 98. *brevibus*: G. L. M. *brevius*; multo minus eleganter, et vix vere. Mantuanus, Æn. ix. 275.

——— mea quem *spatiis propioribus* ætas
Insequitur, venerande puer!

—*nexantur*: Vind. O. Δ. Π. Ω. *vexantur*; vide i. 1024.—*ab ictu*: M. *avicta*: error pronunciationis, *b* literâ facillime in tenuiorem *v*, ut alias saltem millies, eliquatâ.

Jam vero locum Epicuri, quem Lucretius expressit, prior contulit Lambinus. Legitur in Diogene Laërtio, x. 43. sic emendando: Και αἱ μεν (ατομων) εις μακραν απ' αλληλων διϊστανται, αἱ δε ΑΥΤΩΝ τον ΑΠΟΠΑΛΜΟΝ ισχουσιν, (*cohibent—reprimunt*) ὁτ' αν τυχωσιν επι την περιπλοκην κεκλιμεναι, η ΠΕΛΑΖΟΜΕΝΑΙ παρα των πλεκτικων: i. e. "cum illæ, quæ amplecti "et colligare possint, iis accesserint." Vulgo, αυτον τον παλμον, et στεγαζομεναι. Sensum verborum Lambinus optime de-

Corpora constituunt, et cætera de genere horum
Paucula: quæ porro magnum per inane vagantur,
Cætera dissiliunt longe, longeque recursant,
In magnis intervallis; hæc aëra rarum
Subficiunt nobis, et splendida lumina solis.
  Multaque præterea magnum per inane vagantur,
Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
Consociare etiam coitus potuere recepta:

claravit; sed vereor, ne rationem genuinæ potestatis, ut par erat, fideliter perceptam non habuerit.

Ver. 99. *condenso:* Δ. Σ. Ω. *contenso;* sed vulgatam margini Σ. codicis manus eadem allevit.

Ver. 100. *convecta:* V. ed. Δ. Σ. *connecta:* unde non inepte proposuerim, *conlecta;* sed placet reliquorum librorum lectio, quam in textu posuimus. Communes editiones, membranarum fide conculcatâ, de suo dant *connexa.* Ordo est: "Et quæcunque, convecta (i. e. collata et "sese comitantia) cœtu magis condenso, re- "sultant ad minores distantias, vel exiguis "intervallis, figurarum peculiari habitu "complicata invicem, ac cohibita; hæc "constituunt ferrum, et similia." Quibus nihil dilucidius, aut concinnius, egomet desiderem. Edicant lectores, quibus judicia ad has subtilitates probe sint subacta. Pius in notis dicit legi etiam *connisa;* quod non capio.

Ver. 101. *Indupedita:* Δ. *Endopedita:* redi ad i. 83. Et conferas parallelum locum præsenti, in i. 571—578.

Ver. 102. *saxi radices:* confer iii. 326. Et vox *radices* hic potest *primordiorum congeriem;* sed aliquoties *simplicia* rerum *primordia:* ut in Empedoclis versu, apud Plut. plac. phil. i. 3. et alios complures veterum:

Τεσσαρα των παντων ῬΙΖΩΜΑΤΑ πρωτον ακουε·

Ibid. *validas radices:* ut Virgilius, geo. ii. 367. *validis stirpibus;* et Lucanus, i. 138.

——— nec jam *validis radicibus* hærens,
Pondere fixa suo est.

Ver. 104. *Paucula:* Δ. *Pauticia;* Π. *Paucina;* Σ. *Pauciva.*—*quæ* deest Σ. ut *per* V. ed.

Ver. 105. *Cætera:* sic omnia scripta exemplaria, et veteres editiones. Vulgo legitur ex arbitrio criticorum, *Et cita:* quæ mutatio, si molliorem reddat constructionis cursum, non erat, contra fidelium librorum consensum, audacter tamen admittenda.

Ver. 109. *Conciliis:* V. ed. *Concilas;* Vind. Π. Σ. *Concilias.* Nullus dubito, quin Lucretius dederit:

Concilio a rerum quæ sunt rejecta—.

Sic ille, vi. 80.

——— *a nobis* ratio verissima longe
Rejiciat:

et Virgilius, ecl. iii. 96.

Tityre, pascentis *a flumine reice* capellas.

Sed, quod rei caput est, nusquam alias similiter in plurali numero vocem *concilium* nude positam noster adhibuit; in numero contra unitatis, sæpius.

Ver. 110. *Consociare:* V. ed. *Consonare.* Et pro librorum omnium lectione *motus,* felicissimâ divinatione nixus Bentleius reponi jussit *cœtus:* pro quâ voce scribendum potius *coitus* existimavi, ne longius, quam postularet res, a corruptelæ formâ aberrarem: vide quæ modo diximus ad i. 1016. 1029. Ordo est: "Neque, etiam recepta," vel in concilium admissa, "cœtus potuere consociare;" i. e. in concilio se tenere. Non alio pacto Cicero locutus est, de finn. iii. 20.—" in-

Quoius, utei memoro, rei simulacrum, et imago,
Ante oculos semper nobis vorsatur, et instat.
Contemplator enim, quom solis lumina quomque
Insertei fundunt radiei per opaca domorum:
Multa minuta, modis multis, per inane videbis
Corpora misceri, radiorum lumine in ipso;
Et, velut æterno certamine, prœlia pugnasque

" ter nos naturâ ad civilem *conmunitatem* " conjuncti et *consociati* sumus."

Ver. 111. *memoro:* V. ed. B. L. M. Σ. Ω. *memoror;* accrescente, nî fallor, primâ vocabuli venientis literâ. De hoc errorum fonte, videas i. 1016. 1078. et Avienum hinc emendatum, ibid. 721. Legitur autem in Pii libris, quos codices fidei reverendæ vocat, *memorabo*, me saltem non probante.

Ibid. *simulacrum et imago.* Ita scripsit majoris emphasis atque lucis gratiâ; nam passim indifferenter hæ dictiones adhibentur. Tullius autem utramque similiter in eâdem sententiâ posuit, pro Archiâ poëtâ, sect. 12.—" statuas et *imagines*, " non animorum *simulacra*, sed corpo" rum, studiose multi summi homines re" liquerunt."

Ver 113. *quom:* abest V. ed.—*quomque:* Π. *cuique.* Et formulam *Contemplator* Virgilius mutuatus est, ad geo. i. 187.

Contemplator item, *quum* se nux plurima sylvis
Induet in florem—.

Ver. 114. *Insertei:* sic soli G. L. scribunt; sed idem voluit *το Inferti* codicis M. cæteri, *Insertim;* cui nonnihil probabilitatis confert mos Lucretii, adverbia hoc genere lubenter usurpantis; vide ad i. 45. Sed, quum aliud suadeant antiquissimi codices et fidelissimi, sicut vidimus, mihi suspicio oborta est, literam sequentis vocabuli adhæsisse, et poëtam olim scripsisse ad hunc modum:

Insertei *infundunt* radiei—:

hanc autem Cari consuetudinem, verborum neutro sensu adhibitorum, satis superque lectoribus inculcavimus. Maro, Æn. ix. 461.

Jam *sole infuso*, jam rebus luce retectis.

Sic Ambrosius, hymn. ii. 7.

*Jubar*que sancti spiritûs
Infunde nostris sensibus.

Contextum tamen nostrum immutari rationibus idoneis non prorsus adigentibus, jam nunc noluimus: quamvis Servius, hunc locum attingens, ad Virg. ecl. vi. 31. nostræ conjecturæ videatur opitulari: " Unde et atomi dictæ sunt, quas Lucre" tius minutiores dixit esse illis corpus" culis, quæ in *infusis* per fenestram ra" diis solis videmus."—Porro, uti monuit etiam Faber, hos versus idem Mantuanus respiciebat, ad Æn. iii. 152.

——— multo manifesti *lumine*, quâ se
Plena *per insertas fundebat* luna *fenestras*.

fundunt: V. ed. B. *fundant;* P. *fundat;* sed exempla ejus prisca dabant, *fundunt radii.*—*radiei:* sic G. L. neque aliud habendum est *το radi* M. cæteri omnes, *radios.*

Ibid. *per opaca domorum.* Mantuanus, Æn. ii. 725.

Pone subit conjunx: ferimur *per opaca locorum:*

et ibidem, iii. 618.

——— *domus* sanie, dapibusque cruentis,
Intus *opaca*, ingens.

De his autem particulis volitantibus, quæ in solis radiis cernuntur, sic Aristoteles, quem ex parte admovit Lambinus, lib. i. sect. 2. *ὅθεν Δημοκριτος μεν πυρ τι και θερμον φησιν αυτην* (*τὴν ψυχην* nempe) *ειναι· απειρων γαρ οντων σχηματων, και ατομων, τα σφαιροειδη πυρ και ψυχην λεγει, οἷον εν*

Edere, turmatim certantia; nec dare pausam,
Conciliis et discidiis exercita crebris:
Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum,
Quale sit, in magno jactari semper inani;
Dum taxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare, et vestigia notitiaï.
Hoc etiam magis hæc animum te advortere par est

τῳ αερι τα καλυμενα ξυσματα, ἁ φαινεται εν ταις δια των θυριδων ακτισιν· ὡν την πολυσπερμιαν, στοιχεια λεγει της ὁλης φυσεως. Quibus illustrantur ea Lucretii ad iii. 204—207.

Ver. 115. Seneca, nat. quæstt. v. 1. "Cum *sol* in aliquem clausum locum *in-* "*fusus* est, videmus corpuscula minima "in adversum ferri; alia sursum, alia "deorsum, varie concursantia."

Ver. 117. *prœlia pugnasque.* Maro, Æn. xi. 912.

Continuoque ineant *pugnas*, et *prœlia* tentent.

Ennius apud Nonium, vii. 38. voce *Prœliant:*

Ita mortales inter se *pugnant*, *prœliant*.

Dictiones ab Isidoro, xviii. 1. ita distinguuntur, atque, opinor, non male: "Differt "autem *bellum*, *pugna*, et *prœlium*. Nam "*bellum* universum dicitur, ut Punicum. "Hujus partes sunt *pugnæ*, ut Cannen- "sis—. Rursus in *unâ pugnâ* sunt *mul-* "*ta prœlia.*—*Bellum* igitur est totum; "*pugna*, unius diei; *prœlium*, pars pug- "næ est."

Cæterum, το *que*, in fine versûs, abest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. unde non deterius fortasse sic legerim locum, ac distinxerim:

Et, velut æterno certamine prœlia, pugnas
Edere turmatim certantia:

et velim committas iv. 1004.

Ver. 119. *discidiis:* i. e. *διαχωρισμοις*, postquam coaluissent. Ω. præbet *dissidiis:* sed tenenda est vulgata lectio. Satis liquet per se quid differant hæc vocabula; et *dissidium* posse fieri sine *discidio:* vide Oudendorp. ad Sueton. iii. 7. et supra, i. 221. Ergo nunc *discindi* vocat noster, quod alibi sæpius *dissilire*. Prius *dissidium* citra *discidium*, et deinde *discidium* ipsum, sic Ovidius describit, Met. i. 18. quem emendatiorem dabo:

*Obstabat*que aliis aliud; quia corpore in uno
Frigida *pugnabant* calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, *aut* melior litem Natura, *diremit:*
Nam cœlo terras, et terris *abscidit undas;*
Et liquidum spisso *secrevit* ab aëre cœlum.

Ita certissime versus horum quartus debet corrigi: i. e. quasi dixerat: "Sive "*Deum vocare* velis, seu *Naturam melio-* "*rem:*" nam ethnicis unum sunt atque idem Deus et Natura: non *dissident* utique, neque proinde *discidium* patienter tolerabunt. Confer Aurel. Vict. epit. xvi. 4. et animadversores doctos ad locum.

Ver. 121. *Quale:* G. *Quide.*—*sit:* V. ed. B. *sic.*

Ver. 122. *Dum taxat parva res:* i. e. parva res *tantummodo*—*mera* parva res. Vide ad ver. 930.

Ver. 123. *notitiaï:* V. ed. *noticiai;* Π. *noctitiai.*

Ver. 124. *hæc animum advortere.* Simili regimine Sallustius usus est, Jugurth. xciii. 2.—"*animum advortit* inter saxa "repentis *cochleas:*" ubi, cum nonnullis minus ad rem suam pertinentibus, Carum nostrum opportune laudat Cortius. Plenâ manu de hac formulâ Oudendorpius, ad Cæs. bell. Gall. i. 24. Apposite Ovidius, epist. xii. 23.

Jussus inexpertam *Colchos advertere puppim.*

Huc faciunt, quæ diximus ad i. 834. 1060. Vide Bentleium, ad Cic. Tusc. dispp. v. 23.

Corpora, quæ in solis radiis turbare videntur;
Quod tales turbæ motus quoque materiaï
Significant clandestinos cæcosque subesse.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Conmutare viam, retroque repulsa revorti,
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas undique parteis.
Scilicet hicc' a principiis est omnibus error:
Prima moventur enim per se primordia rerum;

Cæterum, loco *magis*, P. *mage ad;* quæ varietas ad formam orationis exquisitiorem minime perceptam referri debet: et pro *hæc*, B. *hoc;* ut V. ed. *advere*, vice *advertere*.

Ver. 125. *turbare:* i. e. *turbari;* ut etiam Virgilius, Æn. vi. 801.

Et septem gemini *turbant* trepida ostia Nili.

Sic Plautus sæpius, Terentius, Tacitusque.—In sequente versu, Π. dat *Quid*, loco *Quod*.

Ver. 127. *clandestinos*. Hanc vocem Plautus usurpavit, et post alios Manilius, i. 895. qui locus librariorum maculâ expurgandus est:

Quin et bella canunt ignes, subitosque tumultus,
Et *clandestinis turgentia* fraudibus arma.

Vulgo, *surgentia;* non male, nisi foret in propatulo, eum imitari voluisse Virgilii geo. i. 464.

——— ille etiam *cæcos* instare *tumultus*
Sæpe monet, *fraudem*que, et *operta tumescere bella*.

Ver. 128. *ibi:* Δ. *ubi.*—*percita:* Ω. *parcita*.

Ibid. *plagis cæcis*. Hinc de Epicureis Claudianus, F. Mall. Theod. cons. 82.

Hi vaga collidunt *cæcis* primordia *plagis*.

Ver. 130. *undique:* sic G. P. Vind. V. ed. Π. et placet: hoc enim pacto solet Lucretius per consimilium vocabulorum seriem res extollere et provehere in majus: quod plus semel in præcedentibus contigit nobis observavisse. Non minore cum significantiâ verborum emphasin et εναργειαν Virgilius sectatus est, ad Æn. viii. 20. in gemello loco:

Atque animum *nunc huc* celerem, *nunc* dividit *illuc*,
*In partis*que rapit *varias*, perque *omnia* versat.

Cæteri libri, et editiones vulgares, habent *denique;* quod meo gustui valde insulsum venit.

Ver. 131. Sensus est: "Scilicet hæc "discursitatio omnibus his corpusculis "est, vel accidit, a principiis eorum: unde motûs initia primitus propagantur."

Ver. 132. *Prima:* Π. *Primo:* ex glossâ scilicet.

Ver. 133. *parvo conciliatu:* i. e. parvorum corporum conciliis conglomerata—ex cœtu exiguarum particularum constantia. L. M. Ω. præbent *conciliata:* omnino male. Rarior dictio depravationi occasionem dedit. Exemplum hujuscemodi liceat ex Plutarcho proponere, ad ii. 129. C. de sanitate tuendâ: Δι' ὃ δει σκοπειν, οἷς αν ταυτα συμπιπτῃ, και μνημονευειν, αν μηδεν ῃ πνευματικον, ὅτι ΤΙ σωματικων εστιν αιτιον, ὑποστολης τινος, η ΚΑΤΑΧΑΛΑΣΕΩΣ, δεομενον. Vulgo, καθαρσεως· sed editiones Ald. et Bas. καταχρασεως. *Laxationis* utique; ut mox, p. 131. B. τα ὑγρα συναγουσα, και πηγνυουσα τας αναθυμιασεις, αει ΧΑΛΑΣΘΑΙ και διαφορεισθαι βουλομενας. Alteri sit exemplo Diodorus Siculus, iv. 3.—τον μεν γαρ οινον, ακρατον πινομενον, μανιωδεις διαθεσεις αποτελειν· τῳ δ' απο Διος ομβρῳ μιγεντος, την μεν τερψιν και την ἡδονην μενειν, το δε της μανιας και ΠΑΡΑΛΟΙΩΣΕΩΣ βλαπτον διορθουσθαι. Ita rescribendum est: vulgo, παραλυσεως.—Et pene oblitus eram lectorem admonere, me in Plutarchi locum voculam τι importavisse: quod videri possit, præcedente ὅτι absorptum, scriptori nobilissimo deperiisse: de quo errore disputavimus superius, ad

Inde ea, quæ parvo sunt corpora conciliatu,
Et quasi proxima sunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum cæcis inpulsa, cientur;
Ipsaque, quæ porro paullo majora, lacessunt.
Sic a principiis adscendit motus, et exit
Paullatim nostros ad sensus; ut moveantur
Illa quoque, in solis quæ lumine cernere quimus;
Nec quibus id faciant plagis adparet aperte.

ver. 111. Sed nimietatis reprehensionem incurrimus, et receptui canendum est.

Ver. 134. *Et quasi:* V. ed. *Ec quai.*

Ver. 135. *Ictibus:* V. ed. *Letibus;* facili errore, ob literarum vicinitatem, secundum solitam scripturam librariorum. —*cientur:* L. M. *gientur.*

Ibid. *Ictibus inpulsa.* Pariter Ovidius locutus est, in loco vitiosis distinctionibus male affecto depravatoque, sic demum, nî fallor, ordinando, met. iii. 61.

——————— dextrâque molarem
Sustulit, et magnum magno conamine misit.
Illius *impulsu* cum turribus ardua celsis
Mœnia mota forent, serpens sine vulnere mansit.

Omnia sunt uno spiritu perlegenda. "Serpens illæsus mansit, quamvis eodem "ictu mœnia fuissent collabefacta."

Ver. 136. *que* abest V. ed. L. Δ. Π. Σ. haud dubie ob comitantem consimilem dictionem: de quâ re, vide supra, ver. 19. Hinc suppleas Avienum, orb. desc. 1023. integro pede deficientem: Termessusque dehinc urbs eminet: *eminet,* arcem Inclyta, per nubes attollens mœnia, Lyrbe. In editione Maittaireanâ, quæ mihi sola suppetit, posterior *eminet* omnino deest; et locus male interpunctus legitur. Sic autem repetitionibus indulget ille scriptor facetissimus. Mox ibid. ver. 1233.

Panditur Hyrcanis *hinc janua: janua* Persis
Hinc patet, imbriferum quâ vergit mundus in austrum.

Ita castigandum: vulgo, "*Hic* patet." Cæterum, τὸ *Icta* Gifanii, pro *Ipsa,* calculo suo Bentleius comprobavit; et accessissem ipse, si librorum veracium auctoritate lectio ista non omnino destitueretur.

Ibid. *lacessunt: ictibus* scilicet versûs præeuntis. Virgilius ad eundem modum, geo. iii. 233.

——————— ventosque *lacessit*
Ictibus.

Ver. 137. *exit:* i. e. terminationem suam habet, *εκβαινει·* ut elegantissimus scriptor epistolæ ad Hebræos, xiii. 7.— *ὧν αναθεωρουντες την* ΕΚΒΑΣΙΝ *της αναστροφης, μιμεισθε την πιστιν:* de quo loco diximus nonnulla ad Silv. Crit. iv. pp. 231, 232. Exquisitissime Virgilius, geo. ii. 81.

——— nec longum tempus, et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.

Similiter Euripides, Med. 56.

——— *ὡς τουτ'* ΕΚΒΕΒΗΚ' *αλγηδονος.*

Ver. 140. *Nec:* M. *Ne;* elapsâ literâ, ob simili sono sequentem; scribâ fortasse vocem recitantis excipiente.

Ver. 142. *hinc:* P. *hic;* facili errore; Δ. *hen*, monstroso. In versu præcedente, Σ. vice *mobilitas*, habet *nobilitas*, per solitam librariis commutationem. Mox autem, V. ed. *tetras*, pro *terras.*

Ver. 143. *spargit:* i. e. lucis quasi jactis *seminibus:* compares infra, ver. 211. In hac figurâ Mæonides omnibus præcessit, Il. Θ. 1.

Ηως μεν κροκοπεπλος ΕΚΙΔΝΑΤΟ *πασαν επ' αιαν:*

ad quam vocis normam Aratus exigendus est sub introitu Diosemion, de lunâ verba faciens:

——— *ὁτι πρωτη* ΑΠΟΚΙΔΝΑΤΑΙ *αυτοθεν αυγη*
'Οσσον επισκιαουσ—.

Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiaï
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primum, Aurora novo quom spargit lumine terras,

Vulgo legitur, Musis ingemiscentibus gravissime atque indignantibus, ἀπεσκίδναται. Hinc contenderim equidem Silium Italicum recte reformari posse, ad Pun. xvi. 230. nam Lucretium de plano sequitur:

Jamque *novum terris spargebat*, limine primo
Egrediens, *Aurora diem*.

Vulgo, *pariebat*, nullâ cum venustate: sed absorpserat utique literam primam dictio præcedens, et tum facillima facta est reliqua depravatio. Eleganter Petronius, cap. xxii. "*Lucernæ* quoque, hu-"more defectæ, tenue et extremum *lu-*"*men spargebant*." Virgilius autem, plus loco simplice, totum versum Lucretii insumpsit. Sic Æn. iv. 584.

Et jam *prima novo spargebat lumine terras*
Tithoni croceum linquens *Aurora* cubile:

ubi Servii nota non nobis aliena est: "*Novo lumine:* aut recenti, aut secun-"dum Epicureos; qui stulte solem de "atomis dicunt constare, et cum die "nasci, cum die perire." Boëtius, lib. ii. met. 3.

Cum polo *Phœbus* roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit:

structurâ non tolerabili. Lege, *poli:* i. e. lucem poli. Denique, nequit ambigi, quin Macrobius, Sat. vi. 1. memoriæ culpâ sic Lucretii versum exhibuerit.

Cum primum Aurora *respergit* lumine terras:

unde tamen Ausonium opportune emendabimus in Mosell. 62.

Quum vada lene meant, liquidarum et lapsus aquarum
Prodit, cœruleâ *respersas* luce, figuras.

Vulgo, *dispersas:* sed interpres tacitum saporem veritatis habuit, et occulte receptam lectionem damnavit, nostram adhibens in explicatione.

Ver. 144. *variæ volucres:* i. e. pictæ —ποικιλμέναι: vide nos ad i. 583. Mantuanus meus, Æn. vii. 32.

———— Variæ, circumque supraque,
Adsuetæ ripis, *volucres*, et fluminis alveo
Æra mulcebant cantu.

Sic reponendum, vice *Æthera:* adi geo. iii. 546. et hic sequentem notam. Sed Lucretianos versus ille pressius effinxit ad Æn. iv. 525.

———— *pecudes, pictæque volucres*,
Quæque *lacus* late liquidos, quæque aspera dumis
Rura, tenent:

ubi pulchre Servius de vocabulo *pictæ*. Hinc interpreteris Statium, in loco sublimi Thebaïdos, xii. 271.

Qualis, ab Ætnæis accensâ lampade saxis,
Orba Ceres magnæ *variabat* imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus:

i. e. *florere* faciebat—*pingebat:* vide quæ dixerim ad iv. 337.

Ibid. *pervolitantes loca*. Hujusce loci Virgilius haud oblitus est, ad Æn. viii. 24.

Omnia *pervolitat* late *loca*.

Ibid. *nemora avia*. Idem, ibid. v. 580.

———— adtonitæ Baccho, *nemora avia* matres
Insultant thiasis.

Ver. 145. *obplent:* П. *opplet;* et, e contrario, in sequente versu, *soleant*, pro *soleat*.

Ibid. *Æra per tenerum:* videas i. 208. Virgilius, Æn. ix. 699.

———— Volat Itala cornus
Æra per tenerum:

ad quem locum Heinsianas animadversiones fructuose consulas. Avienus, Arat. phæn. 1039.

———— medio de tramite si quis
Dirigat obtutus *agiles* procul, hosque, locorum
Defessos longo spatio, *tener* amputet *aër*.

Sic legendum; non, *agilis*. Hilarii genesin, ver. 45. hinc emendabimus:

Essetque ut spatium vacuæ regionis apertum,
Quâ *tener* incedens mortalia pasceret *aër*—;
Diffusæ coguntur aquæ; mox *limite* certo
Linquuntur maria, et finem non transsilit unda.

Libri dant *æther*, sed male: vide nostrum, vi. 1225. atque voces hujusce familiæ confusas ad iii. 1057. Et in versu

Et variæ volucres, nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum, liquidis loca vocibus obplent;
Quam subito soleat sol ortus tempore tali

penultimo, legitur vulgo, *limine:* de quâ solenni scribarum permutatione, Drakenborchius ad Sil. It. iv. 105. et alii alibi plures.

Ibid. *liquidis vocibus.* Virgilius, geo. i. 410.

> Tum *liquidas* corvi presso ter gutture *voces*,
> Aut quater, ingeminant:

ubi levis error insedit Servii commentariis: "læti ex *venturæ* propinquitate se-"renitatis." Vulgo, *venturâ.*

Ibid. *loca vocibus obplent.* Idem Maro, geo. iv. 515.

> ———— mœstis late *loca questibus implet.*

Ver. 146. *tempore tali.* Redi ad i. 94. et ibi nobis dicta.

Ver. 147. *Convestire:* Π. *Convitere;* mendosissime.—*perfundens:* V. ed. P. *profundens.*

Ibid. *Convestire luce.* Habes, lector, speciosissimum poëticæ locutionis florem. Sic Psalmographus, civ. 2. ex versione LXX virali de Jehovâ:—*αναβαλλομενος* ΦΩΣ, *ως* 'IMATION. Lucretium Arnobius, quod adsolet, æmulari voluit, lib. i. p. 2. "Ipse siderum *sol* princeps, cujus *om-*"*nia luce vestiuntur*, atque animantur "calore." Locum Virgilii perplexiorem hac occasione operam dabimus constructionis expeditum linquere, Æn. vi. 640.

> Largior heic *campis* æther, et *lumine vestis*
> Purpureo:

quæ sunt, nî fallimur, longe longeque elegantiora. Vulgo, *campos*, et *vestit.* Haud dubie versum exprimere voluit Ausonius, Mosell. 12.

> *Purior heic campis aër;* Phœbusque sereno
> *Lumine purpureum* reserat jam sudus Olympum.

Addas Ciceronem, de nat. deor. ii. 44. cujus Heynius meminit ad Virgilii l. c.

> Quem, quom perpetuo *vestivit lumine Titan*,
> Brumali flectens contorquet tempore currum.

Sic iterum in Arateis, ver. 126. ita corrigendus:

> Hæc *Sol* æterno *convestit lumine* lustrans,
> Annua conficiens vortentia tempora *curru*.

Vulgo, *cursu.* Conferas nostrum, v. 692. *Cursum* vero et *currum* passim confundi, quisnam ignorat? Sed nemini in hac figurâ exornandâ Tertullianus cesserit, de animâ, sect. 17. "Æqualitas enim cir-"cumfusi aëris, pari *luce vestiens* angulos, "lineas obliterat." Accedat Avienus in Arateis, ver. 35. sic emendatior evasurus; infeliciter tentatus Burmanno, Anth. Lat. v. 8.

> ———————— ignea cujus
> Lumina sunt *latus* sol et soror: ille diei
> Tendat ut infusi rutilum jubar, altera noctis
> Ut face flammanti *tenebrosos* rumpat *amictus.*

Vulgo, *late.* De *Deo* loquitur. Non alia facienda est obiter medicina Leonidæ, epig. 49. ubi libri dant *ιερα:*

> *Αστρα μεν ημαυρωσε, και* ΕΥΡΕΑ *κυκλα σεληνης,*
> *Αξονα δινησας, ημαυρος ηλιος:*

i. e. non *astra* tantummodo, sed *latum* orbem Lunæ: ut pulchre Flaccus, od. i. 12. 47.

> ———— velut inter *ignis*
> Luna minores.

Similiter Virgilius castigari debet, Æn. ix. 403.

> Suspiciens *latam* Lunam:

libri, *altam;* sed vix aliam, quam *plenam*, lunam contextui convenire statim fateberis, si compares ibid. verr. 355. 374. Malim tamen legere, ut verum dicam:

> Suspiciens *albam* Lunam:

et hanc emendationem pro certissimâ habuerim. Ovidius, quem laudat Heinsius ad Æneïdos locum, de *lunâ*, epist. xviii. 61.

> Hanc ego *suspiciens;* Faveas, Dea *candida*, dixi.

Convestire suâ perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu manifestumque esse videmus.
At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum,
Non per inane meat vacuum; quo tardius ire
Cogitur, aërias quod sic diverberet undas:

Adi meam Silv. Crit. v. p. 81. Sed redeo ad Lucretium. Ita Juvencus, hist. evang. iii. 331. impendio eleganter:

Talia dum loquitur, cœlo præfulgida, nubes,
Circumjecta oculis, *vestibat lumine* montem:

i. e. præ cœlo, vel in cœli facie, fulgens. Exemplaria quædam habent, *perfulgida;* quod minus equidem probo.

Ibid. *Convestire perfundens luce.* Orosius, iii. 8. de Christo:—"qui sicut *sol* "*oriens* diem *luce perfundit*, ita, adve-"niens misericorditer, extentâ mundum "pace *vestierit.*"

Ibid. *perfundens luce.* Ita Valerius Flaccus, v. 366. Maronem, Æn. i. 590. nonnihil varians:

———— roseæ *perfudit luce* juventæ.

Sed omnes in hac ornandâ sermonis figurâ longe longeque post se reliquit noster Popius. Testi sit solus Messias ejus: verr. 40. 98.

And on the sightless eye-ball *pour* the *day.*—
And break upon thee in a *flood* of *day:*
One *tide* of *glory*, one unclouded blaze,
O'erflow thy courts.

Dignus est etiam, qui suscitetur, Callimachus, hym. Dian. 117.

———— ΦΑΕΟΣ *δ' ενηκας αΰτμην*
Ασβεστυ, το ρα πατρος ΑΠΟΣΤΑΖΟΥΣΙ *κεραυνοι.*

His autem deliciis, si sectari per otium liceret, campus immensus aperitur: nec tamen se negligi patienter feret Ausonius, perioch. v. Iliad. in loco felicissime elaborato, maculâ tamen levi ad hunc diem obfuscato:

Heic et *Tydidis mentem* Tritonia Pallas
Audaci virtute replet: vomit aurea flammas
Cassis, et *undantem* clypeus *diffulgurat ignem.*

Vulgo scribitur inepte, *Tydidem monitum.* Reposui insuper ex ingenio *diffulgurat:* i. e. undique fulgur spargit, pro librorum lectione *defulgurat:* neque sinceriorem emendationem Divæ Critices obstetricium in lucem protulit. Audacter Sidonius Apollinaris, xi. 20.

Postes Chrysolithi fulvus *diffulgurat* ardor.

Hinc autem, ut viam repetamus, incogitantiam Gronovii mireris, ad Gratii cyneg. 445.

———— et multo *flumine flammæ*
Emicat;

reponentis *lumine*, et locum totum frigore ferientis. Vide nos mox ad ver. 383. et i. 495. In consortium harum illustrationum veniant versus Hilarii in gen. 51. perquam elegantes:

Tunc oritur lux alma; dies quæ jussa vocari
Nascentem tenero *perfudit lumine* mundum.

Tenero lumine: i. e. novo—recenter nato; pulcherrime: conferas Virg. ecl. vi. 34. geo. ii. 343. Jam Statium intelligas, ad silv. ii. 2. 46. cujus mentem minus percepit Barthius:

———— hæc domus ortus
Adspicit, et Phœbi *tenerum jubar.*

Ope denique Lucretii mendam tollas ex epig. 8. lib. v. Anthologiæ Latinæ:

Exoritur Phœbus, *perfundens luce recenti*
Et maria, et terras, stelliferumque polum.

In libris scribitur, *luce nitenti.*

Ver. 148. *in promptu manifestumque esse.* Arnobius, lib. ii. p. 57.—"*manifestum et promptum est*, nihil nos attulisse de cœlo." Atque iterum, p. 98. "*Prompta et manifesta* caussa *est.*"

Ver. 149. *At:* V. ed. *Ac.*—*sol mittit:* II. *submittit.*

Nec singillatim corpuscula quæque, vapores,
Sed conplexa, meant inter se, conque globata:
Quapropter simul inter se retrahuntur; et extra
Obficiuntur, utei cogantur tardius ire.
At, quæ sunt solidâ primordia simplicitate,

Ibid. *vapor:* i. e. *calor*, vel ignis: quo pacto noster sæpius. Hinc Virgilius, Æn. v. 683.

———— lentusque carinas
Est *vapor:*

et mox ibid. ver. 698. Vide Oudendorpium egregie interpretantem Lucani locum, Phars. v. 24.

Ver. 151. *quod sic:* i. e. "vel sic, "quamvis eâ celeritate veniat, undas aëris "verberat in transitu, et non sine impedi-"mentis eluctatur." Necesse habui ad ingenium confugere in hac lectione concinnandâ, librorum tamen optimorum habitâ, in quantum potuerim, ratione. Vulgares editi, et Vind. pro *quod sic*, *quasi quom* vel *cum:* codices antiquissimi, G. L. M. *quo si;* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *quod sol;* sed illud *sol* in Δ. super rasurâ scribitur, et ægre ferri possit. Nos, nî fallor, lectorem habebimus consentientem. Bentleius maluit, *quasi dum:* sed, quam demum proprietatem habeat τo *quasi*, acumen meum nequit dispicere.—*diverberet:* P. Vind. V. ed. Δ. Π. Ω. *diverberat;* æque bene.

Ibid. *aërias undas:* ut noster, v. 277. ubi nos ampliavimus, pari cum dignitate:

Aëris in magnum fertur *mare.*

Adjungatur Vitruvius, viii. 2. "*Aër* autem, cum ruit,—*undas* crescentes facit "*ventorum.*" Hinc accuratius percipies elegantias eorum locorum, quos laudavimus in iv. 178. ad quem versum fuerit operæ pretium te recepisse. Nec minus hinc probe intelligetur Valerius Flaccus, iii. 525.

———— *tenui* vagus innatat *undâ*
Crinis.

Tenuis unda, densiori undæ opposita, est *aër* scilicet; cujus tantum non perpetuum epitheton stat *tenuis*. Nihil omnino faciunt loca, quæ satis copiosa protulit Burmannus, verum sensum neutiquam discernens: nam *in quo*, si eum sequaris, natat crinis? Cæterum, hujusce loci meminit Isidorus, origg. xiii. 20. sed non tanti est, ut admoveri debeat.

Ibid. *aërias diverberet undas.* Ita quoque Maro, Æn. v. 503.

Primaque per cœlum, nervo stridente, sagittæ
Hyrtacidæ juvenis volucris *diverberat auras.*

Diverberat: i. e. "scindit dum verberat "—verberibus viam sibi dividit per aëra." Longe aliud sonat *deverberat;* nempe, "probe et efficienter verberare." Et actionem *remi* in aquâ Lucretius et Maro sibi præsentem habuere.

Ver. 152. *singillatim:* Vind. *singilatim;* V. ed. Π. *singulatim.*—*vapores:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Ω. et mihi videtur multo venustius vulgato *vaporis.*

Ver. 153. *conque:* P. V. ed. *cunque:* vide ad i. 1076. sed in notis P. habet cum reliquis *conque.*

Ver. 154. *retrahuntur:* sic G. P. Δ. et Priscianus, lib. viii. p. 802. sed Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. *trahuntur:* amisso fortasse *re* ob syllabam præcedentem *se* consimilem, totidemque literis; Ω. *turbantur.* Nihil vitii suspicor sublatere: nam vocem evidentiorem, aut scriptoris scopo commodiorem, totius Latinitatis thesauri non temere suppeditaverint.

Ver. 157. *remoræ fit.* Dedi ex ingenio, quod varietates lectionis cogitate et morose expendenti simillimum vero visum est. Non posthaberem nihilo minus, *remorarit.* Vetus glossarium: "*Remoro*, "παρελκω, βραδυνω, επεχω." Et ambabus ulnis amplexus essem *remoravit*, quæ lectio est O. Ω. si tempora constitissent.

Quom per inane meant vacuum, nec res remoræ fit
Ulla foris, atque ipsa, suis e partibus unum,
Unum, in quem cœpere, locum connixa feruntur;
Debent nimirum præcellere mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina solis;
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant fulgura cœlum:

Sic autem se habent librorum testimonia. Vulgo editur cum Δ. *nec res remoratur;* G. *nec res semor autem;* Vind. V. ed. Π. Σ. *ne* (B. *nec*) *crescere mora est;* L. *ne-crescere moravit;* M. *nec res se remoravit.* Cæterum, vox *remora*, pro *tarditas*, est notæ probatissimæ. Glossarium vetus: "*Remora*, βραδυτης, παρελκη, ενοχη, ενο-"χη." Plautus, Trinum. i. 1. 16.

> Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt,
> *Remoram*que faciunt rei privatæ et publicæ.

Rursus, Pœn. iv. 2. 106.

> *Remora* si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.

Adde Lucilium, apud Festum in voce, graviter depravatum, mutilumque: ad quem te malim conferas.

Ver. 158. Legendum fortasse:

> —— ipsa suis e *finibus* unum.
>
> BENTLEIUS.

Nihil ausim, vel tali impulsore me hortante, immutare. Hic est loci sensus, atque series constructionis: "At corpuscula primaria, quum per vacuum purissimum transeant, quum nihil ea tardet, quum partibus simplicibus constent, sine omni alienigenâ mixturâ; et, cursu non impedito nec deliberato, viam inceptam celeri nisu teneant; debent utique et aliis rebus, et radiis solaribus etiam, multo citius per aëra promoveri."

Ver. 159. *in quem:* M. *in quam.*—*connixa:* P. Vind. G. L. M. Π. Σ. *connexa*, lapsu facili; O. Δ. *convexa.* Nihil novandum esse res ipsa clare vociferatur.

Ver. 162. *transcurrere solis fulgura.* Juvencus, hist. evang. iii. 318.

> ———— passus bis terna dierum
> *Lumina* converso terras *transcurrere* cœlo.

Nullus dubito, me, plaudentibus Musis, Maroni suam scripturam redonaturum esse, ad Æn. v. 527.

> ———— *cœlum* ceu sæpe refixa
> *Transcurrunt*, crinemque volantia *sidera* ducunt.

Vulgo, *cœlo:* i. e. *cœlō—cœlom;* vide ad i. 289. Minore scilicet cum dispendio venustatis, substantivo suo carebit τo *refixa*, quam *transcurrunt:* adi Æn. ix. 111. Hor. od. i. 28. 11. Suetonius, ii. 90. de Augusto:—"consternatus olim per nocturnum iter *transcursu fulguris.*" Cæterum, varietatem codicis G. *Multiplices*, vice *Multiplex*, imputaverim equidem ignorantiæ scribarum, ad productionem syllabæ secundæ in voce *Multiplex* offendentium.

Ver. 163. *solis fulgura.* Similiter Seneca, Med. 826.

> ———— et vivacis
> *Fulgura flammæ* de cognato
> *Phaëthonte* tuli:

ubi Farnabius insigniter falsus est interpretationis, oblitus *Phaëthonte* poni pro ηελιῳ φαεθοντι Homereo. Neque aliter Ausonius, ephem. i. 12. versibus melle Musæo tinctis:

> Inde nec flexas sonus intrat aures,
> Et locum mentis sopor altus urget;
> Nec *coruscantis* oculos lacessunt
> *Fulgura lucis.*

Vide nostrum, iv. 757. Hinc restituenda est illi genuina lectio ad eclog. ii. 21.

> *Fulgur* tetragono adspectu vitale *coruscat:*

ut ibidem, ver. 29.

Nam neque consilio debent tardata morari,
Nec persectari primordia singula quæque,
Ut videant, quâ quidque geratur cum ratione.
At queidam contra hæc, ignarei, materiaï
Naturam non posse, deûm sine numine, reddi
Tanto opere humanis rationibus admoderate;
Tempora mutare annorum, frugesque creare;

——————— nec *fulgura* parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ.

Alias, *fulgor*. Vide nos mox, ver. 327. Porro, quum Seneca plane nostrum imitatus sit ad nat. quæstt. i. 1. et poëticas locutiones ex industriâ persequatur, eum hinc esse corrigendum judicem: "Quid, "si dicam stellas interdiu non esse quia "non apparent? Quemadmodum illæ la-"tent, et *solis fulgure* obumbrantur; sic "faces quoque *transcurrunt* etiam inter-"diu, sed abscondit eas diurni luminis "claritas." Vulgo scribitur, *fulgore*.

Ibid. *pervolgant cœlum*. Hæc phrasis Enniana est: videas locum appositum ver. 277. lib. v. inferius.

Ver. 164. Totus deest versus V. ed. B. G. L. M. Ω. sed locus eo carere non potest. Occurrentis est adversario, quodcunque demum sibi perfugium quærenti. Lucem dabit collatus i. 1020. quod monuit etiam dudum Lambinus. *Cæco* nempe impetu feruntur atomi.

Ver. 165. *persectari:* P. *perscrutari*, et in margine Δ. minus docte, et, nî fallimur, ex interpretatione: amplectuntur tamen vulgares editi, quod mireris, si sis nasutior: vide iv. 1004. Nempe τὸ *persectari* poëticum est; sermonis autem soluti, τὸ *prosequi*, omnibus scriptoribus pervulgatum. Idem Bentleius censuit.

Ver. 166. *videant* et litera posterior τῦ *Ut* absunt Δ.—*quidque geratur:* Ω. *quidve gerantur.*

Ver. 167. *ignarei:* V. ed. *ignorari;* vitiosissime.

Ver. 168. *reddi:* Σ. *rentur;* ut multæ editiones: male, et ex correctione, ad i. 155. compositâ.

Ibid. *non deûm sine numine.* Sic Mantuanus, Æn. ii. 777.

O! dulcis conjunx, *non* hæc *sine numine divûm*
Eveniunt:

post Græcorum οὐκ ἄνευ θεῶν. Vide S. Matt. x. 29.

Ver. 169. *admoderate:* Vind. L. M. *at moderate;* sed in M. superscribitur, *admoderare;* P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *ac moderate;* Ω. *et moderare.*

Ibid. Phrasis *reddi admoderate humanis rationibus* dicitur, ad mentem criticorum, quasi foret *admoderatam*, vel consentaneam. Firmat ex Terentio Gronovius, And. v. 4. 13.

Itane *adtemperate evenit*, hodie in ipsis nuptiis
Ut veniret, antehac numquam?

Et Preigerus ex Horatio, epist. i. 10. 12.

Vivere naturæ si *convenienter* oportet.

Non repugnem sane; sed incidit cogitatio, an non dilatari debeat librariorum scriptura compendiosior; ita ut Lucretius, omnibus literis explicitis, ad hunc modum denique dedisse versiculum reperiatur:

Tanto opere humanis rationibus *admoderantem.*

Dicent melius de hac re docti. Plautus, mil. glor. iv. 2. 81.

——— Nequeo hercle quidem risu me *admoderarier:*

ubi legendum fortasse *mî:* i. e. "admo-"derarier mihi *in* risu." Aliter structuram non explico.

Ver. 170. *Tempora annorum:* i. e. anni tempestates quatuor. Virgilius, geo. i. 258.

*Temporibus*que parem diversis quatuor *annum.*

Ver. 171. *Et jam.* Editores plerique,

Et jam cætera, mortaleis quæ suadet adire,
Ipsaque deducit, dux vitæ, dia Voluptas,
Ut res per Veneris blanditim secla propagent,
Ne genus obcidat humanum: quorum omnia caussâ
Constituisse deos quom fingunt omnibus rebus,
Magno opere a verâ labsei ratione videntur.

Nec jam, majore cum audaciâ, dicam, an inscitiâ, contra omnes libros? M. habet τὸ *quæ* male transpositum post *jam*.

Ver. 172. *deducit:* G. *deducet.*—*dia:* Π. *ina*, quasi glossa in textum mutilæ irrepsisset, pro *divina*.

Ibid. *dia*. Virgilius, Æn. xi. 657. "*dia* "Camilla:" Ausonius, Mosell. 374. "*dia* "Mosella:" Ennius in fragmentis, "*dia* "dearum," et "*dia* nepos:" unde Anthol. Lat. iv. 13. 31. "*Die* nepos:" nec dubito, quin leges metricas perruperit ibidem neniarum scriptor, 344. 6.

Et libros legi, legi *dia* carmina Homeri:

sed de hoc ipse viderit. Vulgo, *pia*.

Ibid. *dux vitæ Voluptas*. Cicero, de finn. i. 9.—"extremum et ultimum bo- "norum—Epicurus in *voluptate* ponit: "summumque malum, in dolore."

Ver. 173. *Ut:* P. V. ed. O. Σ. *Et.*—*blanditim*, Vind. Δ. et Lambini conjectura; P. V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. *blanditum;* G. L. M. *blanditur;* quasi interpretationem voluerint, *blanditer* scilicet; quod vocabulum plus semel legitur in Plauto.—*propagent:* Π. *propaget*.

Ibid. *res Veneris:* vel quod alibi *loca* vocitaverit, ut nescio quis apud Arnobium, lib. v. p. 175.

Objecitque oculis formatas inguinibus *res:*

vel modestius, ut S. Paulus, 1 Thess. iv. 6. ἐν τῷ ΠΡΑΓΜΑΤΙ: quam locutionem nos illustravimus in Silv. Crit. sect. xli. et tom. v. p. 137.

Ibid. *blanditim*. Hinc Mantuanus, geo. iii. 127.

——— ne *blando* nequeat super esse *labori:*

de his ipsis rebus Veneris, quas noster memorat.

Ver. 174. *Ne:* Vind. *Nec;* haud male.

Ibid. *genus obcidat humanum*. Ita Maro, ecl. iv. 24.

Occidet et serpens, et fallax herba veneni *Occidet:*

i. e. interibit—ad nihil veniet.' Et *humanum* potest accipi pro *humanorum*, i. e. hominum, ut iii. 80. sed præstat vulgariter intellectum, ut τὸ *quorum* respiciat primitivum *homines*, possessivo comprehensum, cum Lambino: de quâ sermonis formulâ ampliavimus ad i. 353. Accedat ex Philostrato exemplum opportunum, vit. Apoll. T. v. 28. Ἡ μὲν δὴ Αἰγυπτος ὧδε ἀνέσχεν, ΑΠΕΙΡΗΚΟΤΕΣ ἤδη δι' ἃ ἐπιέζοντο: et ex Euripideo Bellerophonte, apud Just. Mart. de monarch. p. 108. ed. Par.

——————— φημ' ἐγὼ ΤΥΡΑΝΝΙΔΑ
Κτείνειν τε πολλοὺς, κτημάτων τ' ἀποστερεῖν,
Ὅρκους τε ΠΑΡΑΒΑΙΝΟΝΤΑΣ ἐκπορθεῖν πόλεις.

Ibid. *quorum caussâ*.—Ad rem Cicero, de nat. deor. ii. 53. "*Quorum* igitur *caussâ* quis dixerit effectum esse mundum? "Eorum scilicet animantium, quæ ratione "utuntur. Hi sunt Dii et *homines*, qui- "bus profecto nihil est melius; ratio est "enim, quæ præstat omnibus: ita fit cre- "dibile, Deorum et *hominum* caussâ fac- "tum esse mundum, quæque in eo mun- "do sint *omnia*."

Ver. 175. *quom fingunt:* sic G. L. M. sed P. Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. per aberrationem familiarissimam manibus exscribentium, *confingunt:* vide supra, ver. 153. Δ. *configunt*. Editores, cum temeritate nunquam satis improbandâ, sic versum de suo vulgavere:

Constituisse deos fingunt; *sed in* omnibus rebus—.

Nam, quam vis rerum ignorem primordia, quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse creatam
Naturam mundi: quamquam hæc sint prædita culpâ;
Quæ tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:

Indignum facinus, et odiosum! Hoccine est genuinæ antiquitatis monumenta fideliter curata demum exhibere?

Ver. 177. *quamvis ignorem:* i. e. "si "concessero me ignorare; quod tamen "neutiquam concesserim."

Ver. 178. *Hoc:* Ω. *Non.*—Et *cœli rationibus*, ut *cœli ratione*, i. 49. ac Plinius, nat. hist. xvii. sub fin. "Omnia hæc an- "nuâ *cœli ratione* constant; et aliquando "serius poscuntur, aliquando celerius." In versu statim veniente, Π. *in*, vice *ex*.

Ver. 179. *reddere:* i. e. præstare—dare—exponere; uti Nonius, iv. 392. Alibi de hac voce, pro simplice positâ, non nihil diximus.

Ver. 180. *divinitus creatam:* i. e. "ex "dei mente factam;" uti interpretatus est Charisius in gramm. institt. Θειως, gloss. vetus. Maro, geo. i. 414.

Haud, equidem credo, quia sit *divinitus* illis
Ingenium.

Male legitur *divinius* apud J. Sarisb. de nugis curial. ii. 2. Hinc autem *μισοθεος* apud veteres Epicurus audiebat, ut Clemens Alexandrinus, strom. ii. 21. Επικουρος δε, εν τῳ μη πεινην μηδε διψην, την ευδαιμονιαν τιθεμενος, την ΜΙΣΟΘΕΟΝ επιφωνησει φωνην, ασεβως ειπων, Εν τουτοις κἂν Διϊ πατρι μαχεσθαι. Vulgo legitur satis frigide, *ισοθεον*. Atque ad Homeri versiculum non illepide philosophus allusit, Il. E. 457.

Τυδειδην, ὃς νυν γε και αν Διϊ πατρι μαχοιτο:

quod editores videtur effugisse. Dionysius Episcopus, apud Euseb. præp. evang. xiv. 27. eum vocat *αθεον*.

Ver. 181. *quamquam hæc sint:* sic Σ. Ω. et P. nisi quod habeat *sunt;* omittunt *sint* Π. Σ. et *hæc sint* etiam, G. L. M. omittunt: V. ed. *quamque hæc sint;* Δ. *quamque hæc:* ex his omnibus id, quod maxime videbatur probabile, effecimus. Vulgo editur, cum admirabili quâdam auctoritatum fidelium conculcatione:

Naturam mundi, *quæ tantâ est* prædita culpâ.

Cæterum, Π. pro *mundi*, habet *mondi;* *αρχαϊκως*, ut sæpe alibi id exemplar.

Ibid. *quamquam sint prædita culpâ:* i. e. "licet in hominum reprehensionem "hæc philosophia incurrat, quasi sceles- "tis et impiis ex elementis constituta:" uti similiter præcavit noster, ad i. 81. 82. Phrasis *prædita culpâ* valet, *culpari digna*—reprehendenda: ut Cicero, *præditus audaciâ, metu, scelere, amentiâ, levitate*, et similibus, pro *audax, timidus, scelestus, amens, levis.* Hinc Gellius, i. 11. "Haly- "attes—rex terræ Lydiæ, *more* atque "*luxu* barbarico *præditus:*" per hendyadem, ut exputo, pro *more luxûs barbarici:* et ibi sane legendum fortasse, *perditus:* Terentius, Adelph. iv. 7. 42.

Domus sumptuosa; adolescens *luxu perditus:*

ut "*more* moratam," Plautus, Asin. iii. 1. 3. Gellium autem comicorum imitationem summo opere affectavisse novimus.

Ver. 183. *expediemus:* Π. *expediamus.*

Ver. 184. *illud quoque:* Vind. L. M. Δ. Σ. *quoque illud.*
Lege, "*Nam* locus est." Bentleius. Placeret sane, si per codices liceret, ob statim præeuntem *Nunc;* sed probabilius videtur *Jam.* Nihil interea, ut his fastidiis consulatur, in Lucretio novandum.

Ver. 185. *suâ vi:* V. ed. *suavi;* vocibus, uti fit, consolidatis. Hinc derivata Achillis Tatii depravatio, vi. 22. init. hoc modo in rectum redigenda est: Και ἡ Λευκιπ-

Nunc id, quod super est, de motibus expediemus.
Nunc locus est, ut opinor, in hiis illud quoque rebus
Confirmare tibi; nullam rem posse suâ vi
Corpoream sursum ferri, sursumque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;

τῇ ΕΙΠΕ· ΝΑΙ, *παρθενος και μετα Σωσθενην· ειπει πυθη Σωσθενης.* Vulgo, *ειπεν Ει:* sensu cassis et constructione. Eleganter corrigas, hinc ingressus etiam, deploratum Velleii Paterculi locum, quem frustra tentabat Ruhnkenius, i. 15. 3.—"theatrum facere instituit. Cui *inde moliendo* "eximia civitatis severitas et cos. Scipio "restitere." Legitur in editis, *Cui in demoliendo.* Serus intellexi, non sine jucundo quodam stupore, meam divinationem Acidalio esse occupatam, et editores ulterius disquisivisse.

Ver. 186. *meare:* Vind. V. ed. B. L. M. Δ. *meari;* sed mendose tamen, arbitror, et contra Latinæ linguæ receptas rationes. Habet sane Orosius, hist. ii. 5. "*transmeati* fluminis;" Apuleius, met. vi. p. 414. "limite *transmeato;*" et Ammianus Marcellinus, xxvii. 8. "*transmea*" *to* freto;" sed significatu proprie passivo omnes.

Ibid. *ferri, meare.* Plinius, nat. hist. x. 54.—"quædam *aves* et resupinæ *fe*" *runtur;* ut, si pariter cernantur plura "genera, non ineâdem naturâ *meare* videantur." In Lucretio tamen, dictionem *ferri* ad *coactam* motionem, *meare* autem ad *spontaneam*, vel naturalem, referri velim: quam distinctionem mox facit noster, ver. 193.

Ver. 187. *Nec:* ita V. ed. et molliorem structuræ fluxum præbet τῳ reliquorum *Ne*, me saltem judice.—*dent in eo.* Quum ex Havercampi silentio colligi debeat, hanc lectionem in codicibus G. L. M. inveniri, mihi religio fuit fidelissimis atque iisdem antiquissimis exemplaribus MSS. adversari: his proxime liber Δ. *de niteo;* Vind. P. Π. Ω. *dent timeo;* Σ. *dent in timeo;* V. ed. *dem timeo.* Nec tamen dissimulatum velim, hanc mihi semper visam esse germanam Lucretii scripturam:

> *Ne* tibi *dent, timeo,* flammarum corpora fraudem:

conferas i. 81. 415. nec tamen operæ pretium est adeo incertis diutius immorari. Cæterum, pene in eo eram, ut archaïsmum suum poëtæ nostro resuscitarem, neglectum deperditumque, scribendo:

> ———— flammarum corpora *frudem:*

nam *defrudo* comicis, Plauto Terentioque, frequentatur; et infra, vi. 186. e nostris codicibus Σ. aperte habet exaratum *frudi:* sed, ne intempestivus novitatum affectator apud minus candidos haberer, multum timui: sed, an recte, vehementer dubito.

Ibid. *flammarum corpora.* Hinc intelligas Homeri notissimum versiculum, Il. Λ. 595. uti vere intelligendus est:

> Ὡς οἱ μεν μαρναντο, ΔΕΜΑΣ ΠΥΡΟΣ αιθομενοιο:

i. e. "puri *corpus ignis* conglobatum." Venustatem loci nec scholiastæ, nec lexicographi, nec editores, attingere quiverunt.

Ver. 188. *vorsus:* Π. *versum.*—*et* deest Π.—*augmina:* G. V. ed. B. Δ. *agmina;* Π. *augumina.*

Ver. 189. Loco *nitidæ*, quod interpolatum putem ex i. 253. V. ed. exhibet *itidem.* Grassata est scilicet, aut vehementer fallor animi, solita scribarum importunitas, labascenti metro trepidanter suffultum festinantium; et reliquit Lucretius:

> Et sursum fruges *itidem*, arbustaque crescunt.

Versum cæsura efficax per se validissime sustentabit; ut in Virgilio, geo. ii. 144.

> ———— tenent *oleæ*, armentaque læta.

Sursus enim vorsus gignuntur, et augmina sumunt:
Et sursum nitidæ fruges, arbustaque, crescunt:
Pondera, quantum in se est, quom deorsum cuncta ferantur.
Nec, quom subsiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flammâ degustant tigna, trabeisque,

Ver. 190. *quantum:* Π. in *quantum*. Cæterum, olim divinaveram, nec pœnitet, ita legendum esse hunc versum:

> *Pondere*, quantum in se est, quom deorsum cuncta ferantur:

i. e. suo pondere, naturaliter deprimente. Correctores, opinor, male callidi, ad ver. 205. mox venientem, cujus diversa prorsus ratio est, hunc volebant conformare.

Ver. 191. *subsiliunt:* i. e. *de sub* saliunt—ex inferiore loco saliunt. Gemella significatio est verbi *submitto* ad i. 8. ubi nos videndi. Non aliud est usitatior vox *subsulto*. Sic Varro apud Nonium, ii. 515. voce *Mirius:*

> *Subsilis* ac plaudis.

Nec non Plautum et Senecam voce usos esse te lexica docebunt: unde non audiendos eos dicam, qui ex *susum*, vel *sursum*, etymon vocis volunt accersere. Glossarium vetus: "*Subsilio*, ὑφάλλομαι." Non discrepat τῷ *subjicio* vis apud Virg. ecl. x. 74. ubi tamen Servius interpretatur per *sursum jacit*. Ita capiendus est idem summus vates, ad geo. iv. 385. qui locus ab hoc Lucretiano expressus est:

> Ter *flamma*, ad *summum tecti subjecta*, reluxit:

i. e. se subjiciens—subsiliens. Mentem poëtæ sagaciter vidit Heynius, et elegantissime declaravit.

Ibid. *tecta domorum*. Idem vates, Æn. viii. 98.

> ———————— rara *domorum*
> *Tecta* vident.

Unde illum corrigam equidem, ibid. ii. 446.

> Dardanidæ contra turris, ac *tecta domorum*,
> *Culmine* convellunt:

i. e. πρυμνόθεν, ut ver. 603. inferius:

> ———————— sternitque a *culmine* Trojam.

Nescio tamen, an lectio, Servio memorata atque in quibusdam codicibus servata, non anteponi debeat:

> ———————— ac *tota* domorum
> Culmina convellunt.

Saltem τῷ *tecta culmina* in æternum valedicere, ut phrasi putidissimæ, nullus hæsitaverim.

Ver. 192. *tigna:* M. *signa;* forte an vellet *ligna*. Nihil mutandum. Similiter Mantuanus, geo. iv. 307.

> Garrula quam *tignis* nidum suspendat hirundo.

Ibi liber unus itidem *signis*. Ausonius, id. xi. 44.

> Parietibus quæ saxa locat, quæ *culmine tigna*.

Ibid. *celeri flammâ degustant*. Elegantissime: ut alii poëtæ passim *lambere*, *edere*, et similia dicunt de *ignibus*. Hinc in quâvis paginâ veterum legitur *rapidus*—λάβρος—*ignis:* i. e. *edax*—*celeriter consumens:* unde *rapidæ feræ; voraces*—*rapaces:* quod moneo, ut sibi parcius indulgeant correctores reponendo *rabidæ;* nam in his dictionibus perpetuo fluctuant scripta exemplaria: videas Heinsium ad Ovid. epist. x. 96. et nos infra, iv. 716. Similiter non raro obversatur *velox flamma:* ut in nostro, vi. 688.

> Excussit calidum *flammis velocibus ignem:*

unde feliciter emendaturus sum, nî fallor, locum Q. Curtii, crucem editorum: viii. 10. 8. "Cæsis quippe silvis *flammam* excitaverunt; quæ *igni* ALITE oppidanorum sepulcra comprehendit:" i. e. *celeri* et *veloci* igne Lucretii. Vulgo, *alita*. Cæterum, hoc translati sermonis specimen me admonet versuum Manilii lautissimorum, duplici corruptelâ laborantium, sed

Sponte suâ facere id sine vi subicente putandum est:
Quod genus, e nostro quom missus corpore, sanguis

nitori pristino statim a me restituendorum, i. 878.

Et gravibus morbis, *aut* lentâ corpora tabe
Corripit *exesis* letalis *flamma* medullis.

Vulgo, *exustis*. Scriptum erat utique *exestis*, ut *comestis*, antique: unde mendum. Respexit ille Virgilium, Æn. iv. 66.

——————— *est* mollis *flamma medullas;*

et rursus Æn. vi. 442.

——— quos durus amor crudeli *tabe peredit.*

Possis etiam *exhaustis* reponere; sed tentamen illud elegantius est, meo judicio, et probabilius. Et egregie, sed audacter suo more, hanc translationem sermonis tractat Æschylus, Prom. vinct. 368. igneas Ætnæ exundationes pingens:

——————— *ενθεν εκραγησονται ποτε*
Ποταμοι ΠΥΡΟΣ, ΔΑΠΤΟΝΤΕΣ *αγριαις* ΓΝΑΘΟΙΣ
Της καλλικαρπου Σικελιας λευρας γυας.

Nisi scirem quali cum poëtâ, spiritûs vere magni, orationis regulas severiores conculcantis, res mihi sit, dixissem legi debere *δαπτοντος*· sed in illo nihil mutem. *Λευρας* autem *γυας* sunt æquabiles—molles; quæ scilicet aratris frequentibus exerceantur, ita ut solum usque ad pulvisculum frietur; adeoque *fertiles*: vide Virg. geo. i. 94—100. ii. 304. His contrarii sunt agri *hispidi*, de quibus Horatius, od. ii. 9. 1. Obiter denique scholiastem posteriorem emendabimus: *Ενθεν εκραγησονται· εκ της Αιτνης εκσπασθησονται.* Lege, ΕΚΒΡΑΣΘΗΣΟΝΤΑΙ. Si malis, *εκπτυσθησονται*, non repugnem; vide mox, ad ver. 197. sed ipse conjecturam priorem teneam.

Ver. 193. *facere:* V. ed. *facie.—vi* abest II.—*subicente:* sic reposui ex conjecturâ, quam nemo venustior temere in dubium vocabit. Lambinus, ut ipse ait, uno MS. codice adjutus, rescripsit *subigente;* quem secuti sunt plerique editores. Ita legitur etiam in G. nisi Havercampus dormitaverit; quod hac occasione ei humanitus accidisse putem. Omnes reliqui, tam manu exarati, quam vetustiores impressi, dant *subjecta*, i. e. se subjiciente: i. e. *subiciente*, vel *subicente;* unde liquido mecum juraveris, glossam, sane aptissimam e margine, germanam scripturam expulisse. Statius, Theb. iv. 518.

——————— avide *subicit* Phœbeïa Manto:

i. e. *υποβαλλει*. Similiter Sil. It. i. 113. xiii. 298. Sic passim *reicio—deicio—obicio—conicio.* Servius ad Virg. Æn. ix. 411. vide nos infra, ad iii. 639. Hinc restituendus Avienus in Arat. 101.

——————— Sed quâ sublimior axis
Tethyos undosæ linquit cetosa fluenta,
Contemplare, sacras ut mundus *subicit* Arctos:

i. e. *erigit*. Vulgo, *subiit;* et jam video Grotium voluisse *subjicit*.

De more autem Lucretiano, qui pro suâ parte varietatem lectionis in hoc loco peperisse possit, syllabarum nempe brevium duarum in unam quasi longam, celerioris ope pronunciatûs, prius disputavimus; et exempla, quibus paginæ tantum non omnes scatent, diligentiam solicitiorem nobis facile excusabunt. Statium tamen non pigebit admovisse, Theb. iv. 697.

Dixerat: ast illis *tenuior* percurrere visus
Ora situs.

Gronovius ad locum plura suppeditat. Vide mox Cari ver. 908. Tutius tamen habui rescribere *subicente* tandem, quam ad ullam licentiam, quantumvis usitatam, confugere, *το subiciente* ponendo.

Interea, non ignobile specimen depravationis eo genere, quo nuper dixi, glossæ scilicet, vel vocabuli pervagati magis, (vide supra, ad ver. 133.) in locum exquisitioris ac rarioris, suffecti, ex Athenæo proferre liceat, Amipsian citante ad vi. 20. sic librariis et typothetis male exaratum:

Κάδυ σοι τις των πλευριων, μια του Ἡφαιστου,
προσομοιος·

Emicat, exsultans alte, spargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quantâ vi tigna, trabeisque,

Καλλιτραπεζος, και βυλομενος λιπαρον ζωμον καταπινειν.

Omnia susque deque habita in priore versu conspicis; sed hi tumultus librariorum jactu pulvisculi quiescent. Scribe:

Κάδως σοι 'ΣΤΙ των ΠΛΟΥΤΟΥΝΤΩΝ, μια τον 'Ηφαιστον, προσομοιος.

Sed redeundum est nobis in pistrinam.

Ver. 194. *quom:* sic fideliter, Σ. quod rarius.—*quom missus:* Δ. Π. *commissus;* antiquioris scripturæ, ut videtur, levis depravatio.

Ibid. *Quod genus.* De hac formulâ, vide ad iv. 739. congesta.

Ibid. *missus sanguis.* Ita locutus est Ennius in Ajace, apud Festum, voce *Tullios,* in anapæsticis, quos ita probe constituas, nî fallor, et emendes: "Ennius in Ajace:

"———————— *at jam*
"*Misso sanguine* tepido Tulliei
"Ecflantes *volitant.*"

In editis, *Ajax* et *volant.* Sic etiam Seneca, de clem. i. 5. Lucanus, vi. 299. nec mirum, quum sit technica phrasis, artis medicæ scriptoribus perquam familiaris. Ita Celsus, vi. 14. "Itaque in hac, abstinentia necessaria est, et *sanguis* recte "*mittitur.*"

Ver. 195. *Emicat.* Si quid valeam dispicere inter rerum tenebras et silentium grammaticorum, *mica,* a μικκος Dorum profluens, est ψιχιον, vel ψηγμα· minutissima scilicet quælibet particula. Unde, quum tales impetu celerrimo mittantur, valet *emicat* sæpius, *velociter prosilire;* ac rursum, ob radios lucis parvissimos, velocissime provolantes, significat *splendere:* et, denique, ob facilem levium corpusculorum motum, *vibrare* vel *palpitare.* Virgilianum illud, geo. iii. 84. *micat auribus,* verissime Heynius exposuerat per *celerrime moventur;* cum vero addit, *ariguntur,* omnia corrumpit.

Cæterum, in hoc loco *cruor sanguinis* per redundantiam sermonis iis similem, quibus significavimus ad i. 1030. dici videtur. Qualem distinctionem grammatici voluerunt comminisci, an recte, non meum est temere dijudicare, malim discas ab Isidoro, origg. xi. 1. p. 1099. im. atque Servio, ad Æn. viii. 106. ne forte, dum singula circumvectamur, in molem insanam hi commentarii dilatentur. Addam nihilo minus Lucanum, i. 619.

———————— gelidoque infecta *cruore,*
Plurimus adsperso variabat *sanguine* livor:

et Columellam, x. 402. pariter voces sociantem:

Candida *sanguineo* manat fiscella *cruore.*

Haud in propatulo stat via vera constructionis ad dicti Lucani lib. vii. ver. 836. adeoque prudenter interpres unusquisque dissimulatorem agit:

Omne nemus misit volucres, omnisque *cruentâ*
Alite *sanguineis* stillavit roribus arbor.

Ordo est, nî fallor: "Omnisque arbor "stillavit roribus (non usitatis sed) san"guineis alite cruentâ:" i. e. propter cruentam alitem. Poteras ad hunc modum: "Omnis arbor, cruenta alite, stil"lavit—:" nec temere dicam sane, utra utri structura præferenda sit.

Denique, cum dictionibus *Emicat exsultans* τε *alte* additamentum supervacaneum videri possit, forte an Carus dederit:

Emicat exsultans, *late* spargitque cruorem.

Conferas ver. 1125. ut alii passim locuti sunt: et hæc vocabula alias commutari in certissimis est. Virgilius, Æn. xii. 308.

———————— *sparso late* rigat arma cruore.

Ver. 196. *vi:* Π. *in;* qualibus aberrationibus literæ concurrentes *i, j, m, n, u, v,* nunquam non obnoxiæ sunt in libris minore formâ characterum exaratis. Similiter *in* abiit in *m,* ad Anthol. Lat. Burm. iii. 295. 10.

Est et Mænalio, quæ garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula *in ore* sonans.

Vulgo, *more.* Vidit etiam Heynius. Si-

Respuat humor aquæ? Non, quo magis ursimus altum
Directâ, et magnâ vi multei pressimus ægre,
Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit;
Plus ut parte foras emergant, exsiliantque?

militer ad Stat. Theb. v. 508. liber MS. seculi xii. in Musæo Britannico mendose dat *more*, pro *in ore:* et par confusio est ad Ovid. epist. x. 137.

Ibid. *tigna*, *trabeisque:* i. e. etiam ligna tantâ magnitudine. Cæterum, Lucretianos versus in animo habuisse Rutilium, itin. i. 129. certissimis signis constat:

Quæ mergi nequeunt, nisu majore resurgunt;
Exsiliuntque imis, altius acta, vadis.

Ubi Burmannus de *resultant* cogitabat, pro *resurgent:* inscitissime, ob *Exsiliunt* sequentem. Hinc autem Horatium recte intelligamus, od. iv. 4. 65. in primario dictionis significatu:

Merses profundo, *pulchrior* evenit:

i. e. ut probe commentatores veteres, *fortior*, ad Varronianum etymon *πολύχειρ:* et vide Servium ad Æn. iv. 149. Etiam Ennius quo modo capiendus sit, liquido patet, in fragm. incert. p. 135.

Optuma cum *polchreis animeis* Romana juventus:

et rursum, in annal. i.

———— at Romulus *polcher* in alto
Quærit Aventino:

ut Virgilius, *acer* et *mavortius* Romulus; atque Ovidius, fast. vi. 93.

———— Tatium, *fortem*que *Quirinum.*

Hinc *bellica fortitudo*, quum in maximo honore præ omnibus aliis animi dotibus apud veteres haberetur, *ἀρετὴ*, *virtus*, *κατ' ἐξοχὴν* vocabatur: et *bello strenui* malique, *ἀγαθοὶ* ac *κακοί*. Vide Duker. ad Flor. iv. 4. 5.

Ver. 197. *Non:* ita solus Π. et sequendum etistimavi, quum locus hinc animosior longe, atque erectior, evadat. Reliqui omnes *Nam* præbent.—*ursimus:* P. Vind. V. ed. B. M. O. Π. Σ. Ω. *urgimus;* sed in Pii antiquis exemplaribus, ut nos edidimus, *ursimus* legitur.—*altum:* L. M. Ω. *altu;* Vind. B. Σ. V. ed. Π. *alta;* sed ad finem sequentis versûs, duo postremi libri additum habent *altu;* P. *alte.* Nos id, quod veri videretur simillimum, curavimus imprimendum; quum lineola horizontalis ab *altū* variis de caussis facillime potuerit abesse.

Ibid. *Respuat humor:* ut prior de *maris fluctu* cecinit Mæonides, Il. Δ. 426.

———— ΑΠΟΠΤΥΕΙ δ' ἁλὸς ἄχνην.

Apposite glossarium vetus: "*Respuit*, "ἀποπτύει. *Respuit* corpus, ἐξέβρασεν τὸ "σῶμα ἡ θάλασσα."

Ver. 198. *vi:* Π. *in;* vide nuper, ad ver. 196.—*multei:* V. ed. B. *multa.*—*ægre:* V. ed. *egere altu;* Π. *altu ægre.*

Ibid. *Directâ:* nempe *viâ.* Plautus, Amph. iv. 3. 8.

Nam jam ad regem *rectâ* me ducam.

Ibid. *magnâ vi:* ut Maro, geo. i. 169.

———— *magnâ vi* flexa domatur.

Ibid. *multei pressimus;* pro *multum* pressimus, solenni satis elegantiâ sermonis. Bentleius tamen rescribi præcipit *multâ*, ut exhibet ed. Veron. et provocat ad i. 1028. ii. 552. quæ loca nihil faciunt pro viri magni lectione: et miror superbissimum ejus judicium non aversatum esse tantam scabiem orationis. De gemellâ venustate poëticâ, nos consulas, si libeat vacetque, ad Virgilii Moretum, ver. 12. Neque immerito committi potest Statius, Theb. viii. 684.

Telum ingens avide, et *quanto* non ante *lacerto*,
Impulit:

atque iterum, ibid. vi. 791.

———— geminatque rotatas
*Multiplicat*que *manus:*

unde Callimachi locus egregie vindicatur et illustratur; quo nihil noverim exquisitius, hymn. Dian. 27. ideoque plenius exhibitum non lectori lepido displicebit;

Nec tamen hæc, quantum est in se, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras
Aëris, expressæ sursum, subcedere, quamquam

'Ως ἡ παις ὑπνεα γυναιδος ηθελε πατρος
'Αψασθαι· ΠΟΛΛΑΣ δε ματην επανυσσατο ΧΕΙΡΑΣ
Μεχρις, ἱνα ψαυσειε.

De hoc loco adeas etiam Ruhnkenium, ad epist. crit. ii. p. 142. sententiam priorem meliore prudentissime mutantem. Hanc autem elegantiam non nullo cum successu æmulatus est haud ultimus poëtarum tenerorum Naso, epist. viii. 93.

Non ego captavi *brevibus* tua colla *lacertis:*

neque enim aliunde recte intelligas phrasim venustissimam *brevibus lacertis;* i. e. non pertingentibus: quam notionem tentaminis imperfecti felicissime repræsentat το Callimacheum μεχρι, ad quod cæcutiit scholiastes.

Ver. 199. *Tam:* Π. *Tum.*—*cupide:* V. ed. *cupido.*—*revomit:* sic Aldi secunda editio, anni 1515. libri omnes reliqui, tam scripti, quam impressi typis, tam nostri, quam aliorum, ut videtur, habent *removet.* Sed haud dubie falso. Ad Lucan. vi. 24. pro *scopulisque vomentibus,* vel *revomentibus,* multi codices MSS. habent *removentibus* similiter. Silius Italicus, ii. 308. ubi plura tibi suppeditat Drakenborchius:

—— e fundo *revomentem* transtra Charybdim:

Hinc dispicere possumus ad Lucanum, vi. 137.

Roboris impacti crebros *gemit* agger ad ictus:

quid varietas nonnullarum membranarum, *vomit* scilicet, vice *gemit,* sibi in eo loco velit. Scripsit Annæus nempe:

Roboris impacti crebros *movet* agger ad ictus:

quam viam receptæ, utpote vulgariori et minus venustæ, facile equidem anteposuerim.

Ibid. *cupide.* Eleganter enim vero, et magnifice, animalium affectum irrationalium ad res inanimatas transtulit. Hujusce venustatis exemplum jam dederat leporum omnium repertor, in Il. Λ. 573.

Πολλα δε και μεσσηγυ, παρος χροα λευκον επαυρειν,
Εν γαιη ἱσταντο, ΛΙΛΑΙΟΜΕΝΑ χροος ασαι.

Ubi rem animum advertit scholiastes Villoisoni:

Απο των εμψυχων μεταφερει.

Ibid. *remittit.* Amicissime conspirat hæcce vox cum statim prægressis, *respuat* et *revomit.* Plinius, nat. hist. xxxvi. 33. "Melitites lapis sucum *remittit* dulcem "mellitumque:" i. e. exsudat—exæstuat: ut alibi similiter. Virgilius, geo. ii. 218.

Et bibit humorem, et, quum vult, ex se ipsa *remittit.*

Vates denique Pelignus, ex Pont. i. 3. 18.

Cernis, ut e molli sanguis pulmone *remissus*
Ad Stygias certo limite ducit aquas:

i. e. rejectus—evomitus; uti perbene Micyllum exposuisse video. Græci αναπιμπτειν, ut Pindarus, Pyth. i. 48. de Ætnâ, κρουνους αναπεμπει· i. e. *evomit,* vel *eructat,* Virg. Æn. iii. 576.

Ver. 200. *Plus parte emergant:* i. e. "*majore parte, quam antea.* Prius sci-"licet *parte* naturaliter emergebant; post "impulsum verò, *parte,* magis quam pri-"us, solent emergere." Rem Faber et interpres neutiquam tenuerunt; "dimi-"diâ parte amplius" ille, hic autem, "plus mediâ sui parte," exponentes: quæ a scopo scriptoris longissime aberrant interpretationes. Pius dicit: "Ex majore "sui parte:" quod ambiguum est.

Ver. 202. *ferantur:* Δ. Π. *feruntur.*

Ver. 203. *debent flammæ quoque:* Vind. V. ed. B. M. Σ. Ω. *quoque debent flammæ;* et eodem ordine Π. sed *quocumque* dat, vice *quoque.* Ipse prætulerim, ut probabilius, hoc pacto versiculum constitutum:

Sic igitur *debent quoque flammæ* posse per auras.

Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent.
Nocturnasque faceis, cœli sublime volanteis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,

Ibid. *per auras Aëris.* Hendyadem maluit in loco similis orationis, et minime intempestivo nobis, Ovidius, met. xv. 246.

———— tenuatus in *auras*
Aëraque humor abit: dempto quoque pondere, rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.

Ver. 204. *expressæ flammæ:* ut Lucanus, i. 151.

———— *expressum* ventis per nubila *fulmen:*

ut prior Tullius, de div. ii. 19.—" si au-" tem nubium conflictu *ardor expressus* " se emiserit, id esse fulmen."—Et insuper jungo *sursum* cum *expressæ;* nam vereor, ut Latinum sit satis *sursum succedere*, cum per se *succedere* sit *sursum tolli;* sed ita, propter *sub*, ut de humili loco surgere incipiat. Atque sic est cum verbis omnibus similiter compositis, quorum potestas nonnullos multum cruciavit, atque impulit, ut crederent ex *sursum*, non *sub*, confecta; et, tam hodiernos criticos, quam grammaticos vetustiores. Supra, ad ver. 191. *subsilire* de hoc genere est; *submittit*, ad i. 8. *subit*, Virg. geo. i. 152. *subvolare*, Aurel. Vict. de vir. illust. vi. 3. et alia millia, quæ leguntur ubivis. Adi sis iv. 162.

Ver. 205. *Pondera:* M. *Pondere;* rationibus sermonis plane repugnantibus.—*in se est:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. *inest;* nec omnino male: vide nos ad i. 362. et mox, ver. 247.—*deducere:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ducere;* unde quovis pignore contenderim, eo more, quo sequitur, Lucretium scripsisse:

———— quamquam
Pondere, quantum *inest*, deorsum *se ducere* pugnent:

et tantum non pœnitet, me contextum ita denique constitutum relinquere noluisse.

Ver. 206. *sublime:* V. ed. *sub lune;* per errorem ad ver. 196. declaratum.

Ibid. *Nocturnas faceis.* Sic spiritu vere magnifico Lucanus, et versibus politissimis, i. 526.

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, *cæli*que volantes
Obliquas per inane *faces.*

Ita castigandum, ut constructio facilior evadat, *per inane cæli.* Libri, *cælo.* Vide eundem, vi. 731. ix. 473. Claud. in Eutrop. i. 375. Eleganter etiam Manilius, i. 857.

Ne mirere, *faces* subitas erumpere cœlo,
Aëraque accensum flammis lucere coruscis.

Et per *faces*, intelligo corpora μετεωρα caussis ex obscuris ignescentia, et impetu subitaneo cœlum transcurrentia; quæ δοκοι, *trabes*, vel *columnæ*, alio nomine vocitantur. Seneca, nat. quæstt. i. 1. " Ex hac " (aëris) vexatione nascuntur trabes, et " globi, et *faces*, et ardores."

Ibid. *sublime volanteis.* Virgilius, Æn. x. 664.

Sed, *sublime volans*, nubi se inmiscuit atræ.

Ibid. *cœli sublime volanteis:* i. e. *per sublime*, solitâ omissione poëtis in generis hujusce verbis: vide quæ contulimus ad i. 834. 1060. ii. 124. Hinc Callimachus, hymn. Dian. 193.

———— ὁ δ' ὄρεα μῆνας ΕΦΟΙΤΑ
ΠΑΙΠΑΛΑ τε, ΚΡΗΜΝΟΥΣ τε:

et similiter ibid. 155. Ουρεα βοσκεσθαι· *per montes se pascere*, vel *pasci:* ita locus est reddendus: et ver. 235. Ουρεα πλαζομενας. Confer Theoc. xiii. 66. Soph. Aj. 30. Veteres in hac etiam formulâ sermonis, ut in pulchris omnibus, æmulari voluit maximus Miltonus; ei, cui vel Virtus, vel Libertas, cordi sit, vel Musæ denique, Gratiæque, nunquam, nisi venerabundis cum affectibus, nominandus. Assurgite, doctorum chori! Parad. amiss. iv. 677.

Millions of spiritual creatures *walk the earth*
Unseen:

atque iterum, ibid. vii. 477. felicissime:

In quasquomque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terrâ stellas, et sidera, cernis?
Sol etiam summo de vortice dissupat omneis

> At once came forth whatever *creeps the ground*,
> Insect, or worm.

Cicero, de finn. ii. 34.—" si Xerxes, cum " —*maria ambulavisset, terram navigavisset*—." Casaubonus summus ad Strabonem, lib. ii. p. 178. scribentem, πλανηθεῖσιν, οὓς ἔτυχε, τόποις· hujusce proprietatis immemor, incaute reponendum dixit, πῃ οὓς ἔτυχε, τόποις. Arnobius, lib. i.— " Indigetes illi, qui *flumen repunt*." Consulas Heinsium, ad Ovid. epist. vii. 40. Unde recte capias Homerum, Od. H. 319.

> ——— οἱ δ' ἐλόωσι γαλήνην, ὄφρ' ἂν ἵκηαι
> Πατρίδα σήν.

i. e. " *per* tranquillum mare." Barnesius, male accepto scholiaste, pravam interpretationem commentus est. Hunc locum respexit Phavorinus in voce γαλήνη: nec dubito, quin γαλήνως scripserit scholiastes, non γαληναίως. Hinc Ovidii emendationem haud formidem petere, med. fac. 40.

> Nec mediæ Marsis *findantur* cantibus angues;
> Nec *redeat* fontes unda supina suos.

Vulgo, *redit in:* videas ibidem Heinsium; quem de temporum ratione verissime statuisse judicem, quamvis Burmannus obloquatur. Hæc ellipsis autem viris eximiis, Heinsio et Marklando, egregie ludificata est ad Statii silv. iv. 6. 61.

> ——————— Pellæus habebat
> Regnator lætis numen venerabile mensis,
> Et comitem *occasus* secum *portabat*, et *ortus:*

i. e. *ad*, vel, *per*, occasus; ne pro casu gignendi capias. Hinc, denique, acumen meum Claudiani locum verissime prius restituerat, quam duo exemplaria MSS. consentire intellexissem, bell. Gild. 493.

> Si revolant mergi, *graditur* si *litora* cornix.

Vulgo, *litore:* sed nihil verius, aut elegantius, hac emendatione.

Ver. 207. Post Aratum et Apollonium huic Lucretii loco plurimum debent Maronis versus excultissimi, geo. i. 365.

> Sæpe etiam *stellas*, vento inpendente, videbis
> *Præcipites* cœlo *labi*, noctisque per umbram
> *Flammarum longos* a tergo albescere *tractus*.

Huc etiam Lucanus respexit, v. 562.

> ——————— lapsa per altum
> Aëra dispersos *traxere cadentia sulcos*
> *Sidera*.

Non intelligo tamen quid sibi velit in hoc loco τὸ *dispersos sulcos;* quod accepissem sane equidem, ut *dispersam arenam:* quasi scilicet sulcorum terga, solo disperso, complanarentur, ad communem telluris superficiem. Legendem putem, *diversos;* ut ad Arati versus Avienus venustissime:

> Quod, si *diversis* se passim *partibus* ignes
> Excutiant, verret pelagus sine fine modoque
> Turba procellarum.

Porro, Lucretianos versus diligenter intuebatur Virgilius, etiam ad Æn. v. 527.

> ——————— *cælo* ceu sæpe refixa
> *Transcurrunt*, crinemque *volantia sidera ducunt*.

Manilii versus admodum elegantes, tam Lucretium, quam Maronem imitantis, probe scriptos exhibebo, i. 845.

> Præcipites stellæ, passimque, volare videntur,
> Cum vaga per liquidum scintillant lumina mundum,
> Et tenuem longis jaculantur crinibus ignem;
> Excurruntque procul, volucres imitata sagittas,
> *Albida dum* gracili tenuatur semita filo.

Nonnullorum librorum *nitidum* in versu secundo glossema merum est exquisitioris vocis *liquidum*. Et *Albida*, pro *Arida*, reposui ex conjecturâ, quâ nulla verior: vide sis nostram Silv. Crit. v. p. 78. sed hanc rem sæpius attigimus.

Ibid. *ducere tractus*. Idem Manilius, i. 866.

> Sive illas Natura faces, ut cuncta creavit
> Sidera, perpetuas cœlo *ducentia* flammas.

Ita castigandum: libri, *lucentia*. Reliqua optime constituit, me judice, Bentleius, criticorum omnium, quos noverim equidem, aut de quibus legerim vel inaudiverim, longe longeque sagacissimus.

Ver. 208. *parteis:* A. *partem;* ut legatur:

Ardorem in parteis, et lumine conserit arva:
In terras igitur quoque solis vergitur ardor.
Transvorsosque volare per imbreis fulmina cernis:

In *quamquomque* dedit *partem* natura meatum: sed Avienus, modo collatus, nihil favet.

Ver. 209. *terram:* sic omnes, præter G. L. M. qui *terrâ;* haud ingratam per varietatem, et fortasse vere: vide nos ad i. 889. Re denique in animo repetitâ, non aliter imprimendum curavimus, Theocrito potissimum inducti, ad xiii. 50. ubi, quod adsolet, multum agendo nihil agit Wartonus:

——————— *κατηριπε δ' ες μελαν ὑδωρ*
Αθροος, ὡς ὁκα πυρσος απ' ωρανω ΗΡΙΠΕΝ *αστηρ*
Αθροος ΕΝ ΠΟΝΤΩ.

Ibi parem regiminis diversitatem, ornatûs gratiâ, poëta mellitissimus exhibuit; in quo præiverat Homerus, Il. E. 75.

Ηριπε δ' εν κονιη.

Similiter Hyginus, fab. cxxxix. "Juno "autem Jovem *in* Cretensi *insulâ* detu- "lit."—Cæterum, verius de hac re Ovidius exposuit, met. ii. 222.

Ver. 210. *summo:* Π. *summa;* Δ. *æthereo;* ex glossâ, ut videtur.—*dissupat:* Π. *discipat;* qui pronunciationis error est.

Ibid. *vortice.* Cassiodorus de orthographiâ, p. 2283. "*Vortex* olim ita per *o*, "hodie *vertex* per *e:*" nam nugantur hi grammatici, qui distinctionem horum vocabulorum comminisci cupiunt: adi nos in i. 902. unde prorsus importune Gronovius, ad Julium Firmicum, p. 433. pro "Nili rapidis *verticibus,*" emendandum edixit *vorticibus.*

Ver. 211. *arva:* G. *arvem:* i. e. opiner equidem, *arvom.*

Ibid. *lumine conserit arva:* vide me ad i. 9. Exemplum hujusce figuræ, perquam speciosæ, dederat nescio quis apud Aristotelem in poëticis:

——————— ΣΠΕΙΡΩΝ *θεοκτιστον* ΦΛΟΓΑ:

Hinc divinaveram depravatum Manilii versum sanandum esse, et conjecturam firmat codex Gemblacensis, i. 742.

——————*flammas* totum *sevisse* per orbem: vulgo, *sævisse:* sed non vacat versus ulceribus scatentes curiosius tractare. His autem Miltonus nostras longe præluxit, Par. amiss. v. 1.

Now Morn, her rosy steps in th' eastern clime
Advancing, *sow'd the earth with orient pearl.*

Nec minore cum elegantiâ, ibid. ver. 430.

——— though from off the boughs each morn
We brush mellifluous dews, and find *the ground*
Cover'd with *pearly grain.*

Ex Ambrosii hymnis, ii. 2. me mendam summo cum jure ablaturum esse nemo non fatebitur:

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem *proserens.*

Libri, *proferens:* de quâ scribarum aberratione, vide notata ad ver. 28. hujusce libri. Omnem dubitationem tollet Avienus, orb. desc. 580. ita distinguendus, ut fulgore suo rideant versus nitidissimi:

Isthmi terga dehinc geminus circumlatrat æstus,
Parte Ephyres; piceas quâ nox agit atra tenebras,
Et matutinus quâ *lucem proserit* ortus.

Ver. 212. *vergitur:* i. e. effunditur; ut noster, v. 1008. De hac autem figurâ diximus ad ver. 147. nuper. Statius, Theb. vi. 211.

Spumantesque mero, pateræ *verguntur*—.

Ver. 213. *Transvorsos.* Non retinet in hoc loco propriam significationem suam vocabulum *Transvorsos,* nempe *recto contrarios:* sed tantummodo "a tractu ful- "minis diversos." Neque aliter, opinor, Virgilius, Æn. v. 19.

Mutati *transvorsa* fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt, venti:

i. e. cursu veniunt priori contrario. Seneca, nat. quæstt. i. 1. "Audi quid de "*ignibus* philosophia velit, quos aër *trans*- "*versos* agit." Hæc tamen interpretatio, quæ sola Lucretii loco competit, si cui nimis coacta atque arguta videatur, ille mecum fortasse levissimam textûs im-

Nunc heic, nunc illic, abruptei nubibus, ignes
Concursant; cadit in terras vis flammea volgo.
Illud in hiis quoque te rebüs cognoscere avemus:

mutationem præferet, ad hanc normam conformati:

*Transvorsos*que volare per igneis fulmina cernis:

ut obliquitas motûs redeat ad *fulmina;* quod res ipsa potius requirit: conferas ver. 217. Sic Lucanus, i. 154. de *fulmine:*

—— *obliquâ* præstringens lumina *flammâ.*

Ibid. *volare fulmina.* Hinc Virgilius, Æn. v. 319. sed audacius ibi, quam sobrium decuerit:

——— et ventis, et *fulminis* ocyor *alis.*

Cæterum, V. ed. pro *Transvorsos* exhibet *Terras versos;* qui fluxit error a compendio *Trās.*

Ver. 214. *heic—illic.* Ipso poëtâ id a me precibus importunissimis flagitante, non denegare potui receptæ lectionis vel contra libros immutationem ex conjecturâ, pro *hinc* et *illinc:* et quam facilis fuerit corruptelæ ratio, quis non celerrime intelligit? Vide Drakenborchium, Liv. xxvi. 13. 13. Voces, quas ausi sumus ejicere, tenor argumenti plane respuit. Id nempe diluere vult Lucretius, quod contra rationes ejus quilibet afferre poterat; quibus affirmatur, "nullam corpoream "rem suâ vi posse sursum ferri." Ostendit enim flammas, in quascunque demum partes, indifferenter ferri; sursum, deorsum, vel transverso cursu: et ignes, nubibus erumpentes, vel ad *hunc* vel ad *illum* locum, (in terris puta positum, cælo, aut aëre denique) nullo discrimine *concurrere,* ac convergere solere. Vides, opinor, stationem suam ut nequeant tueri vulgo receptæ voces *hinc* et *illinc,* quum de *certo* loco fingantur ignes provenire; *nubibus* utique, et *cælo.* Porro lexicographi quidam, τοὺς *hinc* et *illinc* sensum τὸν *hic* et *illic* affigentes, et re ipsâ, et exemplis, ad hoc allatis, egregie falluntur.

Ibid. *abruptei nubibus ignes.* Hemistichium aliquantulo variare voluit, si modo variaverit, Virgilius, Æn. iii. 199.

——— Ingeminant *abruptis nubibus ignes.*

Operæ pretium fuerit ibi Burmannum consuluisse et Drakenborchium ad locum Silii memoratum. Conferas, in utramque partem, Virg. geo. i. 446. Æn. ix. 671. Mihi τὸ *abrupti* in Virgilio etiam accipiendum esse, quamvis in diversum abeant exempla MSS. et Macrobius, videri non diffiteor. *Abrupti* scilicet, *se abrumpentes,* exquisitius est multis vicibus, et doctius. Statius, Theb. i. 353.

——————— *abrupta* tremiscunt
Fulgura; et, attritus subitâ face, rumpitur æther.

Ubi præpropera repetitio vocis *rumpitur,* nec ingenii mediocris ubertati, nec auribus vulgaribus, admittenda, mihi est pro indice certissimo gravissimam aliquam depravationem delitescere. Nihil opis est vel in codicibus vel scholiaste; neque ipse aliud ausim spondere, præter conjecturam, vix ad ductus literarum expressam satis, sed animoso poëtâ certe dignissimam; quam proinde non dubitabo lectoribus proponere, ut saltem vice cotis aliorum ingeniis fungatur:

—— et, attritus subitâ face, *funditur* æther.

Adi prolata ad ver. 147. v. 468. vi. 204. 690. Macrobius autem, Sat. vi. vel in Lucretio legit *abruptis.*

Ver. 215. *Concursant.* Non valet hoc verbum simpliciter *concurrunt,* ut interpres; sed *sæpius,* iterumque iterumque, *concurrunt:* confer iii. 396.

Ibid. *cadit in terras volgo.* Quasi dixerat: "Non raro ad ipsas terras, itinere "directo, et naturæ suæ conveniente, ca"dit flamma: adeo ut obliqui motus ejus, "qui efficiunt, ut aliquoties videatur ter"ram aufugere, et superiora petere, sint "ex aliis fortuitis caussis explicandi, et "a vi quâdam externâ deriventur."

Ibid. *vis flammea.* Arnobius, lib. iii.

Corpora, quom deorsum rectum, per inane, feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme,
Incertisque locis, spatio depellere paullum:
Tantum, quod minumum mutatum dicere possis.
Quod, nisi declinare solerent, omnia deorsum,
Imbris utei guttæ, caderent per inane profundum;

p. 117.—" æthera—flagrantem *vi flam-* " *meâ*, atque ardoris inexstinguibili vasti- " tate." Hinc fortassis ille idem castigari debet ad lib. vi. p. 207. " Ubi Juno " regina, cum inclutum ejus fanum, sa- " cerdotemque Chrysidem, eadem *vis* " *flammea* Argivâ in civitate deleret?" Vulgo, *flammæ*. Hanc autem sermonis formulam Græcis acceptam Romani referunt. Sic, exempli gratiâ, Homerus, Il. Z. 182.

Δεινον αποπνειουσα ΠΥΡΟΣ ΜΕΝΟΣ *αιθομενοιο.*

Vide alia de hac re infra, ad vi. 802.

Ver. 216. *avemus:* Vind. V. ed. B. G. L. M. Σ. *habemus:* qui scribarum error est longe frequentissimus, ob consimilem sonum literarum *b* et *v*. De hac autem atomorum declinatione, quam ut ruenti suæ hypothesi suffultum irent, sibi finxerunt Epicurei, atque hic ponit Lucretius, ille Romanorum disertissimus copiose disseruit, et ex professo, ad i. 6. de finn. qui consulendus est cum enarratoribus ejus, si plura velis ad hanc sententiam pertinentia: nam sunt prolixiora, quam quæ commode possint in has chartas importari. Interea, eâ cum evidentiâ argumentum noster explicuit, ut vix interpretis indigeat, quantumcunque res ipsa sit subtilior, atque veritatis aliena.

Ver. 217. Miror, ut ambiguitas omnis amoveretur, non scripsisse nostrum, uti superius, ver. 198. ad hanc normam:

Corpora, quom deorsum *rectâ* per inane feruntur.

Nos punctorum, qualem potuimus, opem tulimus. Non aliter Cicero, in hac materie versatus, de nat. deor. i. 25.—" Epi- " curus, cum videret, si atomi ferrentur " in locum inferiorem suâpte pondere, " nihil fore in nostrâ potestate, quod es- " set earum motus certus et necessarius; " —ait atomum, cum pondere, et gravi- " tate, *directâ deorsus feratur*, declinare " paullulum."

Ver. 218. *incerto:* V. ed. *in certo*, divisis vocibus: ut statim *In certis* etiam: sed vide ver. 250.—*ferme:* Vind. V. ed. L. M. Δ. *firme;* Π. *firment.*

Ver. 219. *depellere:* sic Vind. V. ed. et omnes libri MSS. nisi quod Pius affirmet, quædam exemplaria probatæ fidei habere *decedere:* quam lectionem ut a Lucretii manu credam processisse, hæc imprimis obstat cogitatio; tam protritam nempe vocem, et loci rationibus undequaque commodam, aberrationibus scribarum haud obnoxiam exstitisse. Vulgus editorum scribunt, *se pellere;* ipse autem neutram talis vocabuli significationem in Lucretio, qui tot exempla prorsus consimilia suppeditet, damnare formidaverim. De hac re sæpius mihi venit usus lectorem admonere. Si pronomen sit omnino necessarium, sic fortasse cum minore dispendio probabilitatis interpolari possit:

Ponderibus propriis *se* incerto tempore ferme,
Incertisque locis, spatio *depellere* paullum:

sed meum fert judicium, ut, in hac Latinitatis vetustioris obscuritate, exemplarium fidelissimorum tutioribus testimoniis contenti simus acquiescere. Unam saltem dictionem ex hac familiâ, *appello* scilicet, et Græcam *βαλλω* non diversam, intransitive multoties esse usurpatas, omnes novimus.

Ver. 220. *momen* præstat (dum reliqui omnes habent *minimum*) Π. et, si fides Havercampi silentio, L. M. sed de horum

Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principiis; ita nihil umquam natura creasset.
Quod, si forte aliquis credit graviora potesse
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere ex supero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ possint genitaleis reddere motus;

codicum testimonio me non leves suspiciones commotum habent. Vehementer sane meus inclinat animus, ut *momen* illud correctorum acumini potius tribuam, quam germanæ manui poëtæ: sed de hoc alii suum judicium intermisceant. Vide mox venientem ver. 244. ad quam normam Cicero, laudatus Creechio, locutus est in libello de Fato, sect. 20.—"cur "atomi *minimo* declinent intervallo, ma-"jore non? aut cur declinent uno *mini-"mo*, non declinent duobus, aut tribus?" Idem non minus apposite locutus est eodem libro, sect. 10. "Sed Epicurus de-"clinatione atomi vitari fati necessitatem "putat. Itaque, tertius quidam motus "oritur extra pondus et plagam, cum de-"clinat atomus intervallo *minimo:* id ad-"pellat ελαχιστον."

Igitur, si vetustissimæ membranæ Leidenses τῳ *momen* suffragari non invenientur, το *minumum* pro genuinâ scripturâ omnino accipiendum putem. Denique, re ad unguem pressiorem exploratâ, *minumum* amplexus sum, multum dubitans, an *momen* auctoris menti probe satisfaciat.

Cæterum, hanc rem attingit Plutarchus, ii. p. 964. C. in loco non intellecto editoribus, sic autem scribendo et explicando: Ουδε γαρ αυτοι τῳ Επικουρῳ διδοασιν ὑπερ των μεγιστων σμικρον οὑτω πραγμα και φαυλον, οιμαι, ατομον παρεγκλιναι μιαν επι τουλαχιστον, ὁπως ΚΑΙ αστρα και ζωα τυχη παρεισελθῃ, (*ut fortuna et astra et animalia pertingat*) και το εφ' ἡμιν μη απολειται· δεικνυναι δε το αδηλον, (*poscunt* nempe, verbo aliquantulum alio τῳ διδοασιν subintellecto: de quâ re nos ad i. 1085) η λαμβανειν τι των προδηλων· ΚΑΘΑ προσηκει ΤΙ περι των ζωων ὑποτιθεσθαι προς την διακοσμησιν, ει μηθ' ὁμολογειται, μητ' αλλως αποδεικνυσιν. Quæ sunt longe planissima.

Ibid. *Tantum quod:* i. e. "*in* tantum "*intervallum* declinare, *ad* quod possis "dicere minimam a lineâ mutationem "fieri." Phrasis *tantum quod* tam de *tempore minimo*, quam de *minimo spatio*, usurpari solet. Hinc bene glossarium vetus: "*Tantum quod*, αρτιως:" i. e. μικρον ὁσον ὁσον, uti scriptor ad Hebræos luculentissimus locutus est. Suetonius, ii. 63.—"filio, *tantum quod* pueritiam "egresso." Et ibidem, sect. 98.—"de "navi Alexandrinâ, quæ *tantum quod* "adpulerat." Hæc autem exempla sero inveni occupata Gronovio, qui multa congessit ad Liv. xxiii. 4. fin. tibi, lector, consulendus, cum Salmasio, Plin. exercitt. in Solin. cap. xix. fin.

Ibid. Lego:

Tantum quod minimum *nutare ut* dicere possis:

ut *paullum clinare*, ver. 253. BENTLEIUS.

Libenter accederem usque illud *ut*, quod facile elabi posset ob syllabam præcedentem; ut versus ita constituatur:

Tantum quod minumum mutatum *ut* dicere possis.

Certe hinc structura mollior exsurgit; sed emendatio tamen minus necessaria existimanda est.

Ver. 222. *Imbris:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. *Imbres.*—*utei:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. (et reliqui, opinor, qui habent *imbres*, ut ut taceat Havercampus) *ut;* fortasse vere: ut *imbres guttæ* dictum sit ad morem των *fama anus*—ανηρ βασιλευς—et mille consimilia, tam in Græco-

Avius a verâ longe ratione recedit.
Nam, per aquas quæquomque cadunt atque aëra deorsum,
Hæc pro ponderibus casus celerare necesse est:
Propterea, quia corpus aquæ naturaque tenuis
Aëris haud possunt æque rem quamque morari;
Sed citius cedunt, gravioribus exsuperata.
At contra nulli, de nullâ parte, neque ullo
Tempore, inane potest vacuum subsistere rei;
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per inane quietum
Æque, ponderibus non æquis, concita ferri.

rum, quam Latinorum, monumentis; et nos alicubi de his formulis nonnihil diximus, si recte modo recordemur, ad Euripidis Iona.

Ver. 224. *umquam:* Π. Ω. *nunquam;* ut ver. 240.

Ver. 225. *si:* B. *nisi.*—*credit:* P. *credat.*

Ibid. *potesse.* Hanc antiquiorem verbi formam variis in locis Plautus posuit; Terentius etiam in Eun. iv. 3. 24.

Sed nihil *potesse.*

Ver. 227. *ex supero:* V. ed. *exupero,* ut etiam ad ver. 241. Vind. P. *e supero;* Π. *ex specto.*—*plagas:* sic Δ. Σ. uti superscriptum dat eâdem manu M. *plag.* in liturâ L. reliqui omnes, *plagis:* sed *plagas* mens poëtæ flagitat, et bene reposuit Lambinus, collato statim veniente ver. 241. Si *plagis* germana sit Lucretii scriptura, τῷ *gignere* inhæret vitium. Tum forte:

——————— atque ita plagis
Stringere, quæ possint genitaleis reddere motus:

i. e. "atque ita impingere cum iis plagis, quæ possint—."

Ibid. *ex supero:* i. e. loco; ut Plautus, Amph. iii. 4. 18. *De supero.*

Ver. 228. *possint:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *possit;* unde mihi videor verissime demum valere locum constituere ad librorum fidem:

——————— atque ita *plagis*
Gignere, quæ *possit genitalis* reddere motus:

i. e. "ita plagis ea gignere, quæ sunt a "motu genitali speranda." Lector eruditus dijudicet.—Porro, vice *motus,* P. *mores:* et, in versu sequente, V. ed. *recedat.*

Ver. 230. *aëra:* V. ed. *aerea;* et cum Π. huic voci τὸ *quæcunque* subjungit.—*deorsum:* L. M. *rarum;* G. *arum:* sed, hac admissâ lectione, delumbis evadit ver. 232. et omnino supervacuus.

Ver. 231. *Hæc:* Ω. *Nec.*—*celerare:* Δ. *tolerare,* et codices quidam Pii.

Ver. 233. *Aëris:* Δ. *Aër.*—*æque:* Ω. *aque;* cui deest etiam *que* in versu præcedente.

Ver. 234. *cedunt:* Ω. *redunt.*—*exsuperata:* P. Vind. V. ed. Π. Σ. *exsuperatæ;* sed receptam malim: vide ad i. 866. 889. B. *exsuperate.*

Ver. 236. *rei:* sic omnes libri semper, cum quibus mihi res est; editoribus autem plerisque visum est de suo *reii* nobis benignius, quam par erat, elargiri: vide v. 103. et cum hoc loco committas i. 1078.

Ver. 237. *Quin:* V. ed. *Quum;* Vind. B. *Cum;* Σ. *Quom:* literis *in* pro solito in *m* coagmentatis: vide ad ver. 196.

Ver. 238. *inane quietum:* i. e. corporibus transitum *quietum* præbens, nihilo

Haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
Ex supero graviora, neque ictus gignere per se,
Quei varient motus, per quos natura gerat res.
Quâ re etiam atque etiam paullum inclinare necesse est
Corpora, nec plus quam minumum; ne fingere motus
Obliquos videamur, et id res vera refutet.
Namque hoc in promptu, manifestumque, esse videmus;
Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
Ex supero quom præcipitant, quod cernere possis.
Sed nihil omnino rectâ regione viaï
Declinare, quis est, qui possit cernere, sese

remorante, vel offendente. Virgilius, Æn. v. 216.

——————— mox, *aëre* labsa *quieto*,
Radit iter liquidum:

ubi vis nominis *quieto* non aliunde, quam per Lucretium, explicari debet.—Cæterum, pro *quapropter*, V. ed. *quia propter*. Epicuri porro locum, apud Diog. Laërt. x. 61. Creechius prior laudavit, neque nobis etiam negligendum; et effatis verioris philosophiæ reperitur omnino consentaneus, per experimenta in vacuo, contra nemini dicenda. Ipsissima verba scriptoris Græci sic se habent: *Και μην και ισοταχεις αναγκαιον τας ατομους ειναι, ὁτ᾽ αν δια του κενου εισφερωνται, μηδενος αντικοπτοντος· ουτε γαρ τα βαρεα θαττον οισθησεται των κουφων, ὁτ᾽ αν γε δη μηδεν απαντᾳ αυτοις· ουτε τα μικρα των μεγαλων, παντα πορον συμμετρον εχοντα, ὁτ᾽ αν μηθεν μηδε εκεινοις αντικοπτῃ· κτλ.* sic legendum, omissis ante *κουφων* verbis inutilibus *μικρων και:* et in iis, quæ sequuntur, longiora sane nobis, et lectori melius adeunda, si leviter interpungas post *των ιδιων βαρων*, et statim venientia, usque ad *πληξαντος δυναμιν*, intra parenthesin claudas; bene concinnam habebis, atque longe clariorem, periodum, susque deque habitam in libris, et sensu probabili carentem.

Ver. 240. *poterunt:* V. ed. B. G. L. M. *potuerunt;* procul dubio mendose.—*umquam:* Δ. *nunquam.*

Ver. 242. *gerat:* B. *gerit.* Lambinus ex ingenio reposuit *genat*, audacissime; et probavit Creechius, ineptissime.

Ver. 243. *inclinare:* sic omnes libri: sed *clinare* placuit editoribus; nec mihi sane minus arrideret, si scriptis exemplaribus, atque antiquis editionibus, prius arrisisset: his autem aliter visum, et nobismetipsis præter testium horum fidelium auctoritatem sapere non permittitur. Aliter proba vox est *clino* simplex: vide mox ad ver. 292. *Inclinare* autem, *de lineâ flectere;* intransitive, ut multum noster diligit.

Ver. 244. *ne fingere motus videamur.* Festivum hominem! Quasi vero non satis esset ad libidinem fictionis, saltem physico, in hoc ipso clinamine principiorum!—Cæterum, pro *ne*, Π. *ve;* B. *nec.*

Ver. 245. Hos motus obliquos Epicurus philosophiæ Democriti superinduxit. Plutarchus, plac. phil. i. 23. *Δημοκριτος, ἑν γενος της κινησεως, το κατα παλμον· Επικουρος, δυο ειδη της κινησεως, το κατα σταθμην, και το κατα παρεγκλισιν:* uti discimus etiam ex Ciceronis philosophicis, ad locos antea nobis memoratos.

Ver. 247. *in se est:* Vind. V. ed. B. G. L. M. Π. Σ. *inest;* vide eandem varietatem supra, ad ver. 205. et erat error multum facilis, ob eam scripturæ brevitatem, solitam librariis, quoties dictio, quam vocalis claudit, verbo substantivo

Denique, si semper motus connectitur omnis,
Et veteri exoritur semper novus ordine certo;
Nec declinando faciunt primordia motûs
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne caussam caussa sequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus exstat,
Unde est hæc, inquam, fatis avolsa, voluntas,

præeat: et hanc sane scripturam servat editio Bononiensis; *in sest* utique.

Ver. 248.—*Ex supero—quod:* P. *E supero—quo.*

Ibid. *præcipitant:* i. e. in præceps cadunt; neutre, pro *præcipitantur:* ut Virgilius, *Æneïd.* ii. 9.

——— nox humida cœlo
Præcipitat.

Sic idem alibi, ut Plautus, aliique, cum nostro rursus, ad iv. 632.

Ver. 249. *rectâ:* O. Δ. *potis est;* unde nihil elicio: et, in versu sequente, Π. *potest* habet, vice *quis est.*

Ver. 250. *Declinare sese.* Verbum *declinare* hoc loco jungitur cum quarto casu, et est *ενεργητικον* ut apud Virgilium, *Æn.* iv. 185.

——— nec dulci *declinat lumina* somno:

et apud M. Tullium de fato: "Quæ ergo nova caussa in naturâ est, quæ *declinet atomum?*" Lambinus. Sic noster iterum, ver. 259.

Ver. 251. *motus:* Vind. B. L. M. Δ. Π. Σ. *motu;* adeo ut vitii quiddam subesse videatur; sed altius latet, quam ut sim equidem ei eruendo par.

Ver. 252. *veteri:* sic solus Δ. sed formam poëtis dilectiorem amplexus sum: vide Priscianum, lib. vii. p. 763. reliqui omnes, *vetere.*

Idem liber, et O. omittit *semper*, et interpolat *atque* post *novus:* quæ omnia corruptelæ suspicionem confirmant.—G. hic inserit ver. 305. et in M. desiderantur sequentes versus usque ver. 303.

Ver. 253. *Nec:* Vind. V. ed. *Ne;* Δ. *Hæc;* error ob similitudinem *N* et *H* in scripturâ membranarum.

Ver. 254. *fatis:* B. Pii quidem codices, Δ. Π. *nati*, ut Ω. etiam; sed *fati* manus eadem superscripsit: Vind. Σ. *vati.*

Ver. 257. *avolsa:* Ω. *inavolsa.*—*voluntas:* sic Vind. Π. soli; cæteri, *voluptas:* ast hæ voces, ut erat sperandum, passim confunduntur.

Ver. 258. *quo:* B. *qua.*—*quemque:* V. ed. B. Ω. *quæque.*—*voluptas:* P. Vind. L. Σ. *voluntas;* sed nostram lectionem Maro tuetur, ecl. ii. 65.

——— *trahit sua quemque voluptas.*

Porro, O. Π. integer versus deest; et sane non omnibus suis numeris locus videtur consonare.

Ver. 259. *tempore certo.* Virgilius, geo. iv. 100.

——— hinc cœli *tempore certo*—.

Ver. 260. *uti:* omnes libri dant *ubi*, si excipias Σ. qui præbet *ut;* unde illud *uti* effecimus, loco longe convenientius: sic enim utramque rem, tam *tempus* declinandi scilicet, quam *regionem*, vox, ut par est, respicit.—*ipsa* deest Π.

Ibid. *regione loci certâ.* Idem Maro, geo. i. 60.

——— has leges, æternaque fœdera, *certis*
Imposuit natura *locis.*

Ver. 261. *Nam:* Π. *Nec.*—*sua quoique*, vel *cuique:* V. ed. Π. Σ. *suavique.*—*voluntas:* Ω. *voluptas.*

Ver. 262. *motus:* V. ed. Π. Σ. deest omnino vox; Ω. *homines.* An *omnes?* scilicet *hæ res.*

Ibid. *rigantur:* i. e. sparguntur—diffunduntur—propagantur: conferas iv.

Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas;
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certâ, sed uti ipsa tulit mens?
Nam, dubio procul, hiis rebus sua quoique voluntas
Principium dat; et hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum

594. Accius apud Servium, ad Virg. Æn. xii. 605.

En! ut lanugo *flora* nunc demum *irrigat;*

i. e. perspargit. Addas fidissimum asseclam Lucretii, Arnobium dico, lib. ii. p. 43. in loco non indigno, qui et hic legatur haud mutilus discerptusque: "An ulla "est religio verior, officiosior, potentior, "justior, quam Deum principem nosse, "scire Deo principi supplicare; qui bo-"norum omnium solus caput et fons est, "perpetuarum pariter fundator et condi-"tor rerum; a quo omnia terrena cunc-"taque cœlestia animantur, *motu irrigan-* "*tur*que vitali?" Tullius etiam apposite in Arateis, ver. 259.

Propter, Aquarius obscurum dextrâ *rigat* amnem:

i. e. diffundit, dispergit. His autem lucem dabunt Manilii quidam versus nobilissimi, ii. 60.

Namque canam, tacitâ Naturæ mente potentem,
Infusumque Deum cœlo, terrisque, fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem;
Totumque alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu; cum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque *irriget* orbem,
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret:

irriget nempe, agitet; se propagans dispergensque.

Optimo cum successu æmulatus est Maronem, ad Æn. vi. 726. Et hæcce est primi versûs constructio: "Canam Deum, "qui tacitâ mente Naturam regit, et cœ-"lo infunditur." Quod latuit Bentleium; ideoque reposuit vir summus ex ingenio, *Naturam*. Hunc autem locum serus intellexi Creechio esse præfloratum.

Ver. 263. Hos egregios Lucretii versus in animo habuit Mantuanus, ad geo. iii. 103.

Nonne vides, quum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque, effusi *carcere*, currus—?

Huic etiam igni facem suam inflammandam Statius admovit, Theb. vi. 390. nihil præteriens, unde propria descriptio floridior enitesceret. Versus dabimus meliorum ope distinctionum non mediocriter claratos, atque summam ob excellentiam nihil decurtatos:

——jamque locus cuique est, et liminis ordo.
Terrarum decora alta, viri, decora alta, jugales,
Divûm utrumque genus, stant uno margine clausi.
Spesque, audaxque unâ metus, et fiducia pallens,
Nil fixum, cordi: pugnant exire, paventque:
Concurrit summos animosum frigus in artus.
Qui dominis, idem ardor equis: face lumina surgunt:
Ora sonant morsu; spumisque, et sanguine, ferrum
Uritur: impulsi nequeunt obsistere postes,
Claustraque compressæ transfumat anhelitus iræ.
Stare adeo miserum est, pereunt vestigia mille
Ante fugam; absentemque ferit gravis ungula campum.

Conferas nostrum, vi. 593. In ultimo versu non placet de *velocissimis* equis illud *gravis ungula*. An scripserit Papinius?

——absentemque *levis pavit* ungulâ campum.

Vide Lucretium ad ver. 376. hujusce libri: Maro tamen vulgatam lectionem ita tuetur, ad geo. iii. 88. ut periculosissimum

Vim cupidam tam de subito, quam mens avet ipsa?
Omnis enim totum per corpus materiaï
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut studium mentis connexa sequatur:
Ut videas initum motûs a corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum;
Inde dari porro per totum corpus, et artus.
Nec simile est, ut quom, inpulsei, procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnoque coactu;

sit novare. Ascribi debet etiam animosissima Sidonii Apollinaris descriptio, ad Statii picturam studiosissime colorata; cujus Barthius item πολυμαθεστατος non oblitus est. Exstat in carm. xxiii. et maculâ, quæ dehonestat, per opem meam expurgabitur. De equis, cursum exspectantibus, loquitur poëta:

Illi ad claustra fremunt, repagulisque
Incumbunt simul, ac per obseratas
Transfumant tabulas, et ante cursum
Campus *saltibus* occupatur absens.
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardescunt, saliunt, timent, timentur;
Nec gressum cohibent, sed inquieto
Duratam pede stipitem flagellant.

In quarto versu libri habent *flatibus.*—Cæterum, vox *puncto* in Π. non comparet; et Pii antiqua exemplaria habent, *primo*. Quidam scilicet eâdem de causâ, non concoquentes utique phrasim, *puncto tempore*, quamvis alibi usurpet noster, reponere volebant in hoc loco vulgatiorem formam, *temporis puncto*, ad. i. 1102. adhibitam; sed audacter et indocte. Apuleius, met. ii. p. 98.—"quodvis animal "*puncto* reformat:" i. e. *puncto tempore*; sed plene maluit dictum Lucretius. Sic ille alibi metamorphoseon lepidissimus confector. Arnobius, lib. v. p. 164.—"in "*puncti* spatio poma extulit mitia:" i. e. *puncti temporis*. Prior formula Græcis usitatior; ut S. Lucæ, iv. 5. *εν στιγμη χρονου*.

Ver. 264. *equorum:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *quorum; e* scilicet elapsâ ob vocis præeuntis terminationem. Ulcere, hinc derivato, laborat Aristides, ad introitum orationis prioris Siculæ, tom. i. p. 563. ed. Oxon. *Εστι δη πρωτον, ω Αθηναιοι, της συμβουλης, επανειναι της παρουσης αθυμιας, λογιζομενους, ὡς οὐδεν ΔΙ' ἑτερον παρ' ἡμιν οὑτω ταδε διακειται: ob nullam nostram culpam.* Vulgatis deest ΔΙ', absorptum præcedente N, iisdem calami ductibus deformato.

Ver. 265. *de subito:* Σ. *et subito.*—*avet:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *habet:* qui perpetuus error est scribarum, et in superioribus a me notatus.

Ibid. *de subito.* Hujusce formulæ Nonius affatim exemplorum tibi præbebit in vocibus; qui Lucretium laudat, et vitiosorum librorum, *το habet* utique, lectionem exhibet. Comparet etiam phrasis *de subito* in editione Bentleianâ Terentii, Heaut. iv. 2. 6. et Cari nostri meminit Maximus Victorinus, in art. gramm. ad finem capitis de *adverbio*.

Ver. 268. *connexa:* Δ. *convexa;* sinceram poëtæ scripturam, nî fallor, proxime præstringens:

—— ut studium mentis *convecta* sequatur:

i. e. "materiæ copia conquiritur et con-"cietur, ut, postquam *concita* sit atque "*conquisita*, (i. e. *convecta*, unâ voce "duabus comprehensis) voluntati mentis "obsequatur." Interpres, cum dicit, conjunctæ, vel *uno impetu emissæ*, nonnullarum editionum lectionem alludit, *connixa* nempe; neutiquam meo saltem

Nam tum materiem totius corporis omnem
Perspicuum est nobis invitis ire, rapique,
Donec eam refrenavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellat, et invitos cogat procedere sæpe,
Præcipitesque rapi; tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque, possit:
Quoius ad arbitrium quoque copia materiaï
Cogitur interdum flecti per membra, per artus;

suffragio comprobandam.—*sequatur:* Π. *sequantur.*

Ver. 269. *initum:* sic P. Δ. vide nos ad i. 13. reliqui, *initium:* nihil interest, et nescias utram utri præferas; confer Horat. od. iii. 4. 41. et ejusdem libri, vi. 6. de quorum locorum orthographiâ alicubi puerile nimis judicium tulit Jortinus nostras.

Ver. 271. *porro:* i. e. alterius per progressionem. "*Porro,* ἑξῆς:" glossarium vetus; bene. Virgilius, Æn. v. 600.

——— hinc maxuma *porro*
Excepit Roma.

Porro, per successionem utique. Nihil agit Servius ad locum. Et ita legendum est, vi vocis *excipio* maxime propriâ: i. e. "Roma habuit post decursum temporis, "per manus altero alteri traditum ex ordine." Vulgo, *Accepit;* male: vide me ad Æn. i. 434. et mox ad Lucretium, v. 827.

Ver. 272. *inpulsei:* Ω. *impulsu;* unde non inelegante constitutione locum sic reficias:

Nec simile est, ut, quom *inpulsu* procedimus, *ictei*
Viribus alterius magnis—.

Virgilius, Æn. viii. 239.

——— *inpulsu* quo maxumus *intonat* æther.

Ver. 273. *alterius:* Π. *alternis:* vide ad ver. 237. et i. 1010.

Ibid. *coactu.* Quâ voce Cæsar usus est, bell. Gall. v. 27. 3. "*coactu* civitatis:" et Ausonius, epig. 128. 4.

Triquetro *coactu* Delta literam ducit.

Sic etiam alicubi M. Tullius.

Ver. 274. *materiem:* sic P. Vind. V. ed. L. O. Π. cæteri, *materiam.*

Ver. 275. *est nobis:* L. *nobis est.*

Ver. 276. *Donec:* ita P. Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. Ω. editur vulgo, *Donicum eam:* V. ed. B. *causa;* Pii quidam codices, *clausa;* in Π. omnino desideratur. An legendum?

Donec *caussa* refrenavit per membra *volutans.*

Ut sit *caussa volutans per membra,* vel "caussa se per membra promovens," periphrasis *voluntatis.* Et sane Vindobonensis codex clare exhibet *volutans,* pro *voluntas:* nec cuivis rem vel perfunctorie attendenti non erit manifestissimum, dictionem *volutans,* ob frequentiorem usum τῦ *voluntas* in hoc loco, librariorum vel importunitatem, vel negligentiam, difficulter essé evasuram. Sed judicium suum lector interponat.

Ver. 277. *extera:* Vind. V. ed. Π. Σ. *extrema;* P. *extima:* et Π. alium dat ordinem verborum:

——— *multos* vis extera *quamquam.*

Bentleius legendum jubet *multa,* pro *multos;* sed non est contra libros audiendus.

Ver. 278. *Pellat—cogat:* sic P. L. Π. Σ. *Fallat—cogat,* Vind. V. ed. O. Δ.

Et projecta refrenatur, retroque residit?
Quâ re, in seminibus quoque idem fateare, necesse est;
Esse aliam, præter plagas et pondera, caussam
Motibus, unde hæc est ollis innata potestas:
De nihilo quoniam fieri nihil posse videmus.
Pondus enim prohibet, ne plagis omnia fiant,
Externâ quasi vi: sed, ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agundis,
Et, devicta quasi, cogatur ferre, patique;
Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certâ, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit umquam materiaï

Vulgo, *Pellit—cogit;* quorum utrumque habet Ω. posterius, Δ.

Ver. 279. *rapi:* sic optime P. reliqui omnes *rapit,* contra ordinem temporum, attractâ venientis vocabuli primâ literâ.—*in pectore:* Vind. V. ed. Σ. *injector:* sed V. ed. dat vulgatum in margine.—*nostro* abest Vind. V. ed. Δ. Π. Σ.

Ibid. *Præcipites rapi.* Maro, geo. i. 203.

Atque illum in *præceps* prono *rapit* alveus amni.

Ver. 280. *Quiddam:* P. V. ed. *Quoddam.*

Ver. 281. *copia:* Vind. Δ. *cona:* Π. *cena.*

Ver. 282. *per membra, per artus:* i. e. per *membra,* et eorum *commissuras.* Ita Virgilius, Æneïd. v. 422.

Et magnos *membrorum artus*—:

ut idem ibidem, vi. 732.

Terrenique hebetant *artus,* moribundaque *membra.*

Isidorus, origg. xi. 1. "*Membra* sunt "partes corporis: *artus,* quibus colligan-"tur membra."

Ver. 283. *residit:* Vind. V. ed. O. Σ. *residet;* Π. *resedit.*

Ver. 285. *aliam caussam:* nempe mentem, vel voluntatem; quam νοημα Epicurus vocitat apud Diog. Laërt. x. 61.—Porro, vice *caussam,* Π. *caussas.*

Ver. 286. *ollis:* seminibus utique; sic ut mens scriptoris apertissime postulat. Hanc lectionem habet una atque altera editio cum Pii priscis exemplaribus; sed omnes libri, quos sequi soleo, præbent vulgatam dictionem *nobis;* haud dubie perperam, et re ipsâ ad ravim contra vociferante. Cæterum, verbum *est* non legitur in V. ed.

Ver. 288. *Pondus:* "quo solo scilicet "agente, omnia corpora ad perpendicu-"lum sine mutuis collisionibus deferren-"tur." Sed planior est mens poëtæ, quam quæ indigeat enarratoris, et nefas habeo supervacaneis laboriosius immorari.

Ver. 289. *mens:* P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *res:* quæ lectio quo pacto stare possit salvo loci scopo, non equidem valeo intelligere. Ferri poterat fortassis *res ista;* sed, ob brevitatem scripturæ, æque in proclivi fuit librariis conversio τυ *mens* in *res,* ac τυ *ista* in *ipsa.* Vulgatis igitur acquiescendum puto; neque aliter alii editores censuere.

Ver. 290. *Intestinum:* i. e. intus residens —innatum—proprium. Ita Arnobius, lib. 1. p. 20. "Dioneïa Venus proles, viri ma-"terfamilias Troïci, atque *intestini decoris* "publicatrix." Et infra, lib. ii. p. 66. "Vos vestrarum animarum salutem in

Copia, nec porro majoribus intervallis:
Nam neque adaugescit quidquam, neque deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem ante actâ ætate fuere,
Et posthac semper simili ratione ferentur:
Et, quæ consuerint gigni, gignentur eâdem
Conditione; et erunt, et crescent, inque valebunt,
Quantum quoique datum est per fœdera naturaï:
Nec rerum summam conmutare ulla potest vis.
Nam, neque quo possit genus ullum materiaï
Ecfugere ex omni, quidquam est; neque, rursus, in omne
Unde coorta queat nova vis inrumpere, et omnem

"ipsis vobis reponitis, fierique vos deos "vestro fiditis *intestino*que *conatu*."

Ver. 291. *ferre patique*. Horatius, epist. i. 15. 17.

> Rure meo possum quid vis *perferre patique*.

Ver. 292. *clinamen*. Hoc nomen alibi non reperio. Eloquentissimus togatorum verbo plus semel usus est in Arateis:

> —— jam vero *clinata* est ungula vehemens
> Fortis equi propter pennati corporis alam:

et mox ibidem rursus:

> Et *clinata* magis paullo est aquilonis ad auras.

Inferius denique:

> Ponit avis caput, et *clinato* corpore tergum.

Addas epig. 55. lib. iii. Anthol. Lat. Burm.

> Talis humus Venerem molles *clinavit* in herbas.

Cæterum, Π. habet *cinamen;* vitiose.

Ver. 294. *fuit umquam:* P. Vind. V. ed. L. Σ. Ω. *fultum quam;* Π. *fultim que*.

Ver. 296. *Nam* abest Π. et *sunt*, ver. 298.—*neque* posterior: P. V. ed. *nec*.

Ibid. *adaugescit*. Dictionis rarissimæ exemplum egregii versus M. Tullii in Arateis nobis suppeditant sub finem:

> Aut densus stridor, quom, celso a vortice montis
> Ortus, *adaugescit* scopulorum sæpe repulsu.

Ver. 299. *posthac:* Π. *posthæc*, ut alias.

Ver. 300. *consuerint:* Π. Σ. Ω. *consuerunt;* et vulgares etiam editiones.

Ver. 301. *crescent:* V. ed. *crescunt*.—*inque:* sic Pii sola Bononiensis, perleganter: reliqui omnes, *vique*, facili aberratione, neque alias contemnendâ phrasi: redi ad ver. 196.

Ver. 302. *fœdera naturaï*. Virgilius, geo. i. 60.

> —— has leges, æternaque *fœdera*, certis
> Inposuit *natura* locis.

Cæterum, *est* in Π. desideratur: et, in versu sequente, pro *ulla*, Ω. habet *nulla*.

Ver. 305. *rursus* abest Vind. L. O. Π. Σ. *partis;* V. ed.—*omne:* Vind. V. ed. Π. Σ. *omnes*.—Et, in versu sequente, G. *omne*.

Ver. 308. Hicce versus cum tribus sequentibus abest Vind. Δ.—Et occurrit objicienti Lucretius, hos atomorum motus, quos Epicurei fingunt, non posse indesinenter fieri, quum summa rerum, *το παν*, immota perstet, atque imperturbata.—Porro, in versu proximo, Ω. *sunt* habet, loco *sint*.

Ver. 311. *quid motus*. Non promptum est dispicere, qualem constructionem loci noster voluerit: utrum *quid motûs*, in patrio casu, *τινα κινησιν·* an *quid motus dat*, in casu quarto plurali, *ει μη τι κινηθη*. Hæc via nobis videtur doctioribus ingeniis accommodatior.

Naturam rerum mutare, et vortere motus.
Illud in hiis rebus non est mirabile, quâ re,
Omnia quom rerum primordia sint in motu,
Summa tamen summâ videatur stare quiete;
Præter quam si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
Primorum natura jacet: quapropter, ubi ipsam

Ver. 312. *ab:* Σ. *a.—ab sensibus:* V. ed. *absentibus.*

Ibid. *infra.* Nec proprie dictum est, et per tacitam comparationem. "Non "magis hæc primordia usurpari possunt "oculis, quam res longissime dissitæ, vel "etiam sub terrâ positæ; ad quas visus "vel acerrime contentus spatium inter-"jectum perrumpere non valet."

Ver. 313. *ipsam:* sic G. Ω. ut constructio sit: "Quapropter, *prima* debent "motus quoque surpere, ubi nequeas jam "cernere ipsam *primorum naturam:*" unde non ingrata varietas enascitur, et minor vis optimorum librorum testimoniis infertur. P. *ipsos;* Vind. V. ed. L. Δ. Π. Σ. *ipsum;* vulgares editi ex arbitrio, *ipsa.*

Ver. 314. *quoque:* P. *qua.—surpere:* V. ed. B. L. M. Δ. Σ. Ω. *asurpere;* Vind. *assurpere;* Π. *assumere;* P. *serpere*, non male, et fortasse vere, pro "ferri adeo "molli motu tardoque, nostris saltem sen-"sibus, ut observari nequeat." Interea, notum est vocem *surripere* similiter Horatio breviatam legi, in od. iv. 13. 20.

Quæ me *surpuerat* mihi:

atque iterum, sat. ii. 3. 83.

——— unum me *surpite* morti:

ut prior Plautus, Capteiv. prol. 8.

Alterum quadrimum puerum servus *surpuit.*

Sed cum Preigero meum quoque judicium facit, in Lucretio melius scribendum fuisse *surripere*, sine ullâ avulsione syllabarum. —Cæterum, cum τῳ *serpere* Pii το *reptant*, ver. 318. amicissime conspiraret. O. plene, *surripere.*

Ver. 315. *possimus:* P. *possemus.—cedent:* Π. *cedent.*

Ver. 316. *diducta:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *deducta;* sed, extra omnem controversiam, vitiosissime. *Deducere* valet "de loco in locum ducere," vel transportare; *diducere* contra, "seor-"sum per intervallum ducere," vel distrahere—separare: confer me ad ver. 34. hujusce libri, et adeas Servium, in Virg. Æn. i. 224.

Ver. 317. *tondentes:* Π. *tendentes;* mendose. Nihil ultra in membranis variatur; sed haud ægre tamen crediderim, levi mendâ versum obsideri, et Lucretium scripsisse ad hunc modum:

Nam sæpe in colli, tondentes pabula, *late*
Lanigeræ reptant pecudes:

error enim facillimus erat librariis; et hinc argumentum poëtæ adjuvatur, si pecudes latius divagentur; ac major fit similitudinum congruentia, quod fateberis, si compares verr. 325. 326. statim venientes. Sane impetrare a me nequeo, ut sentiam aliud a Cari manu venisse; potissimum, quoties Virgilianam imitationem loci contempler, ad Æn. iii. 538.

Quatuor heic, primum omen, equos in gramine vidi,
Tondentis campum late.

Perlegas, quæ contulimus ad Virg. geo. ii. 144. harum dictionum permutationem spectantia, usitatam satis librariorum nationi. Interea, fatuus essem et temerarius, si probum esse per se το *pabula læta* negatum irem: contendam solummodo Lucretii proposito minus esse tempestivum. Pulchre Juvencus, evang. hist. ii. 427.

Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur: cernens sed millia tanta virorum,

Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent:
Præsertim, quom, quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, spatio diducta locorum.
Nam sæpe in colli, tondentes pabula læta,
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbæ, gemmantes rore recenti;
Et satiatei agnei ludunt, blandeque coruscant:

> Ingemit, ut ruris dominus, cui *pascua læta*
> Innumeræ *tondent pecudes*, rectoris egentes.

Ubi tamen epitheton *innumeræ* facit, ut dictionem *late* minime desideremus: aliter præstitisset *lata*.

Ver. 318. *reptant:* P. O. Δ. *raptant*. Similiter variat ad Stat. Theb. iv. 795. et v. 581. codex MS. seculi duodecimi, in Musæo Britannico, nobis collatus.

Ibid. *Lanigeræ pecudes*. Maro, Æn. iii. 642.

> ——— Polyphemus in antro
> *Lanigeras* claudit *pecudes*.

Ibid. *reptant:* i. e. pedetentim progrediuntur—tardis passibus promoventur: ut de Tibullo otiante Flaccus, epist. i. 4. 4.

> An tacitum sylvas inter *reptare* salubres:

et Plautus, Casin. i. 10. nonnullis infeliciter solicitatus:

> Quid in urbe *reptas*, villice, hic magni pretii?

Ver. 319. *Invitant:* V. ed. Δ. *Immutant*.—*gemmantes:* V. ed. *geminantes*.

Ibid. *herbæ rore*. Virgilius, ecl. viii. 15.

> Quum *ros* in tenerâ, pecori gratissimus, *herbâ*.

Ibid. *herbæ gemmantes rore*. Sic Ausonius, idyll. xiv. 13. multâ cum elegantiâ:

> *Clara* pruinosis canebat *gemma frutetis*,
> Ad primi radios interitura die.

Sic legendum: vulgo, *rara*. Et impense placet erudita Barthii divinatio, *Dei*, i. e. solis; vice *die*. De vocabulis autem *clarus* et *rarus* confusis, vide Burmannum, ad Ovid. met. vii. 622. qui versus ad hunc modum fortasse rescribendus est:

> Forte fuit juxta, patulis *sparsissima* ramis,
> Sacra Jovi, quercus:

vulgo, *rarissima;* quod jure editoribus displicuit. Plinius, nat. hist. xvi. 62. "Item selenitium; cujus est minor aci-"nus, *sparsior* racemus." Calpurnius etiam lectori lauto gratissimus superveniet, meis castigationibus expolitior: ecl. v. 52.

> —— ante diem pecus exeat: humida dulces
> Efficit aura cibos, quoties, fugientibus *umbris*,
> Frigida nocturno tinguuntur pascua *rore*,
> Et matutinæ lucent in gramine *gemmæ*.

Adeas locum, et tecum perpendas rem. Vulgo, *Euris* et *guttæ*. Malis tamen fortassis ad hunc morem:

> Et matutinæ lucent in *germine* guttæ.

Et cum hoc Cari loco committas v. 462. Hæc autem non nimis obstant, quin multum suspicer, germanissimam Lucretii manum ita esse exhibendam:

> Invitant herbæ, gemmantes *flore* recenti:

i. e. *verno* flore—tenero—nuper nato. Flaccus, od. iii. 27. 43.

> ——— meliusne fluctus
> Ire per longos fuit, an *recentis*
> Carpere *flores*?

Appositos versus et lepidissimos Hilarii in genesin, ver. 65. emaculatos, et rectius distinctos, admovebo:

> Tunc condens Pater astra, polos quoque lumine donans,
> Sidera distinguit, variis *pertexta* figuris:
> Lucifer exsurgit, roseusque et fulgidus ore
> Vesper, puniceos spargit Aurora capillos:
> Anguis agit sudum, *sat* important Pleiades imbres:
> Sunt juga, sunt plaustra, *et*, *gemmantes flore*, coronæ.

Vulgo, *pertecta:* poteras *perfecta;* sed allusio est ad *vestes* floribus et animalibus

Omnia quæ nobis longe confusa videntur,
Et veluti in viridi candor consistere colli.

picturatas. Addam denique, ne sim nimius, Venantium Fortunatum, poëm. i. 20. 12.

> *Florea gemmato* gramine prata virent.

A quo tamen error contrarius tollendus est, ibid. 18. 2.

> Est locus, æstifero quamvis sit tempore fervor,
> Quo viret assiduo *rore* refectus ager.

Vulgo, *flore*. Meæ autem conjecturæ subsidio maxime tempestivo venit imitatio Virgiliana, geo. iv. 109.

> *Invitent*, croceis halantes *floribus*, *horti*.

De confusis *flos* et *ros*, adi Burman. Anth. Lat. iii. 292. 49.

Ver. 320. *satiatei:* L. M. *satiat;* volentes fortasse, *satiate;* i. e. "a satietate "ludunt:" vide ver. 1037. Π. *facient.*—*ludunt:* Π. *ludum.*—*coruscant:* P. V. ed. *croniscant;* B. *toniscant;* Vind. *chorascant.* Codicis B. variatio speciem præbet lectioni, quam editores plerique ex Quintiliani institutionibus, viii. 3. p. 685. in contextum intulere: "Et alibi Cicero: "Caput opponis, cum eo *coniscans.*" Sed res est futilissimæ affectationis, et temeritatis inexcusabilis, ludibriis conjecturarum indulgere, posthabito sincerarum membranarum testimonio, vocem aptissimam, et undequaque elegantem, suppeditantium. Ita Juvenalis, quem Bentleius etiam post Pium advocavit, sat. xii. 6.

> Sed procul extentum petulans quatit hostia funem,
> Tarpeio servata Jovi, frontemque *coruscat.*

Intransitive autem, ut noster, Maro, geo. iv. 73.

> Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque *coruscant:*

ut alii bene multi; ubi se nimis festivum dedit Philargyrius. *Corusco* scilicet est *κορυσσω*, *κορυττω*, *κορυπτω:* vide Etym. mag. in Κορυφη. Glossarium vetus: "Κορυπτει, arietat, cornu petit." Theocritus, iii. 5.

> Τον Λιβυκον κνακωνα φυλασσευ, μη τυ ΚΟΡΥΨΗ.

Verba scholiastis, quæ Phavorinus compilavit, hæc sunt: *Το κερατιζειν κορυπτειν οἱ Αττικοι λεγουσιν, ὡς συντρεχοντων αλληλοις των κριων, και τας κορυφας πληττοντων, και ῥηγνυομενων.*
Porro, quum *lucidæ* res vibrent et *quatient* ex se fulgoris radios, inde *corusco* pro secundario sensu vult *splendeo:* quod præteritum nolui ob alienam prorsus interpretationem, quam adhibuit Juvenalis versui Taylorus ad subtiles ejus et perdoctas animadversiones in marm. Sandv. p. 75. Vide nos supra, ad ver. 195.
Cæterum, potestatem vocis *corusco* sic ampliavit enarrator Lucretii longe longeque venustissimus, in geo. ii. 525.

> ——————— pinguesque in gramine læto
> Inter se adversis luctantur cornibus hædi.

Ver. 322. *candor:* V. ed. *candore;* et ver. 321. Π. *confuse.*

Ibid. *viridi candor.* Pulchra est, et ornatûs vere poëtici, *hæc viriditatis in colle,* atque *ovium candoris,* oppositio.

Ver. 323. De hoc loco crediderim Virgilium cogitasse, quum similem Tyrrheni exercitûs prospectum nobis per imaginem bellissimam depingeret, ad Æn. viii. 603.

> Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
> Castra locis; celsöque omnis de colle videri
> Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.

Ver. 324. *Camporum conplent loca.* Idem, Æn. vii. 643.

> ——————— quæ, quemque secutæ,
> *Conplerint campos acies.*

Ver. 325. In hoc loco P. quem plerique editores secuti sunt, posuit verr. 329. 330. reliquis exemplaribus, tam manu exaratis, quam impressis, ordinem nostrum edicentibus. Primum de *copiis pedestribus* loqui Lucretius videtur, postea de ludibundis equitum discursibus. Porro, duabus ex circumstantiis argumentum concludit noster; *equitum* scilicet *motu*, con-

Præterea, magnæ legiones quom loca cursu
Camporum conplent, belli simulacra cientes;

sistere apparentium, quamvis tanto opere tumultuentur, tam late spatientur; et *armis peditum coruscis*, undique moventibus, et splendorem fluctuantem profundentibus, dum interea spectatoribus hæc fluctuatio non discernitur. Veram poëtæ mentem, et loci proprietates, interpretes et editores nullo modo probe perspectas habuerunt.

Ibid. *Fulgur:* G. L. M. *Fulgor:* sed infeliciter, quamvis maximæ sint auctoritatis codices; quum multo facilius *fulgur* in *fulgor* librarii demutavissent, quam e contrario: et illud vocabulum elegantiorem sapit. Me videas ad Horat. od. ii. 1. 19. *Fulgur* utique est Homeri στεροπη, in loco statim excitando. Similiter sane, sed audacius, locutus est ille sacerdos primarius Musarum, Æn. ix. 733.

——— tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, *clypeo*que micantia *fulmina* mittunt.

Qui locus tamen certissime vitiosus est. Rescribo, et felicissimâ, nî fallor, emendatione:

——— *clypeo*que micantia fulmina *nictunt.*

Exquisitior vox librariis fucum fecit: conferas Lucretium meum ad vi. 180. et omnem rem tenebis. Antiqui scilicet tam *nicto nictere*, quam *nictare*, usurpabant. Porro, jam vides et intelligis probe, quid sibi velint librorum varietates, *nutant* et *vitant;* adeo ut æque probabile sit, si magis arrideat, verbum pervagatius, *nictant* scilicet. Nihil profecto verius est hac restitutione. Virgilianum *fulmina* in hoc loco Naso stabilit, amor. i. 8. 16. nisi utrobique *fulgura* et *fulgurat* reponere debeamus, quod reor equidem, quum sint voces oppido permutabiles:

——— oculis quoque pupula duplex
Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit:

i. e. a pupulis et orbibus utriusque oculi. Demiror Heinsium. Hinc discas eundem Ovidium exponere, met. ii. 308.

Unde movet tonitrus, *vibrata*que fulmina jactat:

i. e. *se vibrantia*, in mediæ vocis potestate —tremula—nictantia—fulmina. Valerius Flaccus, iii. 119. pereleganter:

——— strictoque vias *præfulgurat ense:*

ubi nonnulla, prorsus aliena, contulit Burmannus. Confer eundem Valerium ad viii. 61. Statii verba liquido probant eum ex hoc Lucretii loco profecisse:

——— *armorum transmittunt fulgura* sylvæ:

quod pulchre sublimis vates imaginatus est. Claudianus, de tert. cons. Honor. ver. 31. Virgilium secutus:

——— *galeæ* nec triste timentem
Fulgur, et ad summas tendentem brachia cristas:

neque aliter idem de laud. Stil. ii. 274. rapt. Pros. ii. 147. Prudentius, peristeph. xi. 184. Redeas etiam ad modo collata in ver. 163. hujusce libri. Denique, non infimæ notæ conjecturâ Sidonium Apollinarem restituemus, carm. xi. 85.

——— collata rubori,
Pallida blatta latet; depressaque lumine vultûs,
Nigrescunt vincto baccarum *fulgura* collo.

Libri, *vulnera;* ineptissime: et nemo elegantior ac cordatior nostram divinationem non agnoscet unice commodam poëtæ menti, et omnino recipiendam. Invidia, quæ nostris solet oblatrare, hic, opinor, immutescet. Jam vero, ut lectores lepidos demerear, Corippi versus nonnullos laude meritissimâ, de exsequiis imperatoris Justiniani exornandis, emendatiores proferam, lib. iii. ver. 19.

Triste ministerium latam *veniebat* in aulam:
Alba superpositis radiabant *stamina* gemmis,
Tempore quas prisco Romana potentia cepit;
Quas viridis Nereus, quas protulit Indica tellus,
Et quas Memphiticâ Cæsar perduxit ab aulâ;
Quas supplex Cleopatra dedit, quum vincula fratris
Frangeret, et rupto pallens custode veniret:
Ex quibus adversis cernebant *fulgura* mitti.
Hæc lumen, non ignis, erat: lux undique fulget,
Aurea conspicui lustrans laquearia tecti.
Tura Sabæa cremant; *fragrantia* mella locatis
Infundunt pateris, et odoro balsama suco.

Fulgur ubi ad cœlum se tollit, totaque circum
Ære renidescit tellus; subterque, virûm vi,
Excitur pedibus sonitus, clamoreque montes

In primo versu libri habent, *feriebat*. In secundo, *Alta stramina:* certæ sunt hæ conjecturæ. *Cepit* in tertio; nempe, ex victis hostibus. In versu nono reposuimus *Hæc* pro *Sed;* verissime. "Hæc pro lu-"mine, sine igne et lampadibus, sufficie-"bant." Minime distant in libris *Hec* et *Set*. Mox, *fragrantia* dedi, pro *flagrantia:* quæ usitata est corruptela: vide ad Virg. geo. iv. 169. lectionis varietatem. Eundem Corippum, ibid. ver. 222. leviter iterum castigabo:

Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, et Augustam cultu *perfulgurat* aulam.

Editi, *præfulgurat;* minus apte. Neque, rem mecum reputans, dubitem eandem mutationem Valerii Flacci loco, jam laudato, facere.—Libri inter has voces ad Statii Theb. vii. 502. similiter fluctuant: ibi tamen *præfulgurat* multo elegantius, et omnino tenendum, autumo.

Ibid. *ubi:* P. L. *ibi;* ut plures editi. Cæterum, locus integer Lucretii, cum quo versamur, manifestissime ex grandissimis quibusdam Homeri versibus adumbratus est, ad Il. T. 362. ampliatus quamvis, et expolitus:

Αιγλη δ' ουρανον ικε· γελασσε δε πασα περι χθων
Χαλκου υπο στεροπης· υπο δε κτυπος ωρνυτο ποσσιν
Ανδρων.

Nec tamen Caro nihil contulit Hesiodus, scut. Herc. 58.

Εύρε γαρ εν τεμενει εκατηβολου Απολλωνος
Αυτον, και πατερ' ον, Αρην, ατον πολεμοιο,
Εσταοτ' εν διφρῳ· χθονα δ' εκτυπον ωκεες ιπποι,
Νυσσοντες χηλησι· κονις δε σφ' αμφιδεδηει,
Κοπτομενη, πλεκτοισιν υφ' αρμασι, και ποσιν ιππων:

cum quibus committas Hom. Il. B. 457. 458. 780. 781. omnia enim exhibere, nec debeo, nec possum. Atque totam phrasim, *ad cœlum se tollit,* dictione simplice tragicus complexus est, ad Agam. 92. quæ felicitas est Græcorum, nec Anglorum linguæ nostræ minus competens:

Αλλη δ' αλλοθεν ΟΥΡΑΝΟΜΗΚΗΣ
Λαμπας ανισχει·

Neque inornate rem tractavit Lucanus, vii. 214. qui tamen adeundus est, ne simus, uti vereor ne fuerimus, longiores.

Ver. 326. *renidescit:* Vind. V. ed. B. L. M. O. Π. Σ. Ω. *renitescit;* errore proclivi, et Phœbo respuente: Pii codices, literis transpositis, *redinescit*.

Ibid. *Ære renidescit tota tellus*. Hæc arripuit, et nonnihil exornavit, Maro, geo. ii. 282.

——————— late fluctuat *omnis*
Ære renidenti tellus.

Renidenti utique, *ridente;* ut modo Mæonides. Ibi similiter variant cum *renitenti* exemplaria.

Ver. 327. *clamoreque:* V. ed. Ω. *clamorquoque;* Vind. *clamoremque;* unde sic rescribas, non male:

Excitur pedibus sonus: *clamorem quoque* montes
Ictei, *et* rejectant voces, ad sidera mundi:

nam *clamor* et *voces* noster ad i. 491. et alibi conjunxit: sed recepta longe longeque faciliora sunt, ac decentiora.

Ibid. *Excitur pedibus sonitus*. Memor erat loci Virgilius, ad Æn. xii. 445.

——————— Tum cæco pulvere campus
Miscetur, *pulsu*que *pedum* tremit *excita tellus*.

Ver. 328. *rejectant:* Ω. *et ejectant*. Similis est varietas ad Virg. Æn. v. 470.

Ibid. *Ictei clamore, montes rejectant voces*. Hujusce loci recordatus est Virgilius, Æn. v. 150. Marklando docte illustratus ad Stat. silv. v. 5. 71.

——————— *pulsati colles clamore resultant:*

aëris nempe pulsibus agitati. Hinc Au-

Ictei rejectant voces ad sidera mundi;
Et circum volitant equites, mediosque repente
Transmittunt, valido quatientes inpete, campos:

sonius, epist. xv. 27. erudite et poëtice in primis:

> Tibique nostras ventus *auras* deferat,
> *Aures*que *sermo verberet.*

Nec cesserit Juvencus, evang. hist. i. 267.

> ——— *miseræ*, sobolis pro funere, matres
> Horrendis graviter *cælum pulsare querelis.*

Sic legendum: libri, *misero*. Et simillimum esse veri judico, ob venustum loquendi morem in hac re poëtis constantissime servatum, Sophoclem, ad Antig. 1209. sic leviter esse corrigendum:

> Τῳ δ' αθλιας ασημα ΠΕΡΙΒΑΛΛΕΙ βοης
> Ἑρποντι μαλλον ασσον.

Vulgo, περιβαινει· lapsu valde proclivi. Conferas ver. 1188. Nos alibi in his commentariis hoc dicendi genus illustravimus, et plus semel. Ex hoc autem Lucretii loco prius correxeram Lucanum, nostri, ut videtur, haud immemorem, quam me Burmanni editio certiorem fecerit unum codicem favere, et Heinsium cum Guieto non aliter sensisse; hoc pacto, ad Phars. vii. 477.

> ——— tunc *æthera tundit*,
> Extremique *fragor convexa* irrumpit Olympi.

Vulgo, *tendit;* nimis frigide. Carus meus, iv. 932. tibi stabilitam dabit emendationem. Ejusdem poëtæ mentem, ad Phars. ix. 168. pravissima interpungendi ratio corrupit, disperdiditque:

> Interea, totis audito funere Magni
> Litoribus, *sonuit*, *percussus planctibus*, æther.

Vulgo, punctis post *totis* et *Magni* positis, voces *totis Litoribus* cum *sonuit* insulse conjunguntur. Pro se res ipsa loquitur. Statius denique in hac re videtur omnium audacissimus, ad Theb. vi. 448.

> ——— subit astra fragor, cœlumque tremiscit.

Ibid. *ad sidera mundi.* Hesiodum æmulatus, Theog. 685.

> Φωνη δ' αμφοτερων ικετ' ουρανον αστεροεντα.

Nec Virgilius negligendus est, ad geo. iii. 233.

> ——— *reboant sylvæ*que, et longus *Olympus.*

Sallustius etiam hanc furoris poëtici audaciorem formulam non expalluit, ad Jugurth. 60. 2. "*Strepitus* armorum *ad cœlum* ferri." Sed de re tritiore satis diximus.

Ver. 329. *volitant equites.* Ita solent poëtæ loqui de *turmis equitum;* ut Virgilius, Æn. xi. 546. loco nobilissimo:

> ——— tela undique sæva premebant,
> Et circum fuso *volitabant* agmine Volsci:

confer vii. 803. 804. Sil. It. i. 162. 163. Sic etiam pedestres scriptores non raro sunt locuti.

Ver. 330. *Transmittunt campos.* Maro, Æn. iv. 154. quem Macrobius dudum cum nostro commisit, ad Saturn. vi. 4.

> ——— aliâ de parte patentis
> *Transmittunt* cursu *campos*, atque agmina cervi
> Pulverulenta fugâ glomerant.

Ibid. *quatientes inpete campos.* Uno verbo rem confecit Æschylus, sept. Theb. 83. πεδιοπλοκτυπος, βοα· ubi ambiguæ scholiastarum interpretationes Stanleium in errorem induxere. Virgilius imitatione pressiori tragicum effinxit, ad Æn. xi. 875. atque unâ operâ Lucretium, omnia thyma laboriosissime circumvolitans:

> Quadrupedumque, putrem *cursu*, *quatit ungula campum.*

Ordo est: "Ungula quatit campum, pu-"trefactum cursûs impetu." Avienus in Arateis, ver. 487. hanc notionem, audacter quidem, sed et feliciter, ad equum in *campis* ætheriis volitantem transtulit:

> Et *quatit* ætherias primis modo *cruribus auras.*

Ubi tamen rectius fortassis legatur, *oras.* Idem alibi similiter ausus est.

Ver. 331. *altis:* Π. *altius;* et in ver. 330. *quatiens.*

Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videntur; et in campis consistere fulgur.
Nunc age, jam deinceps cunctarum exordia rerum,
Qualia sint, et quam longe distantia formis,
Percipe; multigenis quam sint variata figuris:
Non, quo multa parum simili sint prædita formâ,
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.
Nec mirum: nam, quom sit eorum copia tanta,

Ver. 332. *videntur:* i. e. *equites* circum *volitantes videntur stare*, et *fulgur* fluctuans *legionum* consistere. Hanc lectionem totius proprietas loci ac proportio flagitant, nec minus ornata variatio sermonis (nam aliter languidissime caudam traheret *τὸ consistere*) idem loquitur. Vulgo legitur, *videtur;* sed nostra lectio, quam meis auribus vel pueri Musæ instillaverant, et quæ, vel libris omnibus contra stantibus, esset admittenda, comparet in codicibus Vind. G. O. Δ. Σ. Ω. Pro *campis* etiam, Π. habet *campos.*

Ver. 336. *quo:* P. Δ. Σ. Ω. *quod;* minus docte. Et, in versu statim sequente, G. M. *constat.*—Hoc autem dicit poëta: " Multa sunt perquam similia, nec facile " est quibus libet statim distinguere; sed " perpauca sunt eo usque in omnibus omnino paria, ut non re verâ certissimæ " distinctiones attentius inspicientibus, et " iis potissimum a naturâ peculiariter " comparatis, statim emineant in singulis."

Ver. 339. *neque* posterior: Δ. *nec.*

Ver. 341. *filo:* Π. *filio.*—*que* deest V. ed.—*adfecta:* V. ed. *affectu;* Π. *effecta:* non omnino infeliciter, sed nec vere, et exquisite minus: similis est varietas ad vi. 843.

Ibid. *pari filo.* Similiter Plautus est locutus, Merc. iv. 4. 15.

Satis scitum *filum* mulieris.—

Apuleius, in deo Soc. loquens de dæmonum corporibus: " Sed *fila corporum* " possident rara, et splendida, et tenuia—." A. Gellius, xiv. 4. " Facit quippe imaginem Justitiæ,—*formâ* atque *filo* virginali—." Arnobius, lib. iii. p. 107. " At vero vos deos parum est, *formarum* " quod amplectimini mensurâ, *filo* et adterminatis humano—." Lambinus. Idem Arnobius, tantum quod supra, *filum* nuncupaverat, *lineamenta corporea*, et *extimam circumscriptionem membrorum:* adeo, ut in Lucretii versu, *filo* retulerim ad finientes corporum lineas, et *figurâ* ad solidam et integram speciem. Has duas res vocitat idem Gellius, i. 9. " *filum*, " atque *habitum*, totius corporis."

Ver. 342. *mutæ:* Π. *multæ;* aberratione felici satis; quum pisces omnium grandiusculorum animalium sint longe longeque numerosissimi: ideoque hinc argumentum poëtæ multum adjuvatur, si vel pisces in tantis molibus varient, et dignosci queant. Plinius dicit, nat. hist. ix. 74.—" singuli uteri piscium innumerabilia concipiunt." Vulgatæ tamen lectioni potius standum esse existimem.

Ibid. *mutæ:* sic ἐλλοὺς, et ἀναύδους, ἰχθῦς, Sophocles; ἐλλοψ, Lycophron; et Horatius, ut noster, *mutus.* De hac ipsâ autem piscium impotentiâ, consulas Plinium disputantem ad nat. hist. xi. 112. et auctores interpretibus ejus laudatos.

Porro, scriptor alius ita fortasse dedisset locum:

——————— mutæque *natantum*
Squamigerûm pecudes:

sed adjectiva solet congerere Lucretius.

Ver. 343. *armenta.* Hæc est editorum

Ut neque finis, utei docui, neque summa sit ulla;
Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo, similique adfecta figurâ.
Præterea, genus humanum, mutæque natantes
Squamigerûm pecudes, et læta armenta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas funtisque, lacûsque;
Et, quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:

Londinensium ex conjecturâ emendatio, quæ loci rationibus omnino necessaria videtur, neque injuriâ omne punctum doctorum tulit. Codices MSS. autem ad unum, et antiquiores impressi, legunt *arbusta*. Erunt fortasse, qui putabunt versus Empedocleos, Clementi Alexandrino, D. Laërtio, et Athenæo citatos, librorum lectioni nonnihil favoris conciliare; egomet vero ægerrime consenserim. Interea, distichon, de quo loquor, sic scribendum est extra omnem dubitationem:

> Ηδη γαρ ποτ' εγω γενομην κουρος τε, κορη τε,
> ΘΑΜΝΟΣ τ', οιωνος τε, και εξ αλος ΕΛΛΟΠΟΣ ιχθυς.

Casaubonus quidem, ad finem lib. viii. Athenæi, de hac varietate, ut de rejiculo prorsus, pronunciavit; sed virum longe eruditissimum humani aliquid in hoc judicio passum esse mihi persuadent Clementis exempla et Etymologicum magnum in voce Μωλωψ· quos adeas. Ελλοπος nempe, non minus quam ελλοψ, magistri Græcitatis usurpabant. Conferas scholiast. Theoc. i. 42.—Cæterum, hanc Lucretii contra membranas scripturam egregie firmat ipse, ad v. 229.

> At variæ crescunt *pecudes*, *armenta*, *feræque*:

et pariter haud minus infra, ad iv. 1190. cum Marone, Æn. iii. 220.

> *Læta* boum passim campis *armenta* videmus,
> *Caprigenum*que *pecus*.

Bentleius etiam margini exemplaris ejus alleverat *armenta*.

Ibid. *Squamigerûm pecudes.* Sic de *phocis*, pelagus incolentibus, prior Pacuvius, apud Quint. instt. rhet. i. 5.

> ———————— Nerei
> Repandirostrum, incurvicervicum, *pecus*.

Vide me ad. i. 163. ad Virg. geo. iii. 243. nuper; et mox ad iii. 742.

Ver. 344. *quæ loca:* Δ. *que et loca.*

Ibid. *variæ volucres.* Claudianus, epist. ii. 3.

> ———— feræ, *picturatæ*que *volucres*.

Ampliavimus supra, ad ver. 144.

Ibid. *lætantia loca aquarum:* ut de lacte uberum Virgilius, geo. iii. 310.

> *Læta* magis pressis manabunt *flumina* mammis.

Ver. 345. *circum ripas:* V. ed. B. *circum ipsas;* P. *ipsos circum;* quæ nihili sunt, et negligenda.

Ibid. *Concelebrant.* Hinc Claudianus de Nymphis, rapt. Pros. ii. 59.

> Quæ fontes, Crinise, tuos, et saxa rotantem
> Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
> *Concelebrant*.

Addam Avienum, or. marit. 448.

> Porro, ante et urbes heic stetere plurimæ,
> Populique multi *concelebrarunt locos*.

Cæterum, aliter atque priores editores scribendum existimavi, lectoribus, opinor, plausuris. Vulgo:

> ——— circum ripas, *funteis*que, *lacus*que.

Ver. 346. *quæ:* V. ed. *qua;* non omnino male.

Ver. 347. *Quorum:* G. Vind. *Horum;* et hoc placuit editoribus: immerito tamen, nec idoneis de caussis; quum, ob distantiam *αποδοσεως*, longe exquisitior sit, atque doctorum poëtarum moribus mul-

Quorum unum quod vis generatim sumere perge;
Invenies tamen inter se differre figuris.
Nec ratione aliâ proles cognoscere matrem,
Nec mater posset prolem: quod posse videmus;
Nec minus, atque homines, inter se nota cluere.
Nam sæpe ante deûm vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,

to convenientior, relativi usus, quam pronominis. Manifestum est extemplo, nihil de hoc genere elegantiarum ad scribarum inscitiam referendum esse; et multo minus pauciorum librorum atque leviorum fidem melioribus esse præferendam.

Ver. 348. *differre:* P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *distare.—figuris:* O. Δ. *figuras;* nec sane nobis displicet; quin imo doctior constructio videtur.

Ver. 349. *cognoscere matrem.* Mantuanus, ecl. iv. 60.

Incipe, parve puer, risu *cognoscere matrem.*

Ver. 351. *nota cluere:* sic L. M. O. Δ. Σ. Ω. et Pii codices antiqui; G. *nocluere;* Vind. B. *vota cluere;* V. ed. *voca cluire;* Π. *nota cleuare;* P. denique, *voce cluere.*

Ver. 352. *delubra:* i. e. ad maxime proprium sensum dictionis ac primarium, *ligna decorticata et expolita;* imagines deorum nempe, dedolatus et affabre elaboratas: vide Servium ad Virg. Æn. iv. 56. et Festum in voce *Delubrum:* mox, ab his initiis profectum, ad generaliorem significationem *fani*, et sanctioris templorum recessûs, vocabulum pro solitâ sermonis progressione demigravit. Glossarium vetus: " *Delubrum*, ξοανον." De hoc autem genere imaginum multa apud veteres obversantur memorata; sed locus Orphei in Argonauticis sufficiat: quem testimoniis aliunde depromptis antepono, quod criticæ manûs egeat. Legitur ad ver. 603.

Αυταρ ΕΓΩ ΦΟΡΜΙΓΓ' ἑπομενην μετα χερσιν
ΑΕΙΡΩΝ·
Αργος δ' ΑΥΤΙΧ' ἱκανη λιτον ευεργεα νηι.

῞Ος γε, πανεφλοιον ελατης αμφιπλεκες, ερνος
Αμπελε αναλκις οξυ αντικοπτει σιδηρω·
Ξεσσε δ' επισταμενως βρετας ιερον ιδμοσυνησι,
Μιμησιν ιμεροεσσαν επ' εσσομενοις ανθρωποις.

Criticarum rationum non ignari, si se ad locum conferant, et varietates codicum considerent, emendationum mearum fundos nullo negotio intelligent; sed prolixior haberer, de omnibus, quæ subinde forte fortunâ nobis oboriantur, ad examen severius satagens expendendis.

Ver. 353. *Turicremas aras.* Maro, Æn. iv. 453.

—— *turicremis* quum dona inponeret *aris*—.

Conferas etiam Æn. ii. 202. sed imitationem expressiorem loci, quem celebramus, exhibuit ille Mantuanus, ad geo. iii. 515.

Ecce autem, duro fumans sub vomere, *taurus*
Concidit, et, mixtum spumis, *vomit ore cruorem;*
Extremosque ciet gemitus.

Dictionis autem *concidit* plenam potestatem non aliter declares, quam Græcis vocibus αθροως πιπτει. Nos Angli subitaneam illam membrorum collapsorum ruinam, quam tacite præpositio suggerit, non aliter repræsentare quimus, quam dicendo, " He falls *in a lump*, or *in a heap.*"

Ver. 354. Majorem partem hujusce versûs mutuari Virgilio visum est, ad Æn. ix. 414.

Volvitur ille, *vomens calidum de pectore flumen*—.

Ver. 355. *saltus peragrans.* Eodem modo Virgilius, Æn. iv. 72.

—— illa fugâ sylvas, *saltus*que, *peragrat*—.

Ubi Servius apposite: " *Peragrare* est, " circumire inquirendo." Hanc compa-

Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen:
At mater, virideis saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis;
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fetum: conpletque querelis
Frundiferum nemus, adsistens; et crebra revisit
Ad stabulum, desiderio prefixa juvenci.

rationem in luctum Deïdamiæ Q. Calaber accommodavit, ad vii. 256.

Ηΰτε βους εν ορεσσιν, απυρεσιον μεμακυια,
Πορτιν εην ΔΙΖΗ, ΚΑΙ *οι αγχιστιν· αμφι δε* ΜΑΚΡΑΙ
Ουρεος αιπυνοιο περιβρομεουσι κολωναι.

In quibus ex conjecturâ reposui *διζη και*, vice *διζηται·* et *μακραι*, pro *μακρα·* ut Homerus *ορεα μακρα*, et *μακρος* Ολυμπος.

Ver. 356. *Linquit:* L. O. Ω. *Non quit;* G. *Inquit;* Vind. B. *Non quid;* V. ed. *Nam quid;* Δ. Π. *Num quid;* Σ. *Non quod.*

Ibid. *pedibus bisulcis.* Ovidius, met. vii. 113. de *tauris* ignem spirantibus:

Pulvereumque solum *pede* pulsavere *bisulco.*

Ver. 357. *convisens loca.* Ita locutus est maximus Quiritium in Arateis ejus:

Et *loca convisit*, caudâ tenus, infera Piscis.

Pro *convisens*, Π. *conviscens* præbet.

Ver. 358. *amissum fetum:* ut Virgilius, geo. iv. 512. loci totius Lucretiani memor:

Amissos queritur fetus;———————
———— et mœstis late loca *questibus implet.*

Ver. 359. *adsistens:* G. *adsictens;* L. M. *adsittens.*—*revisit:* V. ed. *remisit;* Π. *reviscit.*

Ibid. *crebra revisit.* Idem Maro, ibid. iii. 500.

——————————————— et pede terram
Crebra ferit.

Ibid. *revisit Ad stabulum.* Neque hoc regimen, neque usum intransitivum verbi, Mantuanus attigit: non ita prorsus, Lucretii æqualis, Veronensis vates, lxiv. 390. quem locum inquinatissimum confidimus nitori suo primigenio nos esse feliciter reddituros:

Sæpe pater divôm, *templo in* fulgente, *revisens*,
Annua quom festis venissent sacra diebus,
Conspexit *Cretâ* centum *prorumpere* currus.

Versus sunt grandes et venusti. In vulgaribus editionibus sic ultimus exhiberi solet:

Conspexit terrâ centum *procurrere* currus.

Videbis autem, mi lector, si tenorem loci inspicias, nomen proprium requiri; nec docendus es, hic sæpissime scribas labi: porro, nonnulli libri pro *centum*, vel *currus*, habent *Cretum.* Jam vero cujusnam aures *το—procurrere currus*—sustinere quibunt? Codices quidam dant *procumbere;* unde statim exsurgit nostra divinatio: et videas Carum supra, ver. 264. Gellius, xiii. 30. "Quum valebo ab oculis, *revise ad me:*" Plautum, quod adsolet, æmulatus, Truc. ii. 4. 79.

———————————— ut, quando otium
Tibi sit, *ad me revisas.*

Sic noster iterum, ad v. 635. et ipsum verbum *reviso* per se neutre adhibet in iv. 1110. uti Statius, silv. v. 4. 8. pulcherrimo in poëmate:

——— totidem Oetææ, Paphiæque, *revisunt*
Lampades.

Ver. 360. *desiderio perfixa.* Translationem suam noster hausit ex Homereis fontibus. Il. I. 9.

Ατρειδης δ', ΑΧΕΪ *μεγαλῳ* ΒΕΒΟΛΗΜΕΝΟΣ *ητορ, Φοιτα:*

ad quem locum scholiastes hoc, aut alio simili, modo suppleri debet: *Μεγαλῃ λυπῃ, ὡς περ* ΟΪΣΤΩ, *την ψυχην βεβλημενος.* At-

Derivare queunt animum, curamque levare:
Usque adeo quiddam proprium, notumque requirit.
Præterea, tenerei tremulis cum vocibus hædei
Corrigeras norunt matres; agnique petulci

Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi,

Cum vidi *subitos* arma tenere viros:

i. e. qui *exorti* erant—quos terra submiserat: vide nostrum, i. 9. Apuleius, met. ii. sub initio:—" de ipso vero cœlo, et " jubaris orbe *subito*, venturum oracu- " lum:" i. e. *exorto*—cum surrexisset. Locus iste cruciabiliter habuit Oudendorpium. Grammaticæ sermonis rationes ad Lucanum, i. 517. nemini, ut exputem sane, claruere:

Et, *subitus* rapti munimine cespitis, agger
Præbet securos intra tentoria somnos.

i. e. *exsurgens* ope cespitis—exstructus cespite. Emendabo denique, his innixus. Vegetium, iii. 22. " Præterea, levis ar- " matura præmittebatur ad colles; sub " quos *subitus*, tuto revocaretur exerci- " tus:" i. e. colles *subiens*, sub eos se recipiens. Editores nihil viderunt: legitur enim in editis, *subito*. Jam vero reliqua, vel puerulis demetenda, prætereuntes, regredimur in viam, longius evagati; nec tamen, ut speramus, accusationem nimietatis ob hunc excursum ab æquis judicibus ipsi subituri.

Ver. 364. *pabula læta.* Sic sane Virgilius, geo. iii. 385.

——————— fuge *pabula læta*:

neque ausim equidem novare aliquid in Lucretio; sed argumenti magis interest, ut hic etiam legatur ad hunc modum:

Nec vitulorum aliæ species per pabula lata:

quo magis mirum fit, eam nullo alio vitulorum detineri posse ac mulceri, vel *lata* pascua occupantium: ideoque, uti par est, numerosiorum. Plures codices habent *lata pabula* ad Ovid. amor. iii. 5. 28. Et certum est librarios, adeo pervulgatus est ejus usus, hanc phrasem Senecæ male obtrusisse, ad nat. quæstt. iii. 27.—" jam nec gramina aut *pabula*, *læsa* " aquis, (solum) sustinet:" uti mox ibidem, cap. 28. " Non *lædi* debent *terræ*, " sed abscondi." Vulgo legitur, *pabula læta*.

Ver. 365. *animum:* G. Π. Σ. *alio;* male, opinor: nam velle videtur, evidentiæ gratiâ et pulchræ proportionis, versûs abhinc secundi supra imaginem iteratam dare: et forte an scripturâ antiquiore, breviter exhibitâ, *aīo* scilicet, prognata sit hæc varietas.—*curam:* G. Π. Σ. *curâ;* non deterius, nisi quod recepta nobis lectio varietate jucundâ structuræ commendata veniat.

Ver. 366. *requirit:* Π. *requirunt;* quod, alio quovis codice firmatum, statim admisissem: nam nobis ista lectio valde placet; ut etiam effato generali quodam, cum quali scilicet inceperat, tota periodus claudatur.

Ver. 367. *cum:* Macrobius, Sat. vi. 5. *in;* quod videtur doctius, ad Græcum morem, ut sit *cum* ex interpretatione: vide nos ad i. 881. 994. Idem ibidem habet *corniferas*, pro *cornigeras*, in sequente versu.

Ibid. *tremulis vocibus:* fractis utique, et imbellibus, ut recentissime in lucem editorum. Statius, silv. v. 5. 7. de *infantulo*:

Poscentemque novas *tremulis ululatibus* auras,
Inserui vitæ:

i. e. " supplice quasi questu, quâ potuit " voce, a me petentem novæ vitæ, in " quam ingressus erat, usuram:" quo nihil pulchrius, aut dexterius excogitatum, dici poterat; Marklandi tamen emendatio, in textum etiam recepta, *pulsantem* scilicet, unde omnes loci Veneres prorsus corrumpuntur, doctis pluribus, opinor, semper se probavit. Usque adeo lu-

Balatum pecudes: ita, quod natura reposcit,
Ad sua quisque, feri decurrunt ubera lactis.
Postremo, quod vis frumentum; non tamen omne,
Quidque suo genere, inter se simile esse videbis,

bricæ est exercitationis hæc ars critica, quam nos miselli profitemur, et laboribus indefessis agitamus!

Ibid. *hædi.* Nonnulli scribunt, *hœdi.* Nos Varroni auscultamus, de ling. Lat. iv. 19. " *Hircus,* quod Sabini *fircus;* et, " quod illeic *fedus,* in Latio rure *hedus:*" (in ambabus nempe dictionibus, ut in aliis pluribus, eandem vim habente Æolico digamma, quam litera aspirata) " quod in " urbe, ut in multeis, *a* addito, *hædus.*"

Ver. 368. *norunt:* V. ed. *notunt;* sed Π. *matres,* repetitâ voce.

Ibid. *agnique petulci.* Virgilius, geo. iv. 10.

——————— *oves, hædique petulci.*

Festus, qui utrumque locum laudat, sic interpretatur: " *Petulci* appellantur, qui " protervo impetu et crebro petunt, læ- " dendi alterius gratiâ."

Ver. 369. *Balatum:* sic P. V. ed. B. M. Ω. et mihi potior lectio visa est, ut sit utrobique exemplum, tam parvulorum matres agnoscentium, quam matrum parvulos; prout nuper juvencæ vitulum plorantis; et ordo sit: " Pecudes, i. e. oves, " norunt balatum agni." Cæterum, quamvis dixerit Virgilius, *balantum,* pecudum nempe, *gregem,* mihi non satis placet, quamvis bene Latinum sit, *balantum pecudes.* Reliqui autem codices *Balantum* exhibent.—*pecudes:* P. V. ed. B. *pecudis,* non male; et dubitari potest, an scribarum de syllabæ brevis productione solicitudo receptum *pecudes* non importaverit.

Ibid. *Balatum agni.* Maro, Æn. ix. 61.

——————— tuti sub *matribus, agni*
Balatum exercent.

Addam Calpurnium, ecl. ii. 68.

Mille sub uberibus *balantes* pascimus *agnos.*

Ibid. *reposcit,* pro simplice *poscit,* adhibetur; de quâ re consulas Ruhnkenium, ad Rutil. Lup. i. 10. p. 37.

Ver. 370. *feri.* Sic lego, pro vulgato *fere:* sic etiam vetus editio, Venetiis impressa. Manilius, i. 368.

Cujus ab uberibus magnum ille ascendit Olympum,
Lacte fero crescens ad fulmina, vimque tonandi.
BENTLEIUS.

Ut *feri* cum *lactis* utique jungatur. Sed Pii rationes in Bononiensi, qui legit etiam *feri,* magis probo, illustrantis a Virg. Æn. vii. 489.

Pectebatque *ferum,* puroque in fonte lavabat:

de cervo miti, et manibus herilibus assueto: ubi Servium inspicias. Sic etiam alii bene multi. Sit igitur τὸ *feri* nobis in nominandi casu numeri pluralis: ut legitur etiam in V. ed. B.

Ibid. *lactis.* Heinsius, in advers. p. 83. elegantissime proponit, *lactens:* sed mutationem absterret ipse noster, ad i. 886. quo redeas.

Ver. 371. Hic argumentum suum poëta noster penitius persequitur, ab animalibus descendens ad inanimatas res.—Cæterum, pro *frumentum,* Π. dat *frumentum.* Et, quod structuram sermonis spectat, vel repetas licet voces *sumere perge,* a ver. 347. aut nominativus esse pendens potest, ut nuper, ver. 342.

Ver. 372. *Quidque:* P. Vind. Π. Ω. *Quodque.* *in* post *suo* vulgares editiones inserunt, sed abest P. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. et reliquis etiam plerisque, si non omnibus, abesse suspicamur. Et *se* insuper V. ed. non agnoscit.

Ibid. *Quidque:* ex *duobus* scilicet eodem genere frumenti *granis.* Quintilianus, instt. vii. 4. fin.—" et, cum *duo* fu- " res pecuniam abstulerunt, separatim " quadruplum *quisque,* an duplum, de- " beat?" Quâ de re lectionem *quodque* levioribus auctoritatibus se suffulcientem editores anteposuerint, totus ignoro.

Quin intercurrat quædam distantia formis:
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, quâ mollibus undis
Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.
Quâ re etiam atque etiam simili ratione necesse est,
Naturâ quoniam constant, neque facta manu sunt

Ver. 373. *Quin:* P. V. ed. Π. Σ. *Quando;* M. O. Δ. *Quid.* Bentleius insuper, ut amicus Havercampi quidam, proponit legendum, *intercurrant;* in animo habentes similem structuram supra, ver. 334. Sed oratio his varietatibus locutionum jucundissime conspergitur: neque saltem id pretii est mutationis, quod neglectam omnium librorum vetustorum, omne genus, fidem quit redimere.

Ibid. *intercurrat distantia formis.* Pari cum regimine M. Tullius, Tusc. dispp. ii. 14. " Ergo his laboriosis *exercitationi-*" *bus* et *dolor intercurrit* nonnumquam." Plinius etiam, nat. hist. xxxvii. 8. " Ad " hoc *quibusdam intercurrit umbra*—."

Ver. 374. *Pingere:* Π. *Pinguior.*—*gremium:* V. ed. *gremum.*

Ibid. *Pingere telluris gremium Concharum genus.* Auctor Ciris, ad ver. 103. non ignobilis, hos versus calamo feliciter æmulo præstrinxit:

Actæos inter collis, et candida Thesei
Purpureis late *ridentia litora conchis.*

Quam vero infauste Friesemannus ibi *radiantia*, pro *ridentia*, rescribere volebat, te docebunt nobis mox dicenda ad ver. 501. Illa vox tritior est in hoc usu, et minus poëtice colorata. Nos vicissim proposituri videmur aliquid rectius excogitatum, atque haud dubiam scriptoris ipsius manum:

Purpureis *læte* ridentia litora conchis.

De quâ permutatione plus semel alibi. Suas venustates ex Lucretio apertissime etiam Ovidius hausit, ad amor. ii. 11. 13.

Nec medius tenues *conchas*, *pictos*que lapillos,
Pontus habet: *bibuli litoris* illa mora est.

In suavissimo disticho diversitas ea lectionis, *varios* scilicet, glossam sapit genuinæ *pictos:* vide nos ad ver. 244. hujusce libri. Adsit Propertius, i. 2. 13.

Litora nativos per se dent *picta* lapillos.

Pulcherrime Claudianus, in Rufin. i. fin.

———————— pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus *algæ.*

Neque oculis nullis adspexit nostrum auctor epigrammatis 63. in lib. iii. Anthol. Lat. Burm.

Ecce inter virides jactatur Mitylus algas,
Et raueo trahitur lubrica *concha sinu.*
Ecce, recurrentes quâ versat fluctus *arenas*,
Discolor adtritâ calculus exit humo.

Denique, quum *gremium*, ut veteres grammatici vere videntur exposuisse, sit *expansum vestis receptaculum*, suaviter Lucretius alludit ad *picturata vestimenta*, de quibus nos nonnulla protulimus nuper, in ver. 35.

Ibid. *gremium telluris.* Virgilius, Æn. iii. 509.

Sternimur optatæ *gremio telluris*, ad undam.

Ibid. *mollibus undis:* i. e. ob vicinitatem terræ sensim mitescentibus, et se levius litori affringentibus. Locum expressit idem Maro, ad Æn. ix. fin.

———————— ille suo cum gurgite flavo
Adcepit venientem, ac *mollibus* extulit *undis.*

" *Cum* gurgite " autem pro " *in* gur-" gite:" vide ad ver. 147. *Mollitiam maris* Aurelius Victor nominat, de vir. illust. xxii. 3. ubi largâ manu conferunt interpretes rem illustrantia.

Ver. 376. *bibulam:* Π. *bibulum.*—*pavit:* P. *lavit*, ut Nonius etiam, in *Lavit;* infeliciter: vocem nempe exquisitiorem ac rariorem pervulgatior ejecit: vide ad ver. 193. Hinc identidem dubitare soleo, an librarii hoc facinus in se admiserint ad Papinii Theb. vi. 401.

Unius ad certam formam primordia rerum,
Dissimili inter se quadam volitare figurâ.
Perfacile est animi ratione exsolvere nobis,
Quâ re fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noster, fluat, e tedis terrestribus ortus.
Dicere enim possis cœlestem fulminis ignem,

Stare adeo miserum est: pereunt vestigia mille
Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum.

De velocibus equis in stadio concertaturis, phrasis *gravis ungula* vix satis accommoda videtur. Cogitabam, an sic rescribi debeat, atque alias pluribus asserui:

—— absentemque *levis pavit* ungula campum.

Ibid. *bibulam arenam.* Virgilius, geo. i. 114.

Conlectum humorem *bibulâ* deducit *arenâ*.

Ibid. *pavit:* i. e. sternit; a Græco *παιω*, interposito digamma. Plinium exscribam, et, nî fallor, emendatiorem dabo, nat. hist. ix. 12.—"eaque, defossa extra "aquas et cooperta terrâ, *adpavitâ* pec-"tore et complanatâ, incubant noctibus." Vulgo legitur, *ac pavita.* Vocem adhibuere etiam Cato, de re rust. xviii. 7. Cicero, de divin. ii. 34. Plinius alibi; cum Varrone, de re rust. i. 51. *Expavitus*, pro *expavidus*, critici probabiliter restituunt Gellio, ad i. 8. fin. ubi nonnulla, hanc rem attingentia, Gronovius admiscuit. Hac autem occasione viam tritam Virgilius tenere voluit, nec magistrum suum comitari, ad ecl. ix. 43.

——— insani *feriant*, sine, *litora fluctus*.

Ver. 378. *constant:* Δ. *constat:* sed dubito, an sic noster reliquerit ultimam *τȣ Natura* syllabam ita productam in hac saltem cæsurâ versûs.

Ver. 380. *quadam.* Ita ex conjecturâ edendum esse judicavi; vel libris omnibus, quotquot sunt, reclamantibus, vice vulgati *quædam.* Non aliud sinet loci scopus, et mens certissima scriptoris. Quasi dixerat: "Haud dubitandum, "quandam esse figuræ differentiam in "primordiis, utcunque minutam et sub-"tilem: ut grana parvissima frumenti, "perfunctorie spectanti, consimilia viden-"tur; sed, intentius considerata, nonni-"hil discrepantiæ in formis produnt."

Ibid. *volitare.* Scriptor, solutus metris, dixisset *esse*, vel *constare*, simpliciter; sed omnia lepidum ingenium sic profert ornatiora. Simile specimen comis artificii Virgilius exhibuit, ad ecl. i. 77.

Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosâ *pendere* procul de rupe videbo.

Hinc picturis vividissimis, atque veram Naturæ speciem referentibus, floridior poësis enitescit. Vide mox, ad ver. 490.

Ver. 381. Π. ut vulgatæ editiones, habet *jam* post *est;* et omittit *nobis.*

Ibid. Forte legendum:

Perfacile est animi ratione exsolvere *nodos*.

BENTLEIUS.

Ingeniosum habemus et perelegantem lusum. Phrasim alibi Lucretius adhibuit sane; sed hic loci minus patienter, ut mea fert sententia, nasuti judices tulissent.

Ver. 382. *fulmineus:* V. ed. *fulmineis;* L. M. *flumineus;* de quâ commutatione, videas i. 292.—*penetralior:* P. Vind. B. O. Δ. Π. Ω. *penetralius;* non male: V. ed. *penetrabilius.*—*ignis:*. G. *igne.*

Ibid. *penetralior ignis;* ut *penetralem ignem*, i. 536. et *penetrale frigus*, ibid. ver. 495. Ovidius, met. xiii. 857.

——— cœlum sperno, et *penetrabile fulmen*.

Ver. 383. Punctis aliter dispositis dedi operam declarare, verbum *fluat* ad voces *ignis fulmineus* etiam referri debere; quæ venustas interpretes latuit: vide locum

Subtilem magis, e parvis constare figuris;
Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic, e lignis ortus, tedâque creatus.
  Præterea, lumen per cornum transit; at imber
Respuitur. Quâ re? nisi luminis illa minora

Callimachi, supra ad ver. 147. laudatum. Hinc est etiam, quod Bentleius nullo modo auscultandus sit, dum nitidæ locutioni nebulam pergit spargere, rescribendo *fuat*, pro *fluat*. Plura mox conferemus ad iv. 203. Has autem mihi sermonis venustates contemplanti, Diva Critice emendationem Lucani non dedignata est insinuare, quæ fortasse lepidis hominibus nullam controversiam excitabit; quum unice sit grandiloqui spiritu poëtæ digna. Locus, quem volumus, exstat in Phars. i. 657.

> Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, leonem
> Nunc premeres, toto *fluerent incendia* mundo,
> Succensusque suis *stagnasset* curribus æther.

Vulgo, *flagrasset:* sed in versu proxime veniente legitur etiam *flagrante;* et, post *fluerent*, cadit recepta vox, frigetque. Similem scriptorum librariorum aberrationem ad Silium, i. 126. dudum detexeram; sed eam verissimam emendationem, me nescio, Heinsius præcerpserat:

> Ætolos late consterni milite campos,
> Idæoque lacus *stagnantes* sanguine cerno.

Ibi etiam codices dant *flagrantes*.

Ibid. *ortus ignis.* Oratione non dispari Julius Obsequens, cap. 73. "Ad fo-"rum Esii, bovem *flamma*, ex ipsius ore "*nata*, non læsit."—Cæterum, pro *tedis*, Π. *terris;* et, vice *τε e*, V. ed. *et*.

Ver. 384. *enim:* P. *jam;* unde fortassis, *nam:* Δ. *tū;* i. e. *tum;* et *tu* non improbassem: V. ed. *eam;* si voluerit *eum*, veram esse lectionem pene inducor ut existimem.

Ver. 385. *e.* P. Π. *et;* nec displicet; M. *ac.* Ægre dixeris, utra sit dictio *e*, vel *et*, præferenda; nec tanti res est, ut in eâ multum temporis teramus: vulgato tamen favet iv. 899.

> ————ventus *subtili* corpore *tenuis*.

Porro, vice *figuris*, mendose V. ed. *figuræ*.

Ver. 387. *hic:* abest Vind. V. ed. O. Π. Σ. Legit Ω. *qui.—e:* Π. Σ. *de;* quod æque bonum videtur, omisso *hic*.

Ver. 388. *cornum:* P. Vind. V. ed. B. G. O. Δ. Π. Σ. Ω. *cornu;* sed ita etiam more antiquorum Ovidius, met. ii. 874.

> ———— dextrâ *cornum* tenet:

ubi videas Heinsium. Vocem usurpavere quoque, præter Plinium, rei rusticæ scriptores.—*at:* V. ed. *ac;* Π. *et*.

Ibid. *lumen per cornum transit.* Plinius, nat. hist. xi. 16. de *apibus* loquens: "Spectatum hoc Romæ consularis cujus-"dam suburbano; alveis *cornu* laternæ "*translucido* factis."

Ver. 389. *Quâ re? nisi.*—Hanc ellipticam dicendi formam ita recte suppleas: "Quâ *de* re? *Nullâ de re*, nisi—." Porro, pro *nisi*, Π. habet *nil;* male admodum.

Ver. 390. *quibus:* Δ. *quis.—liquor almus:* Ω. *liquora almus;* V. ed. *liquor alinus;* L. M. *liquor alimus;* Π. Σ. *liquosa limus;* volentes, opinor, *liquos almus*, ut alibi *arbos*, *colos*, et similia, antiquo more: sed hoc temporis perperam, metro repugnante.—Cæterum, glossa, quam protulit ex quodam codice Havercampus, *sine limo* utique, me manu duxit ad sincerissimam scripturam loci; quam tamen, invitis membranis, mihi religio fuit in contextu reponere. Nempe sic Lucretius versum exaratum dedit:

> —— quam de quibus est liquor *albus* aquarum.

Almus sane suo tempore locum aptissimum per me teneat, sed alienum est jam nunc; nostram vero conjecturam opportunissima tempestivitas commendat.

Corpora sunt, quam de quibus est liquor almus aquarum.
Et, quam vis subito, per colum vina videmus
Perfluere; at contra tardum contatur olivom:
Aut, quia nimirum majoribus est elementis,
Aut magis hamatis inter se, perque plicatis;

" Aqua, utcunque sit lucida et perspicua, " ideoque tenuissimis corpusculis con- " stans, particulis lucis tamen subtilitate " cedat, necesse est; his quidem cernum " transeuntibus, illis autem repulsum " passis." Nihil desiderem undequaque clarius et commodius. Ita Græci passim loquuntur: atqui sit instar omnium testis Callimachus, hymn. Jov. 19.

> Λαδων αλλ' ου πω μεγας ερρεεν, ουδ' Ερυμανθος,
> ΛΕΥΚΟΤΑΤΟΣ ποταμων.

Albus autem, pro *clarus*, *splendidus:* vide iv. 212. Horat. od. iii. 13. 1. Nos, Silv. Crit. v. p. 77. et seqq. abunde probavimus. Nuper, ad i. 350. idem, " humor " *liquidus* aquarum," audiebat; parili significatu. " Liquidum, διαυγης:" teste glossario vetusto. Ad hanc normam emendandus Claudianus est, de rapt. Pros. ii. 114.

> Haud procul inde lacus, Pergum dixere Sicani,
> Panditur; et, nemorum frondoso margine cinctus,
> Vicinis *albescit* aquis.

Locum integrum perlegas. Vulgo, *pallescit:* varia autem lectio, *clarescit* nempe, nostræ restitutionis pro interpretamento, a quodam glossatore, haberi debet. Suspicor etiam in mendâ cubare *τo vicinis*. Eandem medicinam Ovidius non respuet, ad fast. ii. 166.

> ——————— densâ niger ilice lucus;
> In medio gelidæ fons erat *albus* aquæ.

Agnoscis, opinor, lepores Nasonianos in oppositione istâ; *niger lucus*, et *albus fons*. Codices, *altus;* unus autem, *aptus*. Idem, met. v. 385. ubi fluctuant membranæ inter *altæ*, et *altus*, ad locum parallelum Claudiani castigandus est:

> Haud procul Hennæis lacus est a mœnibus, *albæ*,
> Nomine Pergus, *aquæ*.

Confer ibid. iii. 407. Hanc vocem procul omni dubio verissime redonabimus epig. 106. lib. v. Anthol. Lat. Burm.

> Unda quieta refert *albo* de gurgite formas;
> Ac, veluti speculum, nitido *splendore* coruscat.

Vulgatur, *alto:* sed ibi passim habes in paribus poëmatiis, *unda liquida*, *pura*, *illimis*, *mundissima*, et *purissimus humor aquarum*, ad phrasim Lucretianam quam proxime. Porro, de confusis *altus* et *albus*, notata ad ver. 147. superius inspicias. Dum vero in hoc sum, locus exstat, diversæ quamvis rationis, ubi eundem errorem librarii, nî fallor, erravere, in Silio, Pun. vi. 132.

> Donec Dis Italæ visum est exstinguere lumen
> Gentis; in egregio cujus sibi pectore sedem
> Ceperat *alba* Fides.

Libri, *alma*. Horatius, od. i. 35. 21.

> Te Spes, et *albo* rara *Fides* colit
> Velata panno.

Eundem conferas ad sat. i. 5. 41. Hæc autem si vera sit emendatio, multis aliis aliorum locis corrigendis portam pandet; quod satis sit admonuisse: nos enim huic rei diutius non immorabimur, quam donec contrariam mendam ex Q. Ciceronis versibus, ad ver. 361. nuper laudatis, et exstantibus etiam in Anthol. Lat. Burm. v. 41. eluerimus:

> Quam sequitur, *nebulis* rorans, liquor *almus* Aquarii.

In vulgatis, *nebulas*, et *altus:* sed hem! desino.

Ver. 391. *colum:* G. V. ed. B. L. M. *collum;* quasi scilicet rariora omnia tritis commutare librarii scriptores inter se conjuravissent.

Ver. 392. *at:* II. *ac.—contatur:* sic αρχαϊκως sola editio Veronensis; quam

Atque ideo fit, utei non tam diducta repente
Inter se possint primordia singula quæque
Singula per quoiusque foramina permanare.
Huc adcedit, utei mellis lactisque liquores,
Jocundo sensu linguæ, tractentur in ore;
At contra tetra absinthii natura ferique
Centaurii fedo pertorquent ora sapore;
Ut facile adgnoscas e lævibus atque rotundis

sequendam habuimus.—*olivom:* V. ed. *olivam.*

Heringa, vir exquisite doctus, atque idem admodum ingeniosus, ad p. 169. observationum ejus, legendum proponit *cunctanter:* i. e. "*subito* vina perfluunt; olivum, "*cunctanter.*" Facilis est et veri similis hæc emendatio, nec tamen sine libris equidem vulgatum ejecerim.

Ver. 393. *est:* Π. *aut.* Et in V. ed. B. sedes hujusce versûs, ac sequentis, invicem mutantur.

Ver. 394. *plicatis:* V. ed. *plicates*, omissis voculis *perque.*

Ver. 395. *tam:* abest V. ed.—*diducta:* P. V. ed. Ω. *deducta:* sed, me judice, longe melius est in hoc loco *diducta*, mediæ vocis ad potestatem, *se distrahentia*, vel *separantia;* quam *deducta* scilicet, *se detrahentia*, i. e. descendentia per colum.

Ver. 396. *possint:* Δ. Σ. Ω. *possit;* ut hæcce sit verborum constructio: "Atque "ideo fit, uti olivum non possit *κατα* "singula primordia permanare per sin-"gula foramina."

Ver. 397. *permanare:* M. Π. *permanere;* ad obviam solitamque permutationem.

Ver. 398. *Huc:* Π. *Nunc;* quæ facillima est aberratio, ob brevem scripturam et similitudinem majorum literarum *H* et *N.*—*adcedit:* Π. *accidit.*—*liquores:* Δ. Π. *liquoris.*

Ibid. *lactis liquores:* ut Justinus, xxiii. 1. 9. "Cibus his præda venatica; potus "aut *lactis*, aut fontium, *liquor* erat."

Ver. 399. *tractentur in ore.* Juvencus, evang. hist. iv. 661.

Permixtum felli vinum, dant pocula Christo;
Ille sed, in summo gustu *tractata*, recusat.

Ver. 400. *absinthii:* V. ed. *absinti;* Π. *absintia;* et *ferri* etiam, pro *feri.*

Ver. 401. *pertorquent ora.* Hinc sua ad geo. ii. 247. Virgilius hausit:

At sapor indicium faciet manifestus, et *ora*
Tristia tentantum sensu *torquebit* amaror:

de quo loco dictorum olim ibidem nos non pœnitet, tunc temporis ignaros eandem interpungendi viam Reiskio prius initam. Hinc autem certissima Artemidori emendatio sponte subnascitur, ad oneiroc. i. cap. 68. Οξος δε πινειν δοκειν, στασιασαι σημαινει προς τους οικειους, δια την του ΣΤΟΜΑΤΟΣ συστροφην. Et hoc utique, quod *amara convicia* hinc proveniant, secundum apostolum, ad Rom. iii. 14. ὧν το ΣΤΟΜΑ αρας και ΠΙΚΡΙΑΣ γεμει. Editi habent, σωματος.

Ver. 402. *adgnoscas:* V. ed. *agnoscis.*—*lævibus:* O. Δ. *lenibus;* ut codices solent turbare: vide Bentleium ad Hor. art. poët. 26. In versu sequente, Π. *possint.*

Ver. 404. *quæ amara.* Pariter Virgilius, ecl. viii. 108.

Credimus? an, *qui amant*, ipsi sibi somnia fingunt?

Ut videantur *æ* et *i* elisionem pati, et *tra qu' a, an qu' a*, dactyli restare. Progredere ad ver. 617.

Ibid. *aspera.* Idem, in geo. iv. 277.

Asper in ore *sapor.*

Ver. 405. *hamatis:* Δ. Π. *amatis.*—*teneri:* Ω. *tueri.*

Ver. 406. *Propterea:* V. ed. *Præterea.*

Esse ea, quæ sensus jocunde tangere possunt:
At contra, quæ amara, atque aspera, quomque videntur,
Hæc magis hamatis inter se nexa teneri;
Proptereaque solere vias rescindere nostris
Sensibus, introituque suo perrumpere corpus.
   Omnia postremo bona sensibus, et mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figurâ:
Ne tu forte putes, serræ stridentis acerbum

—*solere:* II. *solare;* et omittit insuper *que:* unde nobis dubitatio suborta est, quam cum lectore communicatam volumus; num rariorem dictionem atque vetustiorem importunitas scribarum indoctorum Lucretio expulerit; quem sic reformes:

> Propterea, *solitare* vias rescindere nostris
> Sensibus—.

A. Gellius, vii. 1. "Id etiam dicere haud "piget, quod iidem illi, quos supra no-"minavi, literis mandaverint; Scipionem "hunc Africanum *solitavisse* noctis ex-"tremo, prius quam diluculаret, in Ca-"pitolium ventitare—." Sic glossator vetus: "*Solito, ειωθα.*"

Ibid. *vias rescindere:* i. e. *secando aperire.* Hinc Virgilium probe interpreteris, ad geo. i. 280.

> Et conjuratos cœlum *rescindere* fratres:

ut repetitur ad Æn. vi. 583. i. e. *penetrare*—vi scandere—perrumpere—ingredi. Sic prior Homerus, Od. Λ. 315. de eodem eorundem gigantum facinore:

> ——— *ιν' ουρανος* ΑΜΒΑΤΟΣ *ειη.*

Falluntur æque, si quid valeam discernere, et Servius et Heynius ad locum. Glossarium vetus: "*Rescindo, αναισχιζω:*" i. e. *divido.* Idem Maro, Æn. ix. 524. "*Rescindit* vallum:" sed ii. 234.

> *Dividimus* muros, et mœnia *pandimus* urbis:

i. e. *diffidimus,* ut nonnulli male legunt; *αναισχιζομεν.* Sic etiam ad geo. iii. 453. "*rescindere* ulceris os," potest "*aperire* "ac *penetrare* ferro:" neque aliter capias "*rescindant* latebram teli," ad Æn. xii. 390. Et Heinsii notam consulas ad Ovid. trist. iii. 11. 63.

Ver. 408. *mala tactu:* II. *male tactui.*

Ibid. *bona sensibus:* ut Virgilius, geo. ii. 447. eodem regimine rariore usus est:

> At myrtus validis *hastilibus* et *bona bello*
> Cornus.

Addas licet huic exemplo Statium, Achill. ii. 50.

> ——tecum, *lituo bonus,* adsit Agyrtes.

Ibid. *bona sensibus, et mala tactu:* i. e. bona sensibus, et mala *sensibus:* nam locutioni mutatæ, *tactu* nempe, solus amor varietatis, et versûs necessitas, ortum dedit. Ita enim noster de singulis sensibus loqui solet; *aureis* tangere, i. 644. *gustum* tangere, iv. 225. *nareis* tangere, ibid. ver. 678. et *oculos* tangere, mox ver. 815. adeo ut in errore sit Faber, dum inter *sensibus* et *tactu* distinctionem comminisci vult. Bene interpres: "Denique, quæ "grata sunt et jucunda sensui, quæ ingra-"ta et injucunda."

Ibid. *mala tactu.* Idem ille Mantuanus, geo. iii. 416. hæc quoque mutuatus est:

> ——— *mala tactu*
> Vipera delituit:

quam phrasim, quum vox *tactu* utrobique spectet, Servius verissime videtur interpretatus: "Quæ et tacta nocet, et est "perniciosa, dum tangit."

Ver. 410. *Ne:* II. *Neu;* et, pro *serræ,* dat *ferri.*

Ibid. *serræ stridentis acerbum Horrorem.* Idem prorsus voluit indefessus sectator nostri diversâ dictione declarare, ad geo. i. 143.

Horrorem constare elementis lævibus æque,
Ac Musæa mele, per chordas organicei quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant:
Neu simili penetrare putes primordia formâ
In nareis hominum, quom tetra cadavera torrent,

Tum ferri rigor, atque *argutæ* lamina *serræ:*

i. e. procul dubio, *stridulæ, raucisonæ:* unde sæpe cogitavi, librarios scriptores, de quantitate syllabæ, ut fit, inscite solicitos, et potissimum in hac cæsurâ, corrupisse Maronem eundem ad ecl. ix. 36. ubi sic scripserat nitidissimus poëta:

> Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinnâ
> Digna, sed *argutus* inter strepere *anser* olores.

Certe non aliter Martialis, iii. 58. 14.

> *Argutus anser*, gemmeique pavones.

Ibid. *stridentis acerbum Horrorem.* Rursus Maro, geo. iii. 149.

> Asper, *acerba sonans:*

et ille iterum, ad Æn. vi. 288.

> ——————— ac bellua Lernæ,
> *Horrendum stridens.*

Ver. 411. *Horrorem:* II. *Honorem.*—*lævibus:* O. Δ. *lenibus;* quam confusionem nuper vidimus ad ver. 402.

Ver. 412. *organicei quæ:* V. ed. *organicaque;* Δ. *organi quæ.*

Ver. 413. *Mobilibus:* sic soli Vind. Σ. et nonnulli apud Pium in notis: reliqui omnes, *Nobilibus;* ad solitam in his vocabulis scribarum aberrationem. Contrarium vitium apud Avienum, orb. desc. 325. deprehendo, in exemplari saltem meo Maittaireano:

> *Protenus* hinc Garamas late confinia tendit;
> Trux Garamas, pedibus pernix, et arundinis usu *Nobilis.*

Vulgo, *Mobilis.* De hac autem permutatione, videas interpretes ad Rutil. itin. i. 222. et in primis Drakenborchium, ad Liv. x. 20. 8.

Ibid. *Mobilibus:* i. e. levissimâ solertiâ chordas pervolitantibus. Vegetius, art. vet. ii. 13. 3.—" tanta solerter; et " *mobili manu*, vel forficibus, eximito." Cæterum, vice *figurant*, Σ. *figurat.* Interea, lector observet, quam sint hujusce versûs locutiones felicissimâ ingenii solertiâ ad præsectum unguem elaboratæ. Vix minus eleganter etiam Maximianus, eleg. v. 17.

> Docta loqui digitis, et carmina fingere docta,
> Et responsuram solicitare lyram.

Ibid. *expergefacta.* Haud incommode committi potest Callimachus, hymn. Del. 312.

> Ποτνια, σεο περι βωμον, ΕΓΕΙΡΟΜΕΝΟΥ ΚΙΘΑΡΙΣΜΟΥ,
> Κυκλιον ωρχησαντο· χορε δ' ἡγησατο Θησευς.

Popio vero, Graioque, nostratibus hanc elegantiam arreptam esse, nos alibi in suis locis observavimus.

Ver. 414. *penetrare:* V. ed. II. *penetrale.*—*putes.* II. *putent.*

Ibid. *penetrare in nareis.* Sic de *odoribus* Claudianus, idyll. i. 98.

> Et, Pelusiacas productus ad usque paludes,
> Indus *odor penetrat nares.*

Ibi malim equidem *perductus*, ut in multis aliis veterum locis, ubi alteram vocem editoribus visum est retinuisse. Arnobius, lib. vii. p. 233. " Accipiunt auras, et " remittunt; ut *penetrare* illos possint *ni*" *dorum* differentium qualitates."

Ver. 415. *tetra torrent:* V. ed. *terra corrent.*

Ibid. Mecum dubitare soleo, an editores recte capiant ad mentem scriptoris vocem *torrent*, pro *cremant*, in pyris scilicet. Voluit fortasse noster elegantius exprimere vim dictionis Græcæ, satis usitatæ, ζέουσι *fervent:* i. e. " cum cadavera " *æstuant* putrescentia." Virgilius, geo. iv. 308.

Et quom scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchaeos exhalat propter odores:
Neve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos quei pascere possunt,
Et quei conpungunt aciem, lacrumareque cogunt,

> Interea, teneris tepefactus in ossibus, humor
> *Æstuat:*

quo tempore fit odor longe teterrimus. Hinc saltem doctus Prudentii locus recte accipiendus est, cujus vera proprietas non perspecta fuit editoribus, cathem. iv. 22. ubi par verbum neutre adhibetur:

> *Tetrum flagrat* enim vapore crasso
> Horror conscius, *æstuante* culpâ.

Conferas mox dicenda, ad ver. 927. Haud aliam ob caussam Statium castigare non reformidem, ad Theb. xii. 249.

> ———— egena sepulcri
> Busta jacere reor: grave comminus *æstuat* aër
> *Torridus*, et magnæ redeunt per inane volucres.

Vulgo, *Sordidus.* Propertius, ii. 21. 5.

> Venit enim tempus, quo *torridus æstuat aër.*

Et similiter eodem verbo usus est intransitive Columella, i. 4. 10.—" neque de" pressus hyeme pruinis torpet, aut *torret* " æstate vaporibus—:" ubi recte Gesnerus.

Ver. 416. *Cilici:* II. *simili;* ut ubique scilicet sua sors infelix nomina propria persequatur, in quæ capitale odium indocta scribarum gens amat exercere: vide supra, ad ver. 359.

Ibid. *Et:* fortasse *Ac* scribendum est; nec minus ad ver. 420. uti ad hunc locum Bentleius etiam putabat. Sed malim receptis adhærere.

Ibid. *scena croco perfusa.* Similem metaphoram, sed feliciore cum acumine periclitatam, mox illustrabimus ad ver. 627. Sallustius in fragm. hist. lib. ii.— " simul *croco sparsa* humus;" quæ vox eodem referenda est: sed opportunior obveniet Spartianus, Adrian. cap. xix. quem laudat Cortius: " Balsama, et *cro" cum*, per gradus theatri *fluere* jussit."

Ibid. *croco Cilici.* Appositus est pulcher locus in Culice Maronis, si Maronis, ver. 400.

> ———— Heic et acanthus,
> Et rosa purpureo crescit *pudibunda* colore:
> Et violæ genus omne heic est, et Spartica myrtus,
> Atque hyacinthus; et heic *Cilici crocus* editus *antro:*

quæ longe elegantissima est horumce versuum scriptura. Lævius, apud Gellium, xix. 7. *rubentem* auroram appellavit *pudoricolorem:* et alii similiter sunt locuti. Columella, x. 102. suavissime:

> Tum quæ pallet humi, quæ *frondes* purpurat auro,
> Ponatur viola, et nimium *rosa plena pudoris.*

Ita legitur longe venustius, ut egomet sponte correxeram. Vulgo, *frondens.*

Ibid. *perfusa recens.* Hoc quoque Maro, geo. iii. 156. ubi aliud exemplum Servius adduxit:

> Sole *recens orto.*

Ver. 417. *Ara Panchæos exhalat odores.* Bis fortasse locum hunc Virgilius respexerit, geo. iv. 379.

> ———— *Panchæis* adolescunt ignibus *aræ:*

quas tamen lectiones pluribus de caussis valde suspectas habeo. An dederit?

> ———— Panchæis *adolent sub turibus* aræ:

confer Plaut. Cas. ii. 3. 19. Iterum, Æn. i. 417.

> ———— ubi templum illi, centumque Sabæo
> Ture calent *aræ*, sertisque recentibus *halant.*

Ver. 418. *bonos colores:* i. e. pulchros —lætos—hilares—jucundos. Hinc expisceris genuinam lectionem Senecæ, ad Herc. fur. 814.

> Post quam est ad oras Tænari ventum, et *nitor*
> Percussit oculos *lucis* ignotæ *bonus*,
> Resumit animos vinctus.

Corporis, indicio nobis est tactus uterque.
Tactus enim, tactus, pro divôm numina sancta!
Corporis est sensus, vel quom res extera sese
Insinuat, vel quom lædit, quæ in corpore nata est,
Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res:
Aut, ex obfensu quom turbant corpore in ipso
Semina, confundunt inter se concita sensum:
Ut, si forte manu quam vis jam corporis ipse

ληνων και αξυγωνιων, των εν τῳ ὑδατι ὑπαρχοντων· και (*et*) *κατα τα εξωθεν δε των τοιουτων προςκρισιν, ἁ συνελασθεντα πηξιν τῳ ὑδατι* ΠΑΡΕΣΚΕΤΑΣΕΝ, 'ΟΣΑ *των περιφερων εκθλιψαντα.* Sic rescribimus: vulgo, *παρεσκευασε, ποσα.* Plutarchus, de primo frigido, p. 948. A. haud dubie Epicureos innuebat, de iis philosophis loquens qui sentiunt, *των σκαληνων και τριγωνοειδων σχηματισμων εν τοις σωμασι κειμενων, το ῥιγουν, και τρεμειν, και φριττειν, και ὁσα συγγενη τοις παθεσι τουτοις, ὑπο τραχυτητος εγγινεσθαι.*

Ver. 432. *dentata:* P. Vind. V. ed. Π. Σ. *tentata;* sed idem P. in codice Pomponii Læti *dentata* invenit.—*conpungere:* Π. *compongere.*

Ibid. *dentata—pruinam.* Hinc Horatius, sat. ii. 6. 45.

Matutina parum cautos jam *frigora mordent.*

Sidonius Apollinaris, vii. 263.

——— assiduis *dentatus* cædibus ensis.

Ver. 433. *tactus:* Π. *ac tactus;* et ordo lectioque codicis Δ. nî statim dictionem *tactus* noster exciperet, mihi vehementer arrisissent:

Corporis, indicio *est nobis tractatus* uterque:

ignis nempe, et *pruina;* sed, ut se res habet, reliquis libris omnino auscultandum arbitror.

Ver. 434. *pro divôm numina sancta!* Hanc incogitantiam et stuporem Epicuri castigatione acerbissimâ Dionysius Episcopus perstrinxit apud Eusebii præp. evang. xiv. 27. *Και δη κατ' εκεινων, των μηδεν προς ἡμας,* (*per istos deos, qui nihil ad nos pertinent:* nam interpres locum non intellexit) *ὁρκους τε και ὁρκισμους μυριους τοις ἑαυτου βιβλιοις εγγραφει, ομνυς τε συνεχως, Μα Δια, και Νη Δια, εξορκων τε τους εντυγχανοντας, και προς ους διαλεγοιτο, Προς των Θεων· ου τι που δεδιως αυτος, η δεδιττομενος* ΕΚΕΙΝΟΥΣ, *την επιορκιαν· κενον δε τουτο, και ψευδες, και αργον, και ασημον επιφθεγγομενος τοις λογοις αυτου παραρτημα.* In illam autem subitaneam orationis vehementiam, de *Tactu* potissimum verba faciens, Lucretius ob hanc caussam prorumpit, quod sit sensuum omnium præcipuus, ut maxime diffusilis; ac quidem sensus cæteri quodammodo possunt et ipsi *Tactûs* quædam species nominari: vide me ad ver. 408. et i. 305. Edidit etiam Epicurus tractatum singularem *De Tactu,* Περι Αφης· cujus meminit Diogenes Laërtius, in libris ejus recensendis, ad x. 28. Alcimus autem Avitus, poëm. i. 85. nobis in hac materie versatis præsentissimam quidem operam navabit. Sermo est de Dei creatoris opificio, hominem primum artifici manu effingentis; atque admirabilem *Tactûs* efficaciam sic luculenter prædicat:

Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque, potentem.
Tactus erit *solus,* toto qui corpore judex
Sentiat, et proprium spargat per membra vigorem.

In primo versuum egregiorum, vice *signat,* legendum esse putem, *fingit;* aut alio quovis pari vocabulo, si ab acutioribus possit erui, *τῳ signat* literarum vestigiis propius accedente.

Tute tibi partem ferias, atque experiare.
Quapropter longe formas distare necesse est
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
  Denique, quæ nobis durata ac spissa videntur,
Hæc magis hamatis inter sese esse necesse est,
Et quasi ramosis alte conpacta teneri.
In quo jam genere in primis adamantina saxa
Primâ acie constant, ictus contemnere sueta;

Ibid. *numina sancta.* Virgilius, Æn. iii. 543.

———— Tum *numina sancta* precamur
Palladis armisonæ—.

Ver. 437. *juvat:* Δ. *vivat;* errore facili ob literas prorsus consimiles in membranis: vide ad ver. 196.—*egrediens:* Vind. V. ed. B. Δ. *gradiens;* Π. Σ. *egradiens;* quod probo: P. *ingrediens,* sed ex aliis membranis vulgatum profert: vox abest L.

Ibid. *genitaleis res:* quas *loca* appellat, in iv. 1028. ut τοπους prius Græci.

Ver. 438. *obfensu:* P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *offensâ;* et ita Cicero ad Atticum, ix. 2. "Nam, quod negas te dubi-" "tare, quin magnâ *in offensâ* sim apud" "Pompeium hoc tempore, non video" "caussam, cur ita sit, hoc quidem tem-" "pore." Sed dudum suspicatus eram ex more Lucretii rescribi debere:

Aut ex *obfenso* quom turbant—:

atque ita postea inveni codicem Vindobonensem expresse exhibere: vide ad i. 795. iii. 954.

Ver. 439. Illud *que,* quod nonnulli libri τῳ *confundunt* minus necessario solent subjungere, non agnoscunt P. Vind. V. ed. B. G. L. Π. Σ.—*sensum:* G. *sensu.*

Ver. 440. Versum prorsus disperdidit Veronensis:

Uc si forte manu *quamos corpore* ipse.

Ver. 441. *atque:* hoc probat etiam Bentleius. Editores vulgo dant *æque,* contra libros scriptos.

Ver. 443. *edere:* V. ed. *ædere;* P. *lædere.*

Ver. 445. *esse* abest V. ed. ob similitudinem literarum in vocabulo præcedente: vide nobis monita ad ver. 19.

Ver. 446. *quasi ramosis:* V. ed. *quasi ramis;* Vind. B. Δ. Π. Σ. *quasi ramos;* P. O. Ω. *quasi per ramos;* non male, sed ad modum dicendi vulgariorem. Pius in notis dicit, quosdam legere, *quia sint ramis;* in quibus mihi videor dispicere germanam scripturam loci, sic se habeatem:

Et quasi *sis ramis* alte conpacta teneri.

Exaratum erat utique vulgari formâ *suis,* ut in quibusdam exemplaribus etiam ad iii. 1038. unde τὸ *sunt* profluxit.

Ver. 447. *jam:* Π. Σ. *nam:* et, in versu proxime veniente, Π. *prona,* vice *primâ.*

Ver. 448. *Primâ acie constant:* figurate; ut milites scilicet validissimi, et totius exercitûs propugnatores.

Ibid. *ictus contemnere suetâ.* Maro, Æn. iii. 77.

Inmotamque coli dedit, et *contemnere ventos.*

Et ambigi vix potest, an Lucretii locum respexerit ibid vi. 552. ut Lambinus etiam monuit:

Porta adversa, ingens; solidoque *adamante* columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant.

Ver. 449. *duri:* V. ed. Π. Σ. *dura.*

Ibid. *duri robora ferri.* Virgilius, Æn. vii. 609.

Centum ærei claudunt vectes, æternaque *ferri*
Robora.

Hinc *grave robur aratri,* ad geo. i. 162: est κρατερον μενος αροτρου—*validam vim ara-*

Et validei silices, ac duri robora ferri,
Æraque, quæ claustris restantia vociferantur.
Illa quidem debent ex lævibus atque rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant;
Namque papaveris haustus item est facilis quod aquarum:
Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque,
Et procursus item proclive volubilis exstat.

tri—robustum aratrum, ut probe Heynius: vide nostrum, i. 881. Hoc etiam Valerius Flaccus imitatione suâ probat, Argon. vii. 555.

——pars diri portant *grave robur aratri:*

adamantini utique, vel *ferrei*. Apoll. Rhod. iii. 1283. Pind. Pyth. iv. 418. Admodum venuste Avienus, orb. desc. 354.

Vomere quæ duro, quæ longi *pondere aratri*,
Sollicitavit humum.

Ver. 450. *quæ:* V. ed. Π. *quæque.*—*vociferantur:* V. ed. O. Π. Σ. *voce ferantur;* et forsan vere, si verba conjungantur; quum passim ἀρχαϊσμοὺς orthographiæ librarii obliteraverint, quorum nos tantummodo perpaucula quædam specimina, quoties scintillula forte fortunâ quævis ex codicibus emicaret, ausi sumus resuscitare. Vide Vossium ad Catull. p. 170. quem laudat Preigerus.

Cæterum, illustrabit nostrum Maro, Æn. i. 449.

————*foribus* cardo *stridebat ahenis:*

quam notionem pro ingenio suo sublimius extulit Miltonus nostras, Par. amiss. ii. 881.

———————— on their hinges *grate*
Harsh thunder.

Interea, divinationem Bentleii minus necessariam puto, qui rescribendum voluit:

Æraque, *quæ* claustris *restantibu'* vociferantur.

Ver. 451. *quidem:* Vind. Π. Ω. *autem.*—*lævibus:* O. Π. *lenibus.*

Ver. 452. *fluido:* V. ed. *fluvido.*—*constant:* O. Π. Σ. *constat.*

Porro, qui sequitur, versus communi fere editorum consensu pro adulterino habetur, atque ab hujusce loci sententiâ alienissimo: quum vero in omnibus libris MSS. et primis editionibus, ut videtur, compareat, de contextu nolui ejectum, ut aliorum editorum consilium fuit, sed solummodo numerorum ordine exceptum, ne hinc omnium sequentium series turbaretur. Neque equidem cum illis sentio, qui eum omnino illepidum et intempestivum judicant; sed tacitæ objectioni putem Lucretium hoc interposito ire obviam voluisse; quasi dixerat: "In superioribus affirmavi quidem, "ea corpora, quibus nostri sensus diverse "solent affici, ex primordiis constare di- "verse figuratis: mireris ergo fortasse, "me lævorem atque rotunditatem princi- "piis fluidorum omnium, gustu tantopere "discrepantium, assignare posse: sed me "facilitas, quâ omnia labuntur et devol- "vuntur, ad hoc cogit; adeo ut liquor "papavereus, exempli gratiâ, cum solido "quovis comparatus, necesse est ex lævi- "bus æque sit et rotundis generaliter, ac "simplex aqua; quamvis fortasse minus "accurate per se specialiter lævigatis et "rotundatis." Hæc autem lectoris judicio submittimus.

Ver. 453. *glomeramina:* i. e. aquæ globulos, quos videmus lubricâ cum mobilitate ad destillationem separari. *Glomeramen* est ex multis particulis quædam conglobatio: vide mox, ver. 685. συστροφὴ et συναθροισμὸς partium.

Ver. 454. *procursus:* ita Vind. si collatori sit fidendum; P. G. V. ed. B. L. M. O. Π. Ω. *perculsus;* Pii quidam codices, *percussus;* Δ. Σ. *proculsus:* ex quibus variationibus tantum non certissimum est,

Omnia postremo, quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammasque, necesse est,
Si minus omnia sunt e lævibus atque rotundis,
At non esse tamen perplexis indupedita;
Pungere utei possint corpus, penetrareque saxa,
Nec tamen hærere inter se; quod quisque videmus
Sentibus esse datum: facile ut cognoscere possis,

quum in *per* et *pro* facillima sit aberratio, verissime repositam esse nobis *procursus* (i. e. actio *provolvendi*; vide ver. 409.) lectionem, ad editorum exemplum præcedentium. Aliter, quoniam voces tritæ et passim venientes, in qualibus est *procursus*, depravationibus minus obviæ reperiantur, divinaveram, nec inepte forsitan, ad hunc modum:

Et *propulsus* item in proclive volubilis exstat:

confer iv. 287. et hoc satis sit breviter lectoribus impertisse.—*in* communium editionum post *item* non agnoscunt Vind. V. ed. G. Δ. Σ. Ω. et formula est longe elegantior *proclive volubilis*, *τῷ in proclive;* nisi quod me persuasum habeam Lucretium potius scripsisse, ad ætatis suæ et optimorum poëtarum morem, " in *pro-* " *cliva* volubilis:" sed nihil ausim de meo, re non cogente, demutare: adeas nostrum, vi. 728.—Porro, codex mancus Gottorpianus hic desinit.

Ver. 456. *Diffugere:* P. *Effugere*, id volens procul dubio, quod V. ed. B. Π. nempe *Affugere:* i. e. *Abfugere;* vulgo, *Aufugere:* quæ lectio mihi saltem præ se maximam speciem veritatis fert.

Ver. 457. *omnia:* Σ. *omnibus.*—*lævibus:* O. Π. *lenibus.*

Ver. 459. *Pungere:* V. ed. *Pangere;* Δ. *Frangere;* sed bene *pungere*, ut *fumus* nempe; vide ad ver. 420. quæ attulimus: *penetrare* vero *saxa*, ut *nebulæ*, et *flammæ:* adeas i. 327. 350. iv. penult. vi. 687. Virg. geo. i. 473.—*penetrare:* Π. *penetrale.* Et *que* deest O.

Ver. 460. Hunc versum, et sequentes duos, pro insititiis atque adulterinis Lambinus *ὀβελίζει:* hunc numero spuriorum Bentleius eximit, notam *νοθείας* duobus tantum posterioribus appingere contentus. Nobis sane, quod ad sensum atque connexionem attinet, nihil offendit, si modo puncta probe disponantur; et huic rei dedimus operam cavere. Alia tamen impedimenta, quæ ex lectionum varietate creantur, et ea quidem non levia, obmoventur: nam vulgatæ lectiones per se videntur undequaque commodæ; sed pro *quisque*, in libris omnibus invenitur *cunque*, et *Sensibus* pro *Sentibus.* In ultimo certe proclivis admodum fuerit aberratio; in primo non item. Loco *esse datum*, habent etiam L. M. *e se datum;* Vind. Δ. Σ. *se datum;* Π. O. *sedatum.* Jam vero, si quis, membranis veterum evolvendis exercitatus, in animum revocet, quam sint affines formis literæ *r*, et *t*, cum *cl*, et *d*, (vide mox, ver. 1035.) characterum dico minusculorum; ille, opinor, haud ægre fatebitur, eam versuum constitutionem, quam statim ex conjecturâ propositurus sum, probabilitatis specie minime carere:

Nec tamen hærere inter se, *quodquomque* videmus,
Sensibus est clarum:—

i. e. " Ea est natura fumi et similium, ut " pungant sensus, et corpora penetrent; " unde pronum est conjicere, has res ex " hamatis et angulosis elementis consis- " tere: quum vero res omnes hujuscemodi, " quæ oculorum testimonio subjiciuntur " (nam sunt ex illis, *odores* præcipue, " quæ vim acerrimam habent, nec tamen " acie oculorum attingi queunt) statim

Non e perplexis, sed acutis, esse elementis.
Sed, quod amara vides eadem, quæ fluvida constant,
Sudor utei maris est, minume mirabile quoiquam.
Nam, quod fluvidum est, e lævibus atque rotundis

"dissipentur, et undique spargantur; "fieri non potest, ut earum primordia, "utcunque inæqualia, valde perplexabili- "ter conjuncta sibi invicem adhæreant: "putem igitur hujuscemodi corpuscula "potius acuta esse, quam perplexa." Hæc videntur sensum omnino consentaneum efficere; et, paucis immutatis, contextui nobis exhibito æque congruunt, proprias cogitationes, ne in φιλαυτιας nimiæ accusationem incidamus, conjecturis aliorum posthabentibus.

Ver. 464. Editores post *minume* interpolant *id*, contra omnium librorum auctoritatem. Nos talia in Lucretium nobismetipsis non permittimus, nihil dubitantes voculam *id* pro versûs fulcimine intrusam esse quibusdam de quantitate metuentibus. Virgilius, Æn. vi. 97. "Quod *minime* "reris–;" eos meliora potuerat edocere. —*mirabile:* Π. *mirabilis.*—*quoiquam:* sic P. V. ed. Bentleio probante; sed Pii codices quidam, *habendum;* quod nos etiam ad priorum editorum exemplum amplexi essemus, alio libro addicente: L. M. *debet;* unde meum saltem acumen alicui probo excudendo non est.

Ibid. *Sudor maris.* Lege, *udor:* neque aliter ad vi. 501. Bentleius.
Nollem dictum, vir acutissime. Ut enim tibi concedam dictionem *udor* Latiâ civitate legitime donatam esse, quæ tamen controverso Varronis loco, de ling. Lat. iv. 5. inniti videtur; non est, in phrasi *sudor maris* quod erudito viro displicuisse debeat. *Sudor maris* valet *humida salsitudo maris:* vel *humor* simpliciter, atque inde *sudor* appellatus, quod *humor marinus* etiam *salsus* sit. Maro, Æn. ii. 173.

——— *salsus*que per artus
Sudor iit.

Appositus est etiam Ovidius, met. ii. 198.

——— nigri *madidum* sudore veneni.

Hinc petulans Gesneri inscitia, Claudianum ad Prob. et Olyb. cons. 221. culpantis, retundi potest:

——— taurina levantur
Cornua, temporibus raucos *sudantia* rivos:

i. e. *stillantia:* et vocem *raucos* contra Heinsium Burmannus bene tuetur, sed optime Virgilius, Æn. ix. 125. Aristoteles etiam, in meteor. ii. 3. Lambino laudatus, dicit Empedoclem vocitavisse mare ἱδρωτα της γης: et Plutarchus de plac. phil. iii. 16. idem testatus est. Jam vero locum Plutarchi, aliter citatum Eusebio, et Xylandro Reiskioque non intellectum, probe exhiberi in vulgatis satis evincunt, quæ subinde dicit Aristoteles; qui consulendus est. Denique, ad Lucretianam phrasim omnium maxime Serenus Samonicus facit, de med. 88.

Pruritus autem *salsus* levat humor aceti,
Sive *maris rabidi sudor.*

Sic legendum: *salsus* est, acris—acerbus; ut bene codex Leidensis: vulgo, *salsos:* et *rabidi*, vice *rapidi*, præcepit Keuchenius; de quâ permutatione nos ampliabimus ad v. 890.

Ver. 465. *quod:* Π. *qui;* non male, ut ad *sudor maris* redeat: vel etiam hinc probe legas ad hanc normam:

Nam, *quia fluvidus* est—.

fluvidum: Vind. M. O. Π. Ω. *fluvidus:* quæ vera possit esse lectio; sed in hanc magis opinionem propendeo, ut existimem a contracto *fluvidum est,* nempe *fluvidust,* istam varietatem exortam esse.

Ibid. *quod fluvidum:* i. e. *in* quod fluvidum—*quatenus* fluvidum est. Et *um* haud patitur elisionem; de quâ re inspice notam ad i. 362. iii. 197. Sic in monosyllabâ dictione Flaccus, sat. ii. 2. 28.

Est; et lævibus atque rotundis mixta doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum:
Scilicet; esse globosa tamen, quom squalida constent,
Provolvi simul, ut possint conlædere sensus.

——— cocto *sum* adest honor idem?

ubi perlegenda est exquisita Bentleii eruditio.

Ver. 466. *et:* sic dedi ex conjecturâ, leviorem mutationem putans, et æque bonam lectionem, ac eam, quam ingenia aliorum editorum interpolaverint, *at* utique: nam *e* simplex est librorum omnium, tam MSS. quam antiquitus impressorum, scriptura.—*rotundis:* Vind. *rotundi.*—*mixta:* P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *admixta;* quod mihi scrupulum injicit: et miror Pium, qui syllabam abundantem, nihil super eâ lectore monito, patienter tulerit, ac admiserit.—*doloris:* P. *volare.*

Ver. 467. *tamen:* P. *tantum.*—*retineri:* P. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *retinere;* non deterius; ut constructio sit: "Nec necesse "est, hamata primordia moram injicere "his corporibus."—*necessum:* sic P. Vind. V. ed. Π. quod, ut minus pervagatum, accipiendum habui: reliqui libri, *necesse est.*

Cæterum, lector, commonefaciendus restas, voculam *nec* in origines ejus, conjunctionem nempe *et* atque adverbium *non*, dispesci debere, si velis ad plenum intellectum argumentationis Lucretianæ pervenire. "Amara fluida, quum sint *fluida*, "ex lævibus et rotundis particulis com-"ponuntur; et, quum sint *amara*, ex "particulis etiam dolori affinibus, ita ta-"men, ut hæ particulæ scilicet non sint "in hoc casu hamatæ; id, quod liberri-"mus earum procursus haud patitur: "sint igitur oportet, et globosa et aspera," (hoc significatur τῷ *squalida;* vide ad ver. 425.) "ut uno atque eodem tempore "lædant, et pariter provolvantur."

Quid autem? observabam *nec* in *non et* resolvendum esse: sin hoc tibi leviusculum videatur, ex vero sensu multorum locorum in poëtis, hinc pendente, honorificentiorem de tantillâ re opinionem concipere ne dedigneris. Ad hanc formulam in Lucano, Phars. v. 439. se Cortius turpiter traduxit, dum conjecturis versum corrumpere volebat, gelatum mare describentem:

——— comprimit unda,
Deprendit quascumque, rates; *nec* pervia velis
Æquora frangit eques:

i. e. "*et* eques frangit æquora, velis *non* "pervia." Verum solus Burmannus sagaciter odoratus est. Idem tamen Burmannus, infelicissime sui immemor, probam lectionem ad Ovidii met. viii. 291. ejecit, et amplexus est depravatam *nunc:*

Nec matura metit fleturi vota coloni:

i. e. "*et* metit vota *non* matura." Valerium Flaccum, ad i. 133. interpretes silentio transiliunt; ne videantur scilicet lectorum suorum sagacitati nimium diffidere modestissime veriti, si locos luce meridianâ clariores enarratum eant, et titivilitiis suæ eruditionis et acuminis vim admoveant!

——— illa sedet, dejectâ in lumina pallâ,
Nec Jove *majorem* nasci suspirat Achillem.

i. e. "*et* suspirat Achillem *non* nascitu-"rum esse Jove majorem;" ob oraculum nempe parato matrimonio frustratum. Nota res est: sed de his satis, si et in Horatii loco mihi concedatur genuinam verborum constructionem aperire, quam perspexit nemo, ad od. i. 31. 19.

Frui paratis, et valido mihi,
Latoë, dones, et, precor, integrâ
Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec citharâ carentem.

Ordo et sensus sunt: "Latoë, dones mi-"hi, et cum sano corpore, et mente sanâ,

Et, quod mixta putes magis aspera lævibus esse
Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum;
Est ratio secernundi, seorsumque videndi.
Humor dulcis, ubei per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat.
Liquit enim supra tetri primordia viri;
Aspera, quo magis in terris hærescere possint.

"frui paratis; *et* degere senectam *non* "turpem, nec carentem citharâ."

Ver. 468. *esse:* V. ed. *est.—constent:* L. M. Π. *constet;* et sic sane constructio posset procedere, sed duriuscule, hoc pacto: "*Ut* constet esse ea globosa, cum "sint squalida." Vulgatis omnino standum est.

Ver. 469. *Provolvi:* Π. *Pervolvi;* ut modo ad ver. 454. *percursus*, vice *procursus*, vidimus.—*conlædere:* Σ. expresse; Π. *lædere*, omisso *et;* O. Δ. *collidere*, ad cod. Σ. sed scripturâ recentiore; reliqui omnes, *et lædere.* Quum vero id antiquitatis germanæ vestigium non temere relictum videretur, re diligentius exploratâ, notabilem sane, et quantivis pretii æstimandam, restitutionem huic loco tandem quivimus conficere. Infinitum verbum scilicet *Provolvi* officio substantivi fungitur, ut iv. 769.

Præterea, *meminisse* jacet, languetque sopore.

Et ordo est: "Ut, simul τῷ provolvi, possint sensus conlædere." Similiter, ut alii sæpius, Silius Italicus, v. 418.

——— avulsa est nam protinus hosti
Ore simul cervix.

Plenum fuerat, "simul *cum* ore." Similiter, interea, verbum casibus omnibus accommodari pene pudet admonere; ut satis sit lectorem remisisse ad Sanctii Minervam, iii. 6. has formulas multâ cum industriâ atque eruditione persequentis; et Perizonii commentarios. Invenustos autem librarios versibus ad has exquisitas dicendi rationes exactis propriam temeritatem atque inscitiam suæ gentis immiscuisse, mirari desinamus.

Ver. 470. *Et:* M. *At.—quod:* V. ed. *quid;* Vind. Δ. Ω. *quo*, ut vulgares editi; sed aliter potius loqui solet noster.

Ver. 471. *Neptuni corpus acerbum:* i. e. ille *sudor maris*, quem prius sibi in exemplum sumpserat, ver. 464. Faber, qui inter hæc distinguere conatus est, omnino fallitur. Et *acerbum* est *amarum.* Vetus glossarium: "Πικρὸν, *acerbum*, amarum:" et, "*Acerbum*, πικρόν:" cum quibus committas velim meam Silv. Crit. iii. p. 131. iv. p. 234. v. p. 155.

Ver. 472. *Est:* Vind. *Esse.—secernundi:* V. ed. Ω. *se cernendi.*

Ver. 473. Ordo verborum perturbatior est, quam velis; sed exempla non minus insuavia structuræ hujusce incompositæ ex poëtis studiosioribus harum rerum facile produci possent. "Humor idem dulcis *est*, ubi per terras crebrius percola-"tur." Editores sane de suis apothecis nobis *dulcit*, vel *dulcet*, loco *dulcis*, benignissime propinant; sed omnia, quotquot sunt, exemplaria huic facinori reclamitant, et voces istas casta Latinitas non agnoscit.

Porro, in Π. erasum est vocabulum *idem:* et hanc humoris percolandi viam fuse et ornate Virgilius denarrat, ad geo. ii. 238.

Ver. 474. *mansuescat;* i. e. mollescat —mitescat—dulcescat: uti Lucanus, x. 257.

*Æquoreos*que *sales* longo *mitescere* tractu.

Ver. 475. *Linquit:* V. ed. *Nequit;*

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ,
Ex hoc apta, fidem ducat: primordia rerum
Finitâ variare figurarum ratione.
Quod, si non ita sit, rursum jam semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Nam, quod eâdem unâ quoius vis in brevitate
Corporis inter se multum variare figuræ

Vind. *Inquit;* P. O. *Liquit*, optime; uti citat etiam Priscianus, lib. vi. p. 722. qui et exhibet *vestigia*, pro *primordia.*—*supra tetri:* P. *tetri supera;* V. ed. *separare;* Vind. *supera tetri;* Δ. Π. Σ. *superate;* Ω. *superante salo.*—*primordia:* Vind. *mordia;* amissâ syllabâ ob similitudinem præcedentium literarum in voce *tetri.*—*viri:* Σ. *rerum.* Ex his autem varietatibus nihil colligendum videtur, quo vulgata mutari debeant; nisi quod *Liquit* importaverim.

Ibid. *tetri viri:* i. e. salsi, vel amari; ut ver. 400. Hinc per oxymoron haud illepidum de pomo fatali, Evæ degustato, Alcimus Avitus, ii. 232.

Dulce subit *virus;* capitur Mors horrida pastu.

De dictione *virus* egimus ad i. 720. Plinium tamen apponemus, nat. hist. xxxi. 33. "Quidam et in quartanis dedere "eam (aquam maris) bibendam:——as-"servatam, et in hoc vetustate *virus* de-"ponentem." Ovidius, ex Pont. iv. 10. 46. 60. hoc *virus*, vel salsuginem, *vim* ac *vires* ponti vocat.

Ver. 476. *hærescere:* V. ed. *horrescere.* Et editi habent *possunt*, contra omnium veterum librorum auctoritatem.

Ver. 477. *quæ:* Π. *qua;* nec male: i. e. "Pergam connectere rem *eâ viâ*, quâ ex "hoc fidem ducit."

Ver. 478. *apta:* nonnulli, *acta;* P. in notis; ut O.—*ducat:* L. M. *ducit*, si credendum sit Havercampo.

Ibid. *apta:* i. e. dependens, et quasi hinc alligata: ut Cicero; Tusc. dispp. v. 21. "In hoc medio apparatu, fulgen-"tem gladium e lacunari, *setâ* equinâ *ap-"tum*, demitti jussit." Ibi recte animadvertit Davisius, variam lectionem *appensum* ex glossemate natam esse. Sed vide sis plura de hac dictionis significatione apud Nonium in *Aptam*, iv. 3. qui Tullii locum apposuit. Tibullus, i. 9. 69.

Ista *huic* persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, et Tyrio prodeat *apta* sinu?

Ita legendi sunt hice versus, ac distinguendi: unde speciem habet nostra Catulli emendatio ad Silv. Crit. ii. p. 31. et omnino consulas Servium, ad Virg. Æn. iv. 482. Solinus, cap. xxvi.—"sed, "*apti complexibus* mutuis, velut humanis "conjugationibus copulantur." Inspice etiam dicta ad iii. 851.

Ver. 479. *Finitâ:* P. V. ed. B. O. et Π. in rasurâ, *Finitas;* quam lectionem tantum non prætulerim.—*variare:* M. *variata;* insuavi sono.—*ratione:* P. Vind. V. ed. B. Π. *rationes.*

Ver. 480. *jam:* Ω. *rara.* Sed an detortum hoc fuerit ultimo loco per *rata* a *data?* Vide ver. 426.

Ver. 481. *debebunt:* Π. *debeunt;* V. ed. *debebant:* fortasse rectius.—*corporis:* V. ed. Π. *corporum.*

Ver. 482. *Nam quod:* ita P. i. e. "Nam *ita erit*, *eo* quod—:" cæteri omnes, si excipias Π. qui habet *Namque et in*, dant *Namque in:* sed repetitum *in* quo tandem pacto tolerari possit?—*eâdem unâ:* Π. *media ima;* quarum posterior usitatissima est permutatio: vide ad i. 992. —*brevitate:* Π. *brevi.* In versu sequente, V. ed. omittit *se.*

Ver. 484. *possunt:* Δ. *possum.*—*face enim:* sic Ω. forte mollius; Vind. B. L. M. Π. *fac enim;* P. Δ. *fateor;* V. ed. *sa-*

Non possunt: face enim minumis e partibus esse
Corpora prima; tribus, vel paullo pluribus, auge:
Nempe, ubi eas parteis unius corporis omneis,
Summa atque ima, locans, transmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
Formarum speciem totius corporis ejus;
Quod super est, si forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde sequetur,

temur; Σ. *fatemur.* At enim *face* videtur antiquior orthographia, et fortasse multis comicorum locis restituenda est. Varro, de re rust. i. 9. 7. "Sed, quod sequitur, "tertium illud de modis *dice*." Et ibid. ii. 1. 11. Sosipater Charisius, gramm. inst. lib. iii. p. 227. "Omnia imperativa "tertiæ conjugationis secundam perso- "nam instantis temporis per *e* literam "terminantur. Corrumpuntur autem hæc "tria; ut facio *fac*, dico *dic*, duco *duc*: "—sed *apud veteres* salva est regula; "nam dixerunt, *face*, *duce*, *dice*." Q. Rhemnii Palæmonis ars gramm. p. 1382. "Sed quæstio de *Dic*, *Duc*, et *Fac*; nun- "quam enim, additâ *re*, integre sonuerit "infinitivus: sed hoc usu plurimum va- "luit; nam Virgilius dicit *Dice*, et Te- "rentius *Face*: quibus si adjicias *re*, "faciunt integre sonare infinitivum mo- "dum, *Dicere*, *Facere*, *Ducere*." Hinc haud dubitem legere in Virgilii Æn. i. 753. vi. 318. 343. vii. 546. *dice*, pro vulgari *dic*; et Æn. xi. 464. geo. iv. 358. bis *duce*, pro *duc*. Idem Varro, ibid. iii. 2. fin.—"*induce* me in viam disciplinæ." Sed omnino consuli debet Burmannus, ad Anthol. Lat. iii. 135. 6.

Ver. 485. *tribus vel*: Π. *partubus uti.* —*auge*: idem *euge*; et V. ed. interpolat *præ* ante *tribus*.

Ver. 487. *transmutans*: V. ed. Ω. *transmutas*; Π. *transmittas.* Pro *lævis*, Gronovius, obss. 3. 1. p. 433. laudante Havercampo, videtur voluisse *lævius*, quæ fuit prior scriptura codicis M. quamvis eâdem manu superscripta sit *lævis*. Quid autem sibi velit istud *lævius*, malim dicant alii: me prorsus ignorare fateor. Horatius, sat. i. 4. 58. locum habet non dissimilem:

——— et, quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, præponens ultima primis.

Ver. 488. *Omnimodis*: sic editiones vulgares recte, ex Lambini ingenio, ut exputem; L. M. *Omnimodi*; reliqui omnes, *Omnimodo*; quibus nullo modo possum subscribere, ut hiatus scilicet minus necessario relinquatur, et loquendi norma, Lucretio insolita, qui sæpe formâ *omnimodis* usus est, inferatur.

Ver. 489. *Formarum*: L. M. Δ. *Formai*: parum interest. Et ordo est: "Nempe "ubi, locans eas omnes partes, et sum- "ma et ima, unius corporis, dextera læ- "vis transmutans, eris expertus omni- "modis, quam speciem formarum quis- "que ordo totius ejus corporis det; si "velis ulterius formas variare, id non "aliter quam ex novarum particularum "accessu fiet."

Ver. 490. *voles*: Vind. V. ed. L. M. *vales.* Et tres versus, qui statim consequuntur, desunt Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. deceptis haud dubie apographis homœoteleuto vocabulo *figuras*, uti sagaciter admonuit nuperus editor Lucretii ad exemplar codicis Vindobonensis. Hæc autem est ex iis depravationibus, quas nullæ criticorum opes emendare valeant; et, defectu scriptorum librorum, nequit ambigi quin multi sint auctores, qui vitiis inemendabilibus ob hanc caussam in omne tempus inquinabuntur: quod satis sit in transitu præstrinxisse. Hinc est, quod in codice

Adsimili ratione, alias ut postulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formarum novitatem corporis augmen
Subsequitur: quâ re non est ut credere possis,
Esse infinitis distantia semina formis;
Ne quædam cogas inmani maxumitate
Esse: supra quod jam docui non esse probare.
  Jam tibi Barbaricæ vestes, Melibœaque fulgens

Cantabrigiensi, Juvenalis satiræ vi. ver. 146. omittatur; et in nostro codice O. ver. 836. libri primi.

Ver. 491. *Addendum parteis:* egi de hac formulâ ad i. 112.

Ver. 492. *Adsimili:* P. *Asimili;* O. Ω. *At simili.*

Ver. 494. *formarum:* Δ. *formai.*—*corporis:* V. ed. Π. *corporum.*—*augmen:* Π. *agmen.*

Ver. 497. *Ne:* Π. *Nam.* Et vocis *maximitas* usum non aliunde, opinor, habuit Nonius probatum dare ex veterum scriptis, quam ex hoc Lucretii versu, quem ille grammaticus apposuit. Arnobius, pro solito sibi, hanc etiam nostro peculiarem dictionem suis immiscuit, ad lib. vi. p. 204. "Ratione hac ergo sequitur, "ut intelligere debeamus—Deos—in vas- "tis porrigere se longius, atque in *maxi-* "*mitatem* producere."

Ver. 498. *esse probare.* Hæc scriptura est longe exquisitior codicum antiquorum Pii; quam librarii non satis intelligentes in τὸ *posse* omnium exemplarium reliquorum demutavere: hoc autem facto, necesse habuerunt editores *probari* ponere contra omnia exemplaria, loco *probare:* illam lectionem tamen in O. Δ. egomet inveni. Enim vero formula, quam Lucretio restituimus, usitatior est, quam quæ stabiliri exemplis vel poscat se, vel patiatur. Redi ver. 469.

Ver. 499. *Barbaricæ vestes:* i. e. generaliter *orientales*, propter diffluentem opulentiam ac luxuriosissimos cultus harumce gentium. Virgilius, Æn. ii. 504.

Barbarico postes auro, spoliisque, superbi.

Quem secutus est Valerius Flaccus, vi. 526. ubi locutio *chlamys ardet*, cum locis adductis Heinsio, multum illustrat τὸ Cari *fulgens purpura:*

Nec levior comitatur Aron; horrentia cujus
Discolor arma super, squalentesque ære lacertos,
Barbaricâ chlamys ardet acu.

Squalentes ære: i. e. squamis æreis horrentes: vide supra, ad ver. 425. Euripides, Iph. Aul. 73. de Paride loquens:

——————— ανθηρος μεν ειματων ΣΤΟΛΗΝ,
Χρυσῳ τε λαμπρος, ΒΑΡΒΑΡῼ ΧΛΙΔΗΜΑΤΙ.

Ita locus castigandus est ad fidem quorundam Clementis Alexandrini codicum: i. e. "fulgens vestimento floribus aureis "picturato." Vulgo, στολῃ: conferas ejusdem Iona, 1178. editionis meæ. Et priorem Euripidis locum imitatus est Horatius, od. iv. 9. 13. unde explicare vim atque venustatem dictionis αναπτερωσας in Herodoto, ii. 116. quam prudentes editores non attigere, in proclivi est; sed hæc nos ab opere proposito longius eveherent.

Ibid. *Melibœa Purpura.* Ex loco Virgilius profecit, nonnihil etiam de suo ornamenti intertexens, ad Æn. v. 251.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici *Melibœa* cucurrit.

Ibid. *fulgens Purpura.* Idem Maro, ad Æn. ix. 614.

—— picta croco, et *fulgenti* murice, vestis.

"Fulgenti murice, *purpurâ.*" Servius.

Ver. 500. *tincta:* sic editores, post

Purpura, Thessalico concharum tincta colore;
Aurea, pavonum ridenti inbuta lepore,

Pium et Veronensem, verissime reposuere, pro *tecta;* quod vitium omnia exemplaria scripta obsidet. Eandem restitutionem, libris itidem renuentibus, nosmetipsi Virgilio nuper fecimus, ad geo. i. 467. plausuris, ut auguramur, eruditis. Et vulgati inferciunt *et* ad finem hujusce versûs, sed omnino sine libris.

Ibid. *Thessalico:* nam civitas *Thessaliæ*, teste Servio, l. c. est *Melibœa:* cui consentit Stephanus Byzantius.

Ver. 501. *ridenti:* sic Ω. et alii dudum restituerunt ex libris scriptis; sed reliqui omnes, quibuscum nobis res est, *rident.* Facile *i* elaberetur ob sequentem syllabam.

Ibid. *Aurea pavonum lepore.* Anthologia Lat. Burm. iii. 132. 2.

> Tuo palato clausus *pavo* pascitur,
> Plumato *amictus aureo Babylonico:*

quæ Lucretium egregie illustrant: nam hunc versum, ut præcedentis exegeticum capio, quum voces, quibus pavones tam in poëtis Græcis, quam Latinis, insigniri solent, *χρυσεος* puta, *ανθηρος*, et similia, indifferenter de luxu vestimentorum etiam usurpentur. Locum Lucani non alienum admovebo, ut videamus quid sibi velit illud epitheton *plumatus:* nam scholiastes rem non tenuit; editores autem, pro solito sibi, melius putant dissimulare, quam ignorantiam suam ingenue fateri. Legitur autem in Phars. x. 123.

> Strata micant; Tyrio quorum pars maxima fuco
> Cocta diu virus non uno duxit aheno:
> Pars auro *plumata* nitet, pars ignea cocco:

auro plumata: i. e. aureis squamis obducta—auro squalens, vel horrida: vide nos supra ad ver. 425. Rem conficiet Virgilius, Æn. xi. 771.

> ——————— quem pellis ahenis
> *In plumam squamis auro* conserta tegebat.

Bene Servius: "Pluma est in armaturâ, "ubi lamina in laminam se indit."

Ibid. *ridenti:* i. e. splendenti; post Græcos: ut Homerus, Il. Τ. 360.

> ——————— ΓΕΛΑΣΣΕ δε πασα περι χθων
> Χαλκου ὑπο στεροπης:

vide nos ad ver. 375. et iii. 22. Interea, mihi satis liquet, hanc dictionem redonandam esse carmini 292. ver. 13. lib. iii. Anthol. Lat. Burm. vel Ausonii idyll. xiv. vide ad ver. 319. supra:

> Clara pruinosis *ridebat* gemma frutetis.

Vulgo, *candebat;* sed varia lectio *gaudebat* nihil est nisi veræ vocis, ope nostrâ restitutæ jam nunc, interpretamentum. Libet vero Petronium *εν παροδῳ* ab inscitis conatibus editorum vindicare, in cap. 109.

> Nunc umbrâ nudata suâ jam tempora *mærent*,
> Areaque attritis *ridet* adusta pilis:

i. e. *splendet:* nam, calvo credite, lectores! *nitent* capita calvorum; aut saltem Homero fides sit: hinc enim Eurymachi festiva dicacitas in Ulyssem, Od. Σ. 353. tota pendet:

> Εμπης μοι δοκεει δαϊδων σελας εμμεναι αυτυ
> Και κεφαλης· επει ου οἱ ενι τριχες ΟΥ ΔΗ ΒΑΙΑΙ:

sic enim ubique in eo legendum est. Hic autem locus non effugit *Synesii* diligentiam in *encomio* ejus facetissimo. Juvenalis, sat. xi. 103.

> Ut phaleris *gauderet* equus:

i. e. enitesceret, et splenderet.

Ibid. *inbuta.* Idem potest hæc dictio *τῳ tincta* prioris versûs. Sic *Avienus*, Arat. 1446.

> ——————— similis *lux imbuit* ortum:

et infra, ver. 1574. pariter, ut opinor, scribendus:

> ——— ne sanguineus late *rubor imbuat* ora:

i. e. tingat—inficiat: vulgo, *induat.* Vide mox, quæ dicentur, ad ver. 733.

Ibid. *inbuta lepore.* Huc oculos etiam Manilius convertebat, ad iv. 525.

> Nec triste ingenium, sed dulci *tincta lepore*
> Corda creat.

Ver. 502. *Pepla.* Hæc est nimis elegans Burmanni emendatio, ad Petronii

Pepla, novo rerum superata colore, jacerent:
Contemptus sudos smyrnæ, mellisque sapores;

cap. *55.* proposita; ubi, quæ bene multa interpretes congessere, ad illustrandum Lucretium egregie facient. Loquitur nimirum per omnem locum Carus noster de rebus inanimatis; unde viventium pavonum mentio intempestiva maxime et *ἀπροσδιονυσος* haud injuriâ videri possit. Jam vero ex universis Latinitatis thesauris vocabulum magnificentiæ sermonis Lucretiani atque amœnitati adjunctarum phrasium accommodatius hac conjecturâ nemo deprompserit. Isidorus. origg. xix. 25. "*Peplum*, matronale pallium, ex purpurâ signatum; cujus fimbriæ *aurei* staminis summitate *resplendent.*" Sic legendum: libri, *aureis*. Servius, ad Virg. Æn. i. 480, *peplum* definit, *pallam pictam femineam*. Versus quidam nobis admodum appositi leguntur in Homeri hymno ad Venerem, ver. 86. sed corrupti luxatique, hoc autem pacto concinnandi:

Πεπλον μεν γαρ ἑεστο, φαεινοτερον πυρος αυγης,
ΚΑΛΟΝ, ΧΡΥΣΕΙΟΝ, ΠΑΜΠΟΙΚΙΛΟΝ· *ὡς δε σεληνη,*
Στηθεσιν αμφ' ἁπαλοισιν ἐλαμπετο, θαυμα ἰδεσθαι.
Ειχε δ' επιγναμπτας ἑλικας—κτλ.

Æqui judices et idonei, qui sibi id laboris sumpserint, ut Il. E. 338. Z. 289—296. J. Pollucem, vii. 50. cum hoc loco conferant, haud invite fatebuntur, opinor, depravationem scribarum insigniorem pulchre mihi profligatam esse. Cæterum, ut ex abundanti divinationem Burmannianam, in optimis sane atque felicissimis habendam, confirmatam atque illustratam demus; quid colorem sermonis Lucretiani per hunc locum propius attingit descriptione illâ pepli Papinianâ, ad Theb. x. 59?

——————— variis ubi plurima *floret*
Purpura picta modis, mixtoque *incenditur auro*.

Jam vero lectionis varietatem percenseamus, ut nihil desit lectoribus, quo minus judicium de hac emendatione accuratum ferant. *Pepla novo:* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *Sed nova:* unde sane ob similitudinem *cl* τῳ *d*, vulgaris editorum lectio, *Secla* scilicet, aliis non obstantibus, speciem haberet: emendatissimi codices Pii dant, *Sedulo quæ:* de scripturâ membranarum L. M. in hoc loco, ut in aliis bene multis, parum liquido constat; et sane Havercampus, cui liber usus horum optimorum exemplarium suppetebat, perfunctorie nimis officio suo functus est. Ipsum me etiam nonnihil subinde culpo, qui aliquoties membranas Ω. negligentius inspexerim; sed recentior is forte liber, quam in quo locorum de hoc genere valde lubricorum omnis cardo versari debeat.—Denique, si *Secla* scripserit Lucretius vocem ubivis obviam, et ipsimet passim frequentatam, unde corruperint librarii, ægre aliquis divinet.

Ver. 503. Conjunctionem *Et*, a quâ omnia exemplaria versum ordiuntur, quâ de caussâ potissimum omiserim, statim patebit. Sane, sine copulis, incessu vividiori atque stabiliori locus procedit, et similem interpolationem nuperrime ejecimus de fine ver. 500.—*sudos*, vel *sudor:* (sed nos orthographiam vetustam Lucretii, et antiquis agnitam grammaticis, ut decor ac proportio postulant, amplectimur) sic perspicue Δ. Π. Σ. et V. ed. quam proxime, *suodor* nempe; L. M. *udor;* errore facili, quum literam prostantem præiens vocabulum attraxerit et eliserit: reliqui omnes, P. Vind. B. Ω. utique, *odor;* dictione tritissimâ cum aliâ ex longe elegantissimis, quod adsolet, commutatâ. Sed enim auctor Ciris non absurde judicari potest hunc ipsissimum locum imitari voluisse, ver. 438.

Non mihi jam pingui *sudabunt* tempora *myrrhâ*.

Totidem verbis Euripides, Ion. 1194.

——————— *ἐκ τε γαρ κρωσσων ὑδωρ*
Χεροιν επεμπε νιπτρα, κἀξεθυμια
ΣΜΥΡΝΗΣ ἹΔΡΩΤΑ:

ubi nos videndi: sed notissima est translati sermonis formula, nec annotationis

Et cycnea mele, Phœbeaque, dædala chordis,
Carmina, consimili ratione obpressa silerent:
Namque aliis aliud præstantius exoreretur.
  Cedere item retro possent in deteriores
Omnia sic parteis, ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retro quoque tetrius esset
Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapori.

longioris indigens.—*smyrnæ:* sic, *αρχαϊκοις* et *Αιολικοις*, exhibent P. Vind. V. ed. B. L. M. Σ. sed Δ. Π. ut editiones communes, *myrrhæ; Ω. smirnæ.*

Porro, lector observet velim, Lucretium eis rebus inhærere, quæ vel oculis, vel naribus, vel gustui, vel auribus denique, obversantur, (vide ver. 510.) nullâ interea *tactûs* ratione habitâ; hac nimirum de caussâ, quod is sensus unus alios omnes attingat et comprehendat: redi ad ver. 408.

Ver. 504. *cycnea:* Π. *cyngea; Ω. cyreneam.—mele Phœbea:* Δ. Ω. *elaphœbæa.—mele:* Π. *idem.*

Ibid. *dædala chordis:* i. e. ope chordarum variata. In hoc usu dictionis, quatenus carminibus accommodetur, auctorem Pindarum noster habuit, Ol. i. 169.

——————— *κλυταισι δαιδαλωσιμεν ὑμνων πτυχαις.*

Lyrici scholiastæ atque interpretibus ad Pyth. iv. 526. non assentior, sed a Lucretio expositionem malim petere:

Πολλακις εν τε σοφαις δαιδαλεαν
Φορμιγγα βασταζων παλι-
-ταις, ἡσυχιᾳ θιγομεν·

i. e. diversorum cantuum capacem. Idem denique Nem. xi. 23.

Και μελιγδουποισι δαιδαλθεντα μελιζεμεν αοιδαις.

Ver. 506. *exoreretur:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. *exoriretur:* et, quam ob rem syllaba *ri* hujusce temporis haud æque bene possit corripi, atque in præsenti tempore modi indicativi, non equidem invenio; et istæ mutationes moribus antiquiorum poëtarum adversantur. Ad eundem modum variatur vox *potiremur* in MSS. ad Ovid. met. xiii. 230. ubi videndi sunt eruditi commentatores, qui mihi neutiquam persuadent. Nisi *re potitur* in poëtis exstaret, syllabam secundam brevem exstitisse nemo credidisset. Δ. *exorerentur:* atque hic versus cum duobus sequentibus desunt L. et M. In Δ. vero verr. 507. 508. transpositi leguntur: atque, in versu præeunte, Π. *sileret.*

Ver. 509. *retro quoque tetrius:* V. ed. B. O. Π. Σ. *retroque ut acrius;* Δ. *retroque ut tetrius.*

Ibid. *retro.* Displicet hujusce vocis, prorsus, ut videtur, supervacaneæ, repetitio. An dederit noster?

Namque aliis aliud *tetrum* quoque tetrius esset:

quo nihil facilius aptiusque desiderari queat. Et, si rem intuearis, vix ulla literarum fit mutatio: quantulum enim inter se discrepant *retro* et *tetrō?* i. e *tetrom*, vel tetrum: vide i. 970.—Cæterum, in versu proxime veniente, *atque* deest Π.

Ver. 511. *quin:* i. e. *imo*, vel *sed*, vel in simili quodam significatu, cujus plura exempla tibi lexicographorum collectiones non denegabunt. Sic autem ausus sum ex conjecturâ rescribere, pro librorum omnium lectione *in*, ut deploratæ constructionis morbo facillime mederer. Alii sane editores hanc medicinam alio modo administrare voluerunt; inferciendâ nempe conjunctione *et* ad finem versûs: quod et inconcinnum est, atque duabus rationibus oppugnatur, quæ divinationem meam ex Lucretii ipsius auctoritate summo operè stabiliunt. Si te ad indicem recipias, statim deprehendes locutionem *reddere rebus*, et germanas multas, poëtæ nostro

Quæ quoniam non sunt, quin rebus reddita certa
Finis utrimque tenet summam; fateare necesse est,
Materiam quoque finitis differre figuris.
  Denique, ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas
Finitum est, retroque pari ratione remensum est.
Omnis enim, calor ac frigus: medieique tepores
Inter utrasque jacent, explentes ordine summam.

quam familiariter adhibitas; *reddere* autem *in rebus*, nusquam legi. Rursus, phrasim *reddita certa finis rebus* libentissime usurpat noster; sed locutiones istæ, quæ exsurgunt, si seorsim ponantur voces *rebus reddita;* atque itidem seorsim *certa finis*, quod posito τῳ *et* editorum ad finem versûs extemplo necessitate factum est, a stylo Lucretiano prorsus abhorrent, neque, ut exputem, per totum ejus poëma vel vice simplici lectoribus ostenduntur. Sperem igitur, hæc saltem meam emendationem judicibus æquis et idoneis approbatura esse.

Denique, alia divinatio menti meæ se obtulerat, quam cum lectore communicavisse non pigebit, et viæ editoribus initæ nullus dubitem longe anteferre; quamvis haud eam præ illâ malim, quam prior sim ingressus:

Quæ quoniam non sunt *in* rebus, *sed* data certa
Finis utrimque tenet summam:—

ut inferius, v. 384.

Posse dari finem.

Ver. 513. *Materiam:* P. *Materiem.*—*finitis:* sic P. Π. soli; reliquis in omnibus legitur *infinitis*, apertissimo scriptoris scopo repugnante.—In priore versu, pro *utrimque*, Π. *utrumque:* quæ dictiones alias confunduntur.

Ibid. *finitis figuris:* i. e. "Quum summa ipsius materiæ sit finita, necesse est, ut omnes figuræ, quas materia poterit induere, sint etiam numero finitæ." Hanc tamen conclusionem poëtæ nostri filii geometrarum ei sunt neutiquam concessuri. Sed cum sensu poëtæ grammatico, non accuratâ opinionum veritate, nobis in hoc munere defungendo res est.

Ver. 515. Τῳ *est* secundo carent B. Δ.—Hoc autem dicit Lucretius: "Per tempestates quatuor tantummodo totus annus demutatur: ab ignibus æstatis si exordiaris, et cursum per pruinas usque ad eosdem ignes remetiaris, omnes videbis varietates tempestatum; annus in alias non excurrit: his solis terminatur in omni tempore: suos intra fines, ut alia universa, continetur."

Ver. 516. *Omnis:* i. e. "Omnis *annus est* calor, ac frigus; nihil aliud." Editiones nobis dant *Finit*, invitis libris omnibus, si excipias Vindobonensem, cujus collatorem in hoc loco probabile est cessavisse. Π. interponit *ac* post *enim.* Si ad conjecturas fugiendum sit, proposuerim:

Obdit enim calor ac frigus:

i. e. Claudit—impedit—obstat—quo minus divagetur; adeo ut τo *Finit* ex glossemate natum videri possit: quod millies factum novimus. Festus: "*Obdere* opponere."

Ibid. *mediei tepores.* Hos Virgilius tam exquisitis versibus uberius exposuit, ut mihi temperare nequeam, quin apponam. Leguntur autem in geo. ii. 343.

Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret *frigus*que *calorem*que
Inter, et exciperet cœli indulgentia terras.

Anne aliquid divino illo ingenio dignius legisti? Et tam *autumni*, quam *veris*, descriptio est generalis; uti Servius existimat.

Ver. 517. *utrasque:* nempe tempestates; ut Hippocrates, aphor. iii. 16. *εν τῃσιν επομβρηησιν:* i. e. *ὥραις;* de quâ ellipsi consulendus est L. Bosii libellus, ubi locus Hippocratis adducitur. Hæc scilicet

Ergo finitâ distant ratione creata:
Ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur;
Hinc flammis, illinc rigidis insessa pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ,
Ex hoc apta, fidem ducat: primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figurâ,
Infinita cluere: et enim, distantia quom sit
Formarum finita, necesse est, quæ similes sint,

lectio est codd. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. quibus consentientibus haud obsistendum esse arbitratus sum: editi vulgares, ut Vind. P. exhibent *utrumque;* formulam tritiorem, et, uti putem, ad librariorum captum importatam. Nimirum, religio mihi fuit membranarum testimonium opinationibus meis conjecturalibus posthabere, quamvis non ambigerem, acumen meum ipsissimam poëtæ manum discrevisse. En! eam tibi:

Inter *utrâque* jacent:

i. e. Interjacent *ex* utrâque *parte;* quæ longe usitatissima est ellipsis linguæ utriusque scriptoribus; sed raritas hujusce formulæ librariis imposuit. Locupletissimum est in hanc rem Nonii, ii. 882. testimonium: "*Utrâque;* pro utrinque, vel "utroque. Hemina, histor. lib. iv. In "Hispaniâ pugnatum bis; *utrâque* nostri "loco moti." Quæ sequuntur in isto articulo, sunt corruptissima; nomen scriptoris cujusdam continentia, et hujusce dictionis aliud exemplum. Fallitur tamen grammaticus in Heminæ loco: nam ibi vox *utrâque* ad ejus propositum nihil facit, nec referri debet ad dictionem *parte* subintellectam, sed ad *pugnâ*, quæ in verbo tacite comprehenditur; de quo redeas ad i. 343. et ibi commentata. Hæc autem formula ex unius codicis auctoritate solâ, ob perpetuam scribarum propensionem in rariorum cum trivialibus commutationes, omnino Maroni redonanda est, Æn. v. 469. ubi legitur *utroque:*

Jactantemque *utrâque* caput—.

Fortassis etiam *calor* et *frigus*, pro *zonis* calidis frigidisque, stare poterunt: quod si liceat, *te utrasque* stationem suam validissime tuebitur. Videndum est insuper, an non vel *vias*, vel *partes*, haud valeamus legitime subintelligere. Quid obstet, ego quidem nihil video: lectores velim judicent. Porro, pro *summam*, L. *summa*.

Ver. 518. *distant creata:* i. e. "hi tepores medii ita creantur, tam verni, "quam autumnales, ut ex æquis distantiis frigus inter, et calorem, utrinque "jaceant." Tam certis scilicet limitibus universæ totius naturæ partes disterminantur, ac vallantur!

Ver. 519. *Ancipiti:* Vind. *Ancipi.*—*mucroni:* P. L. *mucrone;* sed in *i* sæpissime apud Lucretium sexti casus hujusce declinationis terminantur, et in hoc loco vel casus tertius legitimæ constructioni non repugnabit: ideoque nolui cæteris editoribus morem prave gerere, scribendo *mucrone* contra librorum plurium auctoritatem.—*utrimque:* Vind. Δ. Π. *utrumque;* sic ut aberratum est etiam ad ver. 513.—*notantur:* Π. *vocantur.*

Ibid. *mucroni notantur:* i. e. "puncto "facto designantur atque finiuntur:" ut docta sit translatio ex geometricarum linearum in superficie tabellæ descriptione.

Ver. 520. *insessa:* sic Σ. ut plerique editores; et haud dubie sic poëta scripsit: *infessa* dant, cum minimâ quidem varietate, Vind. B. L. M. O. Δ. Π. *infensa*, V. ed. P. *intensa*, Ω. *obsessa*, codices Pii; quod eodem cum vulgatâ lectione redit.

Esse infinitas; aut summam materiaï
Finitam constare: id, quod non esse probavi.
Quod quoniam docui, nunc suaviloquis ego paucis
Versibus obtendam, corpuscula materiaï
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam, quod rara vides magis esse animalia quædam,
Fecundamque magis naturam cernis in illis;

Porro, Vind. atque similiter fere Δ. Π. Σ. priorem versûs partem hoc pacto prodigiose conturbatam præbent:

Hin flam inpsilin crigridis—.

Ibid. *insessa.* Exemplum dictionis undequaque geminissimum nobis Mantuanus suppeditat, ex Æn. i. 719.

——— interdum gremio fovet, inscia Dido
Insidat miseræ quantus deus:

i. e. *Incumbat:* et alibi similiter. Pulchre Preigerus Statium, Theb. xii. 236. admovit:

——— horrendis *insessa* cubilia monstris:

quæ est sincerissima lectio scholiastis. Ita locutus est etiam Tacitus plus semel, et alii plures.

Ver. 522. *ducat:* sic P. Vind. M. reliqui, *ducit:* vide supra, ad ver. 478.

Ver. 524. *cluere:* Vind. Π. Σ. *clueret*, adductâ sequente dictione, quæ deest V. ed.

Ver. 526. *summam:* Ω. *summa:* ut in versu proximo, Vind. Π. Σ. *finita*, et V. ed. *probam;* ob caussam ad ver. 196. declaratam.

Ver. 528. *ego:* Vind. *age*, ut communes editiones; nam in libris nullis, quos in contextu constituendo duces habemus, hic versus legitur, exceptis P. et Vind. ut ad molliorem sermonis continuationem interpolatus videri possit.

Ver. 529. *materiaï:* Δ. *materia;* errore multum solenni.

Ver. 531. *protelo:* V. ed. *procelo;* Δ. *pro telo;* Π. *pro tello.*

Ibid. *protelo:* i. e. productione—serie longiore; a *pro*, quod valet *porro*, et τηλε Græco, *longe:* unde *protelo*, propello; cujus dictionis affatim exemplorum tibi dabit Nonius, qui tamen nullo modo accurate interpretatus est. Alia tibi suppeditabunt lexicographi; sed, ut mihi videtur, unam atque simplicem significationem, ex etymo suo facillime profluentem, passim retinet. Avienum, orb. desc. 487. emendatiorem dabo:

——————— mediam secat Apenninus
Ausoniam: nam, quâ Boreali vertice ad æthram
Concrescunt Alpes, surgit caput Apennino;
Et, quâ Sicanii tellus madet æquoris æstu,
Huc protelatæ molis juga gurgite condit.

Huc protelatæ: i. e. hactenus perductæ et extentæ. Vulgo legitur, "*Ut* protelatæ." Tertullianus, advers. Marc. iv. 21. de Deo creatore:—"mannâ cœlesti—sexcenta millia hominum *protelavit:*" i. e. uti bene Rigaltius exponit, "vitæ et virium tenorem continuavit, produxit, protraxit." Confer Apuleium, met. lib. viii. p. 577. edit. Oudendorp. sed imprimis doctas Munckeri notas ad Fulgent. pp. 609. 633. 768. edit. Staveren.

Ver. 533. Pro *magis* omnium exemplarium, tam scriptorum, quam primitus impressorum, suum *minus* per audaciam plane facinorosissimam editores Lucretio nostro obtrusere; locum fedissime corrumpentes, eo quod ad liquidum intellectum ejus nequiverint pervenire. Brevius scilicet atque ἐνθυμηματικῶς, pro more argumentantium, atque in primis poëtarum, legibus severioribus obstrictorum, et a lec-

At regione, locoque alio, terrisque remotis,
Multa licet genere esse in eo; numerumque repleri:
Sic, uti quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos elephantos; India quorum
Milibus e multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari: tanta ferarum
Vis est; quarum nos perpauca exempla videmus.

toris tædio summâ diligentiâ sibi præcaventium, Lucretius concludit. Loci totius scopus sic per expositionem uberiorem declarari potest: "Dicebam nuper, "summam materiæ esse infinitam, et "numerum etiam primordiorum similiter "figuratorum æque cluere infinitum. "Regeres autem, hoc ita fieri non posse; "nam videmus *in his* animalibus nume"rum minorem esse, *in illis* autem ma"jorem fecunditatem; quum ad tuam hy"pothesin omnia deberent et esse nume"ro pari et infinito. His respondeo, Nos "universi partem tantummodo exiguam "cognitam habere: si omne immensum "liceret peragrare, numerosa invenire"mus ea alibi, quæ rara sunt nobis; et "invicem, quæ abundant nobis, aliis in "plagis rariora: ita ut in omnibus, sum"mæ rerum ratione habitâ, æqualitas et "proportio, sine defectu, sine abundan"tiâ, obtinerent."

Ver. 534. Hic versus in V. ed. non comparet.

Ver. 535. *genere:* sic solus Vind. uti vulgares editi; et verissime, ut opinor, quamvis alii omnes libri uno consensu dent *genera:* quæ tamen lectio quo pacto stare possit, haud invenio.

Ibid. *numerum repleri.* Maro, Æn. vi. 545.

Discedam, *explebo numerum*, reddarque tenebris.

Reddar: i. e. me reddam, ad mediæ vocis Græcorum potestatem. Si vero nugatorium tibi propinatum velis, en! tibi Servium ibidem, gerras germanas effutientem.

Ver. 536. *Sic uti:* Lege, *Sicut.* BENTLEIUS.

Vere, ut putem; ne syllaba præter morem omnium, nî fallor, poëtarum corripiatur: sed nullus liber suffragatur.

Ver. 537. *anguimanos:* P. Vind. V. ed. O. *anguimanus:* forte volebant *anguimanes.* Julius Obsequens, de prodig. cap. lxxiii.—"pueri quadrupedes et *quadrumanes* nati."—*elephantos:* Δ. *elefantes.*

Ibid. *anguimanos elephantos:* i. e. "elephantos, quorum *manus*, vel proboscis, versatili mollitie tortuosa est, ad "instar *anguis*." Orosius, hist. iv. 1. "Minucius—protentam in se *manum* bel"luæ ferro desecuit." Sed adeas interpretes ad Q. Curt. viii. 14. 29. nam omnia super hac re trita sunt, ac dudum vulgata: nec tamen elegantem satis Oppiani descriptionem lectoribus invidebimus, cyneg. ii. 522.

Των δη τοι μεσσηγυς ὑπεκπροθει μεγαλη ῥις,
Λεπτη τε, σκολιη τε· προβοσκιδα την καλεουσι.
Κεινη θηρος εφυ παλαμη· κεινη, τα θελουσι,
Ῥηϊδιως ἐρδουσι.

Ver. 538. *Millibus:* V. ed. *Melibus;* L. M. *Milibus;* quos sequimur: vide ad iii. 724.—*e:* Π. *est;* forte, *ex.*—*vallo:* L. *valli.*

Ibid. *vallo eburno.* Nec minus eleganter Tullius, nat. deor. ii. 57.—"munitæ"que sunt palpebræ tamquam *vallo pi"lorum:*" ubi fructuose consuli potest Davisius. Homereum illud, ἑρκος ὀδοντων, quis nescit vel puerulus? Sed obiter Varronis pulcherrimos versiculos, apud Nonium, voce *Palpebrum*, iii. 164. emenda-

Sed tamen, id quoque utei concedam, quam lubet esto
Unica res quædam nativo corpore sola,
Quoi similis toto terrarum non sit in orbi;
Infinita tamen nisi erit vis materiaï,
Unde ea progigni possit concepta, creari
Non poterit: neque, quod super est, procrescere, alique.
Quippe et enim sumant oculei, finita per omne

tiores exhibebo. De oculis autem pulchræ puellæ videtur ibi loqui poëta lepidissimus:

> Quos callibleparo naturali palpebræ
> Tinctæ, *vallatos mobili septo*, tenent.

Vulgo, *vallato mobilis septos*. Cicero, de senect. 15.—" e quibus quum emerserit, " fundit frugem spici, ordine structam, et " contra avium minorum morsus *munitur* " *vallo aristarum*." Unde Ausonium corrigam, in Mosell. 86.

> Squameus herbosas Capito interlucet arenas,
> Viscere præ tenero fartim *conseptus aristis*.

Libri, *congestus*; invenuste. Ergo, *vallo eburno munitur*, quasi fronte exercitûs, ubi stationem, pro *munimine*, habebant elephantes. Florus, ii. 8. 16. non inconcinne, de Antiocho: " *Elephantis* ad hoc " immensæ magnitudinis, auro, purpurâ, " argento, et suo ebore fulgentibus, *aciem* " utrinque *vallaverat*." Nescio quis de nostrâ Britanniâ, lib. ii. epig. 91. 3. Anthol. Lat. Burm.

> Quam pater invictis Nereus *vallaverit* undis;
> Quam fallax æstu circuit Oceanus.

Ita omnino rescribendum, ne temporum concinnitas disturbetur. Editi, *vallaverat*; quod non ferendum. Haud alienus accesserit Claudianus, de bell. Gild. 146.

> ——————— felicior illa perustæ
> Pars Libyæ, nimio quæ se *munita calore*
> Defendit, tantique vacat secura tyranni.

Addam insuper Serenum Samonicum, de med. 667. et scaturigine Ciceronis haurientem:

> Namque oculos infesta pilorum tela lacessunt;
> Quodque illis dederat *vallum* natura tuendis,
> Inde inimica seges proprios desævit in orbes.

Versus sunt valde speciosi. Sed præcipue huc facit Statius, hinc manifestissime expressus, quem Preigerus indicavit, Theb. ix. ut ipse ait:

> Stat *niveis* longum stipata per agmina *vallum*
> *Dentibus*.

His committe, quæ notabimus ad iii. 497.

Ver. 539. *ferarum Vis*. Avienus, or. marit. 410.

> *Vis belluarum* pelagus omne internatat,
> Multusque terror ex feris *agitat* freta.

Ita reponimus ex ingenio. Editiones habent in priore versu, *Vis vel varium*; et, in secundo, *habitat*.

Ver. 541. *utei*: Π. *ut*.—*lubet*: sic O. Δ. antiquo modo, probe; Σ. *jubet*; alii omnes, *libet*.

Ver. 543. *orbi*: sic L. M. ut solet Lucretius; vulgo editur ad libros reliquos, *orbe*. Et L. *in* deest; unde sic fortasse:

> Quoi similis toto terrarum non *siet* orbi:

vide iii. 102. ut *orbi* sit in dandi casu; nam vetustiores terminavisse dictionem *solus*, et similia, ad normam secundæ declinationis nominum, te Priscianus docebit, lib. vi. pp. 716. 717. quamvis in hoc loco nihil impedit, quo minus sit ablativus casus, subauditâ, ut passim solet fieri, præpositione *in*.

Ver. 547. Bentleius crucem parvulam, quâ corruptelæ suspicionem solet innuere, vocabulo *oculi* appinxit: nec injuriâ;

Corpora jactari unius genitalia rei;
Unde, ubi, quâ vi, et quo pacto, congressa coibunt,
Materiæ tanto in pelago, turbâque alienâ?
Non, ut opinor, habent rationem conciliandi:
Sed, quasi, naufragiis magnis multisque coortis,
Disjectare solet magnum mare transtra, cavernas,
Antemnas, proram, malos, tonsasque, natanteis;
Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra
Ut videantur, et indicium mortalibus edant,

nam res videtur perdifficili intellectu cuivis, deprehendere quidnam vel venustatis habeat, vel etiam proprietatis, hoc vocabulum in hoc loco. Cogitabam equidem, an sic noster scripserit:

Quippe et enim sumant *ollei*, finita per omne—:

i. e. illi, qui materiam cujusvis rei infinitam esse nolint concedere, et principiis nostris consentire. Nihil, quod lectoribus offeram, probabilius hoc tempore mentem meam incurrit.—Porro, pro *finita*, Π. codex habet *functa*.

Ver. 550. *Materiæ:* Δ. *Materia;* Π. Σ. *Materie.*

Ibid. *materiæ pelago:* ut pote semper movente se, et *æstuante*. Hanc autem figuram sermonis dudum illustravi, ad Silv. Crit. iv. pp. 123, 124. Ita dixit Clemens Alexandrinus, cohort. ad gg. 10. *πελαγος αγαθων:* Theodoretus, i. 15. *πελαγος αγαθοτητος:* et Themistius, p. 177. *καλλους πελαγος:* sed plerumque de *malorum* multitudine usurpari solet locutio. Confer mox ver. 562. Ad parem metaphoram proverbialem exigebant vocem *montes*, ut noster in vi. 159. "*montes* "nimborum." Durior est pro more, et quem vix probes, Sallustius, Catil. 23. 3. "*maria montes*que polliceri cœpit:" ubi plene et erudite Cortius, Lucretii non immemor.

Ver. 551. *conciliandi:* i. e. in concilium materiæ, rebus gignendis accommodatum, veniendi.

Ver. 552. *multis:* P. *ventis;* sed frustra.

Ver. 553. *transtra:* O. Δ. *curva.*—*cavernas:* sic M. et ita fere L. *caverna:* quod in proclivi est intelligere de quolibet concavo navis interioris fragmento; quale Græci nuncuparent *εδαφος, κυτος, γαστραν*, vel *αμφιμητριον, κοιλης νηος:* adi sis J. Pollucem, i. 87. *carinas:* P. Vind. V. ed. Π. Σ. itidem bene; nisi quod veri sit simillimum, hancce dictionem indepravatam per librariorum manus fuisse descensuram. *carina*, O. Δ. *carinam*, Ω. Saltem consilium Lambini, reponentis ex ingenio *guberna*, in cujus sententiam editores pedibus iverunt, neutiquam videtur citra necessitatem adoptandum. Sed nimirum in omni tempore hæ conjecturales castigationes nimis faciliter, ne dicam inconsiderate negligenterque, sunt in Lucretii sincerum textum importatæ.

Ibid. *Disjectare mare transtra.* Ita Maro, Æn. i. 128.

Disjectam Æneæ toto videt *æquore classem.*

Ammianus etiam Marcellinus, xvi. 3.—"ut—conspiratas gentes in noxam Ro-"mani nominis *disjectaret*."

Ver. 554. *Antemnas.* Hæc est orthographia V. ed. glossarii veteris, Sosipatris Charisii, inst. gramm. i. p. 20. et sic codices multi ad Virg. Æn. iii. 549.—*tonsas:* V. ed. *consas.*

Ver. 555. *fluitantia:* Π. *fluvitantia.*—*aplustra:* Vind. V. ed. B. M. O. Σ. Ω.

Infidi maris insidias, vireisque, dolumque,
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola quom ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi, si finita semel primordia quædam
Constitues, ævom debebunt sparsa per omnem
Disjectare æstus divorsei materiaï:
Numquam in concilium ut possint conpulsa coire;
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta:
Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res;

plaustra: nempe, *a* semel absorptâ, mansit vox nihili *plustra;* quam statim scribæ doctissimi in probam dictionem mutavere. Ita vara vibiam sequi solet.

Cæterum, huic Lucretio loco Flori unus impendio similis est, quem hoc modo Bentleii sagacitas admirabilis ad integritatem pristinam reduxit, ii. 2. 31. "Quantus O! tunc triumphus tempestate intercidit; quum, opulenta prædâ, classis, adversis acta ventis, naufragio suo Africam, et Syrtes, *et* omnium *interjacentium* insularum litora, implevit."

Ibid. *fluitantia aplustra.* Virgilius, Æn. x. 306.

> Fragmina remorum quos, et *fluitantia transtra,*
> Inpediunt:

et Tullius in Arato, quem Lambinus admovit:

> Navibus absumptis, *fluitantia* quærere *aplustra.*

Neque Silii versus quidam læves atque numerosi, Lucretium haud dubie respicientis, displicebunt. Exstant in Pun. x. 322.

> Sic Lagea ratis, vasto velut insula ponto
> Conspecta, illisit scopulis ubi nubifer Eurus,
> *Naufragium* spargens, operit mare: jamque per undas
> Et *transtra,* et mali, laceroque *aplustria* velo,
> Ac miseri *fluitant,* revomentes æquora, nautæ.

Ver. 556. *edant:* V. ed. *ædant;* Π. *edat;* Ω. *edam.*

Ver. 557. *maris vireis:* nempe μεγα σθενος ωκεανοιο poëtarum principis: ut etiam Prudentius, perist. x. 325.

> Cœlum, solumque, *vim marini gurgitis.*

Mantuanus etiam τὸ *Infidi maris* expressum dedit ad geo. i. 254.

> ——— *infidum* remis inpellere *marmor.*

Ver. 559. *ridet pellacia:* Π. *rident palatia.*

Ibid. *pellacia.* Mantuanus, geo. iv. 443.

> ——— nulla viam reperit *pellacia*—.

Vide sis Heinsii notam. Ibi autem multi libri dictionem pro solito vulgatiorem exhibent; *fallacia* scilicet. Hæc prava librariorum consuetudo, et receptæ lectionis κακοφωνια, mihi persuadent Manilium simili mendâ vitiatum circumferri, ad iii. 338.

> ——— æquo stat fœdere tempus,
> Nec manifesta patet falsi *pellacia* mundi.

Editur autem *fallacia.* Ad quam depravationem proxime accedit etiam codex Lucretianus M. dans *pallacia.*—Cæterum, poëta noster fabulam Æsopicam, "de Pastore et Mari," nî fallor, in oculis habebat.

Ver. 560. *finita:* Vind. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. *infinita:* similiter supra peccatum est, ob frequentem in hujusce argumenti decursu vocabulorum usum: et ita solent scribæ in dictionibus maxime contrariis quondam aberrare: vide ad ver. 94. superius.

Ver. 561. *omnem:* sic Vind. V. ed. L. Π. Σ. reliqui, *omne.* Sed erat aliquoties hoc verbum masculini generis apud ve-

Et res progigni, et genitas procrescere posse.
Esse igitur genere in quo vis primordia rerum
Infinita palam est, unde omnia subpeditantur.
Nec superare queunt motus itaque exitiales
Perpetuo, neque in æternum sepelire salutem:
Nec porro rerum genitales, auctificeique,
Motus perpetuo possunt servare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum,
Ex infinito contractum tempore, bellum.

teres, ut in nostro etiam, iii. 604. Plautus, Pœn. v. 4. 14.

Jupiter,——per quem vivimus *vitalem ævum*.

Ver. 562. *æstus:* M. *æstu.—divorsei;* Π. *diverse;* M. O. *diversæ;* non male: "*se undique vertentis*"—passim fluctuantis. Et "*æstus* materiæ," ut nuper, ver. 550. "*pelagus* materiæ:" quod jam video nec ipsi Creechio inobservatum.—Porro, duo versus, qui proxime sequuntur, ordine inverso comparent in L. M, et, in priore versu, *ut* abest Π. atque in ver. 567. pro *in*, Δ. habet *ut*.

Ver. 569. *itaque:* P. *utique;* quod gustum correctoris, argumentationis *ακριβειαν* et constructionis æquabilitatem affectantis, valde sapit.

Ver. 571. *auctificei.* Hæc ipsa dictio apud Lucretium solum fortasse invenitur: verbum cognatum plus semel in Arnobio legitur, ut lib. vii. p. 224. "Cibis novis "*auctificatis* deos—."

Ver. 572. *servare:* Π. *privare.*

Ver. 575. *vitalia rerum:* i. e. res vitales; quemadmodum apud Horatium, epist. i. 17. 21.

——————tu poscis *vilia rerum:*

i. e. res viles.—Lambinus.
Porro, vice *vitalia*, V. ed. *victalia*.

Ver. 576. *superantur item:* P. *superant urnæ;* quæ lectio politior videtur et elegantior, sed vulgatæ Pius idem in notis meminit, neque aliter Festus Noniusque, voce *Vagor*, versum citant: nihil igitur mutandum.—*vagor:* Δ. *mæror;* Vind. V. ed. Π. Σ. *vigor;* O. *major;* nam librarii, non essent librarii, nisi subinde ad ingenium suum reverterentur, exquisita vulgaribus, sincera mendosissimis, mutantes.

Ibid. *miscetur funere vagor.* Festus: "*Vagorem* pro vagitu Ennius sexto deci-"mo:

"Quei clamos obpugnanteis *vagore* volantei."

Sed hic versus quin insigniter depravatus sit, nihil dubito. Interea, nomen *vagor* videtur Statio restituendum, ad Theb. iv. 789. ubi de Archemoro infante poëta ampliavit versibus, quales vix antiquorum maximi heroës in poëticâ æquaverint, et quos integros lectori consultos volumus:

——————caram modo lactis egeno
Nutricem *vagore* ciens.

Vulgo, *clangore;* ex interpretatione, nî fallor. Erunt tamen fortassis, qui *plangore* rescriptum malint. Lucretium autem nostrum Virgilius, in loco nobilissimo Æn. vi. 426. oculis obversatum habuit. Versus egregios, pravis distinctionibus pessime affectos, nos hodiernorum primi probe constituemus, et interpretabimur:

Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ *flentes:* in *limine primo*
Quos dulcis *vitæ*, exsortes et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

De *orci limine* jam dixerat poëta, ad ver. 273. nec sanus quivis litem in nos movebit, phrasin *limine primo* ad infantium

Nunc heic, nunc illic, superant vitalia rerum;
Et superantur item: miscetur funere vagor,
Quem puerei tollunt, visentes luminis oras:
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora, sequuta est,
Quæ non audierit, mixtos vagitibus, ægros
Ploratus, Mortis comites, et Funeris atri.
  Illud in hiis obsignatum quoque rebus habere
Convenit, et memori mandatum mente tenere;
Nihil esse, in promptu quorum natura videtur,

vitam referentes. Sed audiamus Servium, qui mihi otium interpretationis solicitioris fecit. "*In limine primo.* Quia de pri- "mâ hi subrepti sunt vitâ." Idem rursus: "*Exsortes.* Expertes; quos Græci "ακληρυς dicunt:" vel, ut officio proprii interpretis ipse Virgilius fungatur, *omnium egenos*, Æn. i. 599. quibus utique vitalium gaudiorum atque commoditatum nulla perfruitio contigerat. Hac autem de toto loco crisi nihil inculpatius: et mireris neminem, vel ex Servio præmonstratore, rectam viam inivisse. Homeri versiculus, sed in sensu primario vocis, ad grammatici istius explicationem aptissime quadrat, ex Od. Λ. 489.

Ανδρι παρ' ακληρῳ, ᾡ μη βιοτος πολυς ειη.

Ergo, "infans, expers omnium, vitæ bre- "vissimus." Adi sis, quæ plura contulimus, huc spectantia, ad iii. 681. Virgilii locum Lucanus æmulatus est, ad Phars. ii. 106. ubi consulas velim doctissimos editores.

Ver. 577. *Quem:* Δ. *Quæ.*—*tollunt:* Ω. *tollant.*—*visentes:* Δ. *visentis;* Π. *viscentes.*

Ibid. *puerei:* i. e. generaliter, soboles vel παιδες, ut Græci: vide sis Donatum, ad Terent. And. ii. 3. 26.

Ver. 578. *ulla:* Δ. *illa.*—*aurora:* M. *aura.*

Ibid. *nox diem, noctem aurora, sequuta est.* Horatius, epod. xvii. 25.

Urguet *diem nox*, et *dies noctem.*—

Ver. 579. *Quæ:* V. ed. *Quare.*—Et semel ausus sum ex ingenio reponere *ægros*, in locum τυ *ægris*, omnes libros, et impressos et manu scriptos, occupantis; sed manifestissimo scopo scriptoris id exposcente, neque, uti sperem, cum veniâ tantummodo eruditorum omnium, sed approbatione etiam, ac plausibus. Sole meridiano clarius est, ploratus ægrorum, et morbis succumbentium, post longiorem usuram vitæ, opponi vagitibus modo limen lucis invisentium.

Ver. 580. *atri:* O. *acri;* Δ. Σ. *acti;* male. Virgilius, supra:

Abstulit *atra* dies, et *funere* mersit acerbo.

Ver. 581. *obsignatum:* i. e. fideliter reconditum et asservatum mente: nam iis rebus, quas ab importunis servorum digitis volebant vindicare, sigillum imprimebant. Tullius, de orat. ii. 61.—"furace "servo;—cui domi nihil sit nec *obsigna-* "*tum*, nec occlusum." Sed res est in notissimis etiam ex Horatio Persioque. Vel ad *epistolas*, sigillis custoditas, ne in illis scripta divulgarentur, haud minus commode referri poterit metaphora. Saltem Arnobii locum, qui in lib. ii. p. 45. legitur, opportunissimâ cum eruditione Lambinus advocavit: "Unde, quæso, est "vobis tantum sapientiæ traditum?— "quia Fornicem Lucilianum, et Marsy- "am Pomponii, *obsignatum memoriâ*, "continetis?"

Ver. 583. *videtur:* in cujus dictionis loco posteriores editiones habent *tenetur*, odiosissimam per repetitionem; et, quo

Quod genere ex uno consistat principiorum:
Nec quidquam, quod non permixto semine constet.
Et, quæquomque magis vis multas possidet in se,
Atque potestates, ita plurima principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principio, tellus habet in se corpora prima,

magis nauseabundus immanitatem facinoris abomineris, valde suspicor ita factum esse contra unanimem omnium exemplarium auctoritatem; ut ut ista lectio ex Havercampi silentio in codice M. reperiri videatur.

Ver. 584. *consistat:* M. *constare:* et, in versu sequente, codex Ω. desiderat *non*, et inserit *de* post *permixto;* unde versus numerosior ex levi castigatione sic exsurgeret:

Nec quidquam, quod non *mixto de* semine constet.

Ver. 586. *quæquomque:* P. *quo quisque;* Δ. Π. Ω. *quam quidque;* ut vulgares editi: sed utraque varietas, me judice, glossatoris ingenium redolet. Vetusti codices Pii *quo quodque* habent.—*vis multas:* Vind. inverso ordine, *multas vis.* Diversitatem lectionum, quæ in Prisciano, lib. vi. p. 707. obversatur, memoriæ equidem grammaticum fallenti imputaverim: " Hæc *vis*, hujus *vis;* cujus plu-" rale similiter, *vis*, tam Lucretius quam " Sallustius protulerunt:

" *Sed quam multarum rerum* vis possidet in se
" Atque potestates.

" Sallust. in iii. historiarum: Male jam " assuetum ad omnes *vis* controversiarum." Quod ad primam Prisciani varietatem pertinet, ex *Et* fluxit *Set;* unde, ut passim, *Sed.*

Ver. 587. *potestates ita:* Σ. *potestate sita.*—Et audaculi editores de suo inferserunt *pluria*, vice *plurima;* libris nullis huic arrogantiæ interea addicentibus.

Ver. 589. Hunc locum non inscite variavit Statius, omnino dignus qui conferatur: Theb. viii. 303. ubi Tellurem alloquitur Thiodamas:

——— O! hominum divûmque æterna creatrix,
Quæ fluvios, sylvasque, animarum et semina mundi
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa,
Gignis; et impastis quæ prima alimenta dedisti;
Mutastique vices; quæ pontum ambisque, vehisque:
Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum,
Et volucrum requies!

In quibus *aqua* τῳ *fluvios* indicatur; *ventus* vel *aër*, τῳ *animarum* (vide nostrum, v. 237.) *æther*, τῳ *semina mundi;* et *ignis* denique, τῳ *Prometheas manus.* Phrasis autem *volucrum requies* egregiam navat operam Lucretio, ad i. 399.

——————— montivagæ persæpe *feræ*
Naribus inveniunt, injectis frunde, *quietes.*

Ver. 590. *frigora:* P. *flumina;* sed, opinor, ex correctione, quamvis in notis Pii nihil super hac re sit admonitum; nam contra stant omnia alia exemplaria: atque undenam librariis τὸ *frigora*, si *flumina* ab initio comparuerit? Ergo, phrasis *volventes frigora* audacius poni intelligatur velim, pro *aquam frigidam volventes;* quemadmodum poëtis licet, et *fontes* nimirum perpetuo distinguuntur. Virgilius, ecl. x. 42.

Heic *gelidi fontes*, heic mollia prata, Lycori.

Hoc autem epithetum *rivis* inde profluentibus optime conveniret, ob auras frigidas, ex veterum sententiâ, ab illis procedentes. Homerus, Od. E. 469.

Αυρη δ' εκ ποταμου ψυχρη πνεει ηωθι προ.

Hinc venustissime Cato in Diris, ver. 49.

Unde mare inmensum, volventes frigora, funtes
Adsidue renovent; habet, ignes unde oriantur:
Nam multis subcensa locis ardent sola terræ;
Eximiis vero furit ignibus inpetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges, arbustaque læta,
Gentibus humanis habet unde extollere possit:

> Undæ, quæ *vitreis* pulsatis litora lymphis,
> Litora, quæ dulces *auras* diffunditis agris,
> Accipite has voces.

Sic optime Heinsius emendavit pro *vestris*: ut sit omnium proportio speciosa; *vitreis lymphis* utique, *dulces auras*. Voces nempe *vitrum* et *vitreus* importunitatem librariorum, ut omnia exquisitiora, infelicissime expertæ sunt. Quicquid Burmanni contra sentiant, hic ad locum, ille ad Anthol. Lat. l. c. Catonis, idem Heinsius verissime castigavit Ovidium, epist. xv. 157.

> Est nitidus, *vitro*que magis perlucidus *omni*,
> Fons sacer—.

Vulgo, *vitreo amni*; sed Heinsianâ emendatione nihil elegantius, nihil certius. Eandem dictionem nos Solino redonabimus, cap. ix. "Hanc ab Ætoliâ Pindus "dividit, qui Acheloum parit, cum primis "Græciæ amnibus, præditum *vitri* clari"tate." Libri exhibent, *veteri*; unde ad indignum prorsus sensum sermo scriptoris detorquetur. Plinius, nat. hist. iii. 20. "Padus—nulli amnium *claritate* inferi"or:" quod ambiguum est, ut Solinus etiam p. 11. de isto flumine; sed fortasse rectius de lympharum qualitate, quam de nomine, intelligendum. Dionysius, perieg. 289.

> Αγχοθι πηγαων ΚΑΛΛΙΡΡΟΟΥ Ηριδανοιο.

Vide Avienum, or. marit. 190. Addam, denique, ad Lucretium illustrandum, Virgilii versus appositissimos, ecl. i. 52.

> Fortunate senex! heic inter *flumina* nota,
> Et *fontis* sacros, *frigus* captabis opacum.

Unde Statius, silv. iv. 4. 17.

> Tiburis hi lucos, *Anien*que *frigora*, captant:

i. e. "*gelidas auras*, Aniene fluvio gene"ratas." Ita locus iste capiendus est. Cæterum, oratione prosâ usus dixisset, *portantes*, vel *vehentes*, vel *habentes*, frigora; sed pictam dictionem, et ornatam, pulchre adhibuit poëta pulcher; *volventes* scilicet: vide supra, ad ver. 380.

Ibid. *mare inmensum*. Virgilius, geo. i. 29.

> An deus *inmensi* venias *maris*—?

i. e. "cujus mensura non potest comprehendi:" uti bene Servius, atque *ατυμελογικως*. Oppianus, hal. i. 85.

> —— ακυριστη γαρ, αμετροβαθης τε, θαλασση.

Hinc Archytæ, summi mathematici et geometræ, laus apud Horatium, od. i. 28. 1.

> Te maris, et terræ, numeroque carentis arenæ,
> Mensorem cohibent, Archyta—:

i. e. qui quantitatem materiæ in immensis corporibus istis, terrâ utique, et mari, et arenarum congerie, ex datis particulis, vel mensuris, globorum cum datis diametris, declarare potuit. Sic mens poëtæ accipienda est.

Ver. 591. *renovent:* Δ. *removent;* Π. *removet.*

Ver. 592. *sola terræ.* Paullo aliter phrasim tractavit Mantuanus, Æn. x. 102.

> Et tremefacta *solo tellus.*

Ver. 593. *Eximiis;* V. ed. O. Σ. *Eximis;* Ω. *Ex imis;* minore cum simplicitate: vide mox, quæ ad ver. 607. dicentur.

Ibid. *furit ignibus.* Maro, geo. iii. 99.

> Ut quondam in stipulis magnus sine viribus *ignis*
> Incassum *furit*—.

Aurelius victor, epist. x. 12. "Hujus "tempore mons Vesuvius in Campaniâ

Unde etiam fluidas frundeis, et pabula læta,
Montivago generi possit præbere ferarum;
Quâ re magna deûm mater, materque ferarum,

" ardere cœpit; *incendium*que Romæ sine " nocturnâ requie per triduum *furit:* lues " quoque, quanta vix unquam antea, " *fuit.*" Sic legendum: vulgo, " per tri- " duum *fuit.*" Similiter peccavere librarii ad Lucan. iii. 482. Flor. i. 16. 12.

Ver. 595. Hicce versus cum sequente deest Π. Librarii scilicet oculos ὁμοιοτέλευτον versuum delusit: vide ad ver. 490.

Ver. 596. *fluidas:* sic vetera Pii exemplaria, et omnino vere, alii licet codices et impressi retineant *fluvios;* quod insulse superfluum præcedentia fecerunt. Illud *fluidas* forte migraverat in *fluvias*, unde vulgarior vox *fluvios* exorta est: vide Nonium, iii. 100. in *Fluvius.* Nostrâ autem lectione nihil exquisitius ac speciosius fingi potest: *fluidas* utique, ὑγρὰς, molles, teneras, *liquidas*, (vide me in Silv. Crit. iii. p. 137.) modo pullulascentes, aquulæ purissimæ plenas, merum sucum. Maro, ecl. x. 7.

Dum *tenera* adtondent simæ *virgulta* capellæ:

eundem conferas ad geo. ii. 372. Hoc ipsissimum Lycophron volebat, et admirabili venustate protulit, Cassand. 307.

Αἰ αἰ, στενάζω καὶ σὸν ΕΥΓΛΑΓΟΝ ΘΑΛΟΣ,
Ὦ σκύμνε, τερπνὸν αγκαλισμα συγγόνων.

Ita legendum: alibi diximus. Mentem poëtæ Tzetzes non arripuit. Virgilius, geo. i. 315.

Frumenta in *viridi* stipulâ *lactentia* turguent:

i. e. " adhuc *tenuia* et lactis plena:" Servius. Forte, *tenera.* In hac elegantiâ Alcimus Avitus se lautissimum præstitit, ad iv. 10. de *diluvio:*

——— fluctus nunc prosequar illos,
Per quos immissus rebus, vix pene creatis,
Lactentem velox prævenit terminus *orbem:*

voces *tener orbis* Virgilii, ecl. vi. 34. novo sermonis lumine convestiens. Eleganter etiam Ælianus, de animm. vii. 9.—τροφὴν ἁπαλὴν νεοττοῖς 'ΥΓΡΟΙΣ: et pari modo in var. hist. ix. 2. Adi Silv. Crit. iv. p. 89. Petronius, de bell. civ. 71.

Non hæc autumno tellus *viget*, aut alit herbas
Cespite lætus ager; non, verno persona cantu,
Mollia discordi strepitu *virgulta* loquuntur.

Ita rescribimus, pro *viret.* Nempe tellus *viret* vere; quod sequentia respiciunt: sed autumno *viget;* i. e. in fructibus producendis robur suum ac *vigorem* monstrat. De harum dictionum confusione, vide ad ver. 361. superius. Hinc futili vocabulo Virgilius exonerari potest, geo. ii. 328.

Levia tum resonant avibus *virgulta* canoris:

i. e. tenuia, mollia, teretia, flexilia. Vulgo, *Avia.* Calpurnius, ecl. v. 110.

Tu tamen aut *leves hederas*, aut molle salictum,
Valle premes gelidâ:

i. e. flexibiles, quæ ramos *fundunt*, ἐκτρέχουσιν· ut est in noto quodam epigrammate. Dignæ sunt etiam, quæ lectoribus coram sistantur, Arnobii gratiæ audaciores, lib. vi. p. 197. Lucretium feliciter illustrantes: " Liber membris cum *molli*- " *bus*, et *liquoris* feminei *dissolutissimus* " laxitate:" i. e. fluidissimus. Mihi vero jam videor sinceritatem pristinam loco Nasonis certissimâ emendatione redditurus, met. xv. 231.

—— fletque Milon senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidorum mole tororum
Herculeis similes, *fluidum* pendere lacertos.

Fluidum pendere elegans est, ut " *lugubre* " rubent," et centum similia. Vulgo, *fluidos;* sed duplex epitheton *inanes fluidos* jure displicuit Gronovio. Exaratum erat *fluidō*, i. e. *fluidom;* vide supra, ver. 162. unde *fluidos.* Hinc elegantias Martialis, xi. 41. 3. persentisces.

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet famâ luxuriâque gregis;
Cedentes oneri ramos, sylvamque *fluentem*,
Vicit, concussas ipse secutus opes:

i. e. flexilem, se molliter incurvantem:

Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.
Hanc veteres Graiûm doctei cecinere poëtæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones:

conferas autem Virg. geo. ii. 370. Neque alius huc magis, quam Nicander, facit, ther. 33.

——— μαρανθεν δε ΝΗΧΥΤΟΣ ΟΡΠΗΞ
Βοσκηθεις αυων τε, και αυγηεντα, τιθησι.

Ibid. *frundeis.* Sic etiam Maro erat scribendus, ad geo. ii. 372.

Præcipue, dum *fruns* tenera, inprudensque laborum:

nam Servium ita castigandum esse res ipsa loquitur, et pulchre vidit Burmannus: "*Fruns, frundis* vera lectio est. Lucretius, i. 19. *Frundiferas*que domos avium. Apud antiquiores enim singularis nominativus erat *fruns, frundis.*" Sed locum inspice; et intelliges, quam lamentabiliter hæc omnia librarii, quasi ex industriâ, germanæ vestigia vetustatis obliterare soleant.

Ver. 598. Integrum Lucretii locum felicissime illustrabunt instar omnium, in hanc rem apud poëtas exundantium, versus hymni, vulgo Homero dati, in Cybelen:

Μητερα μοι παντων τε θεων, παντων τ' ανθρωπων,
Ὑμνει, Μουσα λιγεια, Διος θυγατηρ μεγαλοιο·
Ἡ κροταλων τυπανων τ' ιαχη, συν τε βρομος αυλων,
Ευαδεν, ηδε λυκων κλαγγη, χαροπων τε λεοντων,
Ουρεα τ' ηχηεντα, και ὑληεντες εναυλοι.

Unde in promptu est emaculare Orphei hymn. in Rheam, ver. 5.

Ουρεσιν ἡ χαιρεις, ΘΗΡΩΝ τ' ολολυγμασι φρικτοις:

nam vulgo legitur, θνητων. Nec dubium est, quin Lucretium ob oculos habuerit Calpurnius, Wernsdorfio non præteritum, ecl. viii. 35.

Omniparens Æther, et, rerum caussa, Liquores,
Corporis et genetrix Tellus, vitalis et Aër,
Accipite hos calamos.

Nec appositissimus non est Hesiodus, Theog. 105.

Κλειετε δ' αθανατων ἱερον γενος αιεν εοντων,
Οἱ Γης εξεγενοντο.

Arnobius accedet, lib. iii. p. 119. quem Lambinus etiam apposuit: "*Terram* quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, *Matrem* esse dixerunt *magnam.*"

Ver. 599. *nostri corporis:* i. e. generis humani. Non aliter locutum esse vatem Venusinum video, od. i. 35. 3.

Præsens, vel imo tollere de gradu
Mortale corpus—.

Et Tullius in Arato:

——— propter *pennati corporis* alam:

i. e. propter *volucrem*. Naso, met. iii. 58.

Aut ultor vestræ, *fidissima corpora*, mortis,
Aut comes, inquit, ero.

Ipsam sententiam aliud αποσπασματιον ex hymnis Homereis illustratam dabit:

Γαιαν παμμητειραν αεισομαι, ηϋθεμεθλον,
Πρεσβιστην· ἡ φερβει επι χθονι πανθ' ὁποσ' εστιν,
Η μεν ὁσα χθονα διαν ΕΠΕΡΧΕΤΑΙ, ηδ' ὁσα ποντον,
Ηδ' ὁσα ποτωνται· ταδε φερβεται εκ σεθεν ΟΛΒΟΝ.

Ita scribendum: libri, ὑπερχεται, et ολβου. Euripides, Ion. 1376.

Πασαν δ' ΕΠΕΛΘΩΝ Ασιαδ', Ευρωπης θ' ὁρους,
Γνωσει ταδ' αυτος.

His concinunt Orphei nonnulla, l. c.

Μητηρ μεν τε θεων, ηδε θνητων ανθρωπων·
Εκ σου γαρ και γαια, και ουρανος ευρυς ὑπερθε,
Και ποντος, πνοιαι τε.

Ver. 601. *Sedibus in curru.* Lego, "Sedibus in *superis;*" ut Virg. Æn. xi. 532. Bentleius.

Satis ex arbitrio. Sed audiamus Gronovium, quem Havercampus attulit: "Videtur aliquid voluisse Lucretius, quod

Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terrâ sistere terram.
Adjunxere feras; quod, quam vis ecfera, proles
Obficiis debet molliri victa parentum:
Muralique caput summum cinxere coronâ,
Eximiis munita locis quod subtinet urbeis:
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ Matris imago.

" nescio, an aliter facile exprimere potue-" rit. Id docet Varronis fragmentum " apud Augustinum, lib. xvi. rerum di-" vinarum: Eandem dicunt Matrem Mag-" nam: quod tympanum habeat, signifi-" cari esse orbem: quod turres in capite, " oppida: quod *sedes* fingantur circa eam, " cum omnia moveantur, non moveri. " Hinc εὔθρονον appellat Apollonius, i. " 1093." Obss. iii. 5. quæ mihi non sunt ad manum.

Cæterum, imitatio Virgiliana perjucundam lectoribus comparationis occasionem dabit, ad Æn. vi. 785.

> ———— Qualis Berecyntia mater
> *Invehitur curru* Phrygias turrita *per urbis;*
> Læta deûm partu, centum conplexa nepotes,
> Omnis cœlicolas, omnis supera alta tenentis.

Et rursus, ibid. x. 252.

> Alma *parens* Idæa *deûm*, cui Dindyma cordi,
> Turrigeræque urbes, *bijugi*que ad frena *leones*.

" *Alma* proprie tellus est, ab eo, quod nos " *alat:*" Servius: vide me ad ver. 2. libri primi.

Ver. 602. *Aëris in spatio:* i. e. in aëre spatioso, vel profundo; ἠέρι βαθείῃ, Hom. Il. Υ. 446. Eadem mens est Maronis, quam nemo hactenus penetrare quiverit, ecl. iii. 105.

> Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
> Tris pateat *cœli spatium*, non amplius, ulnas:

i. e. in quibus cœlum, spatiosissimum licet, trium ulnarum amplitudinem non excedat.

Ver. 604. *quod:* Vind. *qua;* Δ. *quum:* et *prolem*, idem codex.

Ver. 605. *molliri:* Π. *moliri.*—*victa:* O. Δ. *vita.* Servius autem, ad Virg. Æn. x. 253. nuperrime laudatum, paullo diversam hujusce allegoriæ explicationem comminiscitur: " *Ad frena leones.* Ideo " hoc fingitur, quod omnis feritas maternæ " subjacet affectioni, et *subjugata* est." Adhuc aliam Ovidius, fast. iv. 217. Lambino suscitatus:

> Desierat. Cœpi: Cur huic genus acre, leones,
> Præbeat insolitas ad juga curva jubas?
> Desieram. Cœpit: Feritas mollita per illam
> Creditur: id curru testificata suo est.

Alteram denique fabulam contexuit Oppianus, cyneg. iii. init. quem commisit Havercampus. Locum videas, si lubuerit.

Ver. 607. *Eximiis:* Vind. Σ. *Eximis;* Δ. O. *Atque imis;* Ω. *Ex imis.*—*subtinet:* vulgo, *sustinet;* O. Σ. *substinet;* antiquæ scripturæ vestigia retinentes; vel fortasse formam ipsissimam, ut potius crediderim: vide nobis dicta ad iv. 750.

Ibid. *Eximiis;* i. e. egregiis, ex acervo selectis; et, usu secundario, *excelsis.* Aliter, sed apposite, Isidorus, origg. x. " *eximius*, quasi *valde eminens.*" Hinc Virgilius, geo. ii. 156.

> Tot congesta manu præruptis *oppida saxis.*

Adeas animadversiones nostras, huc spectantes, in Soph. Trachin. 273.

Ver. 608. *Quo insigni prædita:* i. e. quod insigne gerens, vel habens. Hanc formulam Lucretius frequentat: vide nos in hujusce libri ver. 181. Silius Italicus, xiv. 88.

> —— bis octonis nondum rex *præditus annis.*

Hanc variæ gentes, antiquo more sacrorum,
Idæam vocitant matrem; Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbeis fruges cœpisse creari.
Gallos adtribuunt; quia, numen quei violarint
Matris, et ingratei genitoribus inventei sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem quei in oras luminis edant.

Auctor rhetoricorum ad Herennium, ii. 27. "Mortuum deformatum, *tumore præditum*, coloratum, fuisse constat."

Ver. 609. *Horrifice fertur:* i. e. torvam majestatem præ se ferens; cum voluptate non nihil horroris incutiente: vide iii. 28. vi. 1267. Descriptio Scipionis Siliana, Pun. viii. 562. curiosius elaborata, lucem nostro dabit:

Martia frons; facilesque comæ, nec pone retroque
Cæsaries brevior: flagrabant lumina miti
Adspectu, gratusque inerat visentibus horror.

Ver. 610. *antiquo more:* nempe, quia ejus sacra in *Idâ*, monte Phrygio, primitus agebantur, *Idæa* mater audit.

Ver. 611. *catervas:* Π. *cathenas;* confundens hunc locum cum lectione ad ver. 630.

Ver. 613. *orbeis:* Π. *urbes*, editiones vulgatæ, summam per audaciam et inscitiam, contra libros omnes, contextum maculant intrudendo suum *orbem*. Nempe, primario sensu vult *orbis* rei alicujus *circuitus rotundus;* et secundario, generaliter *circuitus*. Multarum igitur terrarum *multi* necesse est sint *orbes:* ut ver. 1074. Maro, Æn. vii. 223.

——— quibus actus *uterque*
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit *orbis*.

Prudentius, peristeph. iv. 61.

Vix parens *orbis* populosa *Pœni*.

Et alii similiter multoties. De antiquitate vero Phrygum Herodotum consulas, in limine libri secundi fabulantem.

Ver. 615. *Matris:* Π. Σ. *Matri.*

Ver. 618. *tonant:* Σ. *sonant.*—*palmis:* Π. *phanas.*

Ibid. *tympana tonant.* Hinc, audaci spiritu poëta, Statius omnino corrigendus est, ad Theb. viii. 221.

——— gemina æra *tonant*, Idæaque terga,
Et moderata *sonum* vario spiramine buxus.

Non erant ferenda tam finitima *sonant* et *sonum* in carmine magnopere expolito. Porro, dixeris Ausonium huc respexisse, epist. xxv. 21.

——— *tentis reboant* cava *tympana* tergis.

Et fortassis locus Catulli convenientissimus ad lectionem Lucretianam exigendus est, lxiii. 21.

Ubi *cymbalûm tonat* vox, ubi *tympana* reboant;
Tibicen ubi canit *Phryx* curvo grave calamo:—
Leve *tympanum* remugit, *cava cymbala* recrepant.

Vulgo legitur, *sonat:* quâ super commutatione, redeas ad i. 918. Silius Italicus, xvii. 18. commodus adveniet:

Circum, arguta cavis tinnitibus, æra; simulque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu.

Hunc tamen, ut qui omnia potius, quæ sumat aliunde, verbis grandioribus in majus evehere soleat, quam deprimere, haud dubitem sic rescribere:

——— rauco *retonantia* tympana pulsu.

Hinc autem liquet, et ex Ovid. art. am. i. 538. quam falsus sit judicii Burmannus, dum Propertium, iii. 15. 33. immutandum censet, τῳ *cymbala* reposito, vice *tympana:*

Mollia Dircææ *pulsabunt tympana* Thebæ.

Tympana tenta tonant palmis; et cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis:
Telaque præportant, violenti signa furoris;
Ingratos animos, atque inpia pectora, volgi

Ad Ovidii fast. iv. 212. hanc fabulam tractantis:

> Æra deæ comites, raucaque terga, *movent:*

codex unus dat, *sonant*. Rescribe, *tonant*. Nec Lucretii Statius immemor etiam invenitur ad Achill. ii. 153.

> ——— quater æra Rheæ, quater Evia *pulsant*
> *Terga manu.*

Catullus, ver. 82. ejusdem carminis:

> Face, cuncta mugienti fremitu loca *retonent.*

Idem ingenium Claudiani eandem restitutionem similem veri facit ad rapt. Pros. i. 209.

> Post quam visa Ceres, mugitum tympana frenant;
> Conticuere chori: Corybas non impulit ensem:
> Non buxus, non æra *tonant.*

Vulgo, *sonant*. Hanc medicinam Mæcenati faciam, in Anthol. Lat. i. 53. Burmanni:

> Ades huc, ades, Cybebe dea, montigena dea;
> Age, *tympano tonanti* quate flexibile caput.

Ibi quoque, *sonanti;* sed sic Lucretius noster, et Varro in versibus, qui statim sequuntur:

> Tibi *tympana* haud inani sonitu, dea, *tonimus:*
> Sonitum æris *intonamus* tibi nos semiviri.

Alia nobis supersunt hoc genere, non minus indubitata; sed onerari lectorem nolumus.

Ibid. *cymbala circum*. Maro, geo. iv. 64.

> Tinnitusque cie, et *Matris* quate *cymbala circum.*

Ver. 619. *raucisonoque minantur:* Π. *raucisono imitantur.*

Ibid. *raucisono minantur cornua cantu.* Hæc etiam Mantuanus arripuit, Æn. viii. 2.

> ——— *rauco* strepuerunt *cornua cantu.*

Et similiter Catullus, lxiv. 264. cujus locus integer ad Lucretium illustrandum utiliter faciet:

> *Plangebant* alii proceris *tympana* palmis,
> Aut tereti tenueis tinnitus ære ciebant:
> Multis *raucisonos* efflabant *cornua* bombos,
> Barbaraque horribili stridebat *tibia cantu.*

Ver. 620. *stimulat:* P. Π. *stimulant.*—*cava:* V. ed. *cana.*

Ver. 621. *præportant.* Catullus vocem adhibuit, et bis togatorum disertissimus in Arateis, de Centauro biformi loquens:

> ——— partem *præportans* ipse virilem.

In lexicis alterum exemplum quære. Et pleniorem distinctionem τῷ *furoris* supposuimus; quum sequens distichon æque respiciat omnia præcedentia.

Ver. 622. *Ingratos:* Π. *Ingratosque;* et placet.

Ibid. *animos atque pectora.* Ita Virgilius, Æn. i. 153.

> Iste regit dictis *animos*, et *pectora* mulcet.

Ver. 623. Editorum indiligentiam, vel, si mavis, penetrabilem sagacitatem, cui patescunt omnia, silentio transeuntium hujusce loci constructionem, vulgaribus ingeniis non statim explicabilem! Amicus Havercampi quidam difficultatem primus, ut est conjicere, persensit; et legendum proposuit, *numinis:* quod potius structuræ satis, quam probabilitati, fecerit. Nos hoc pacto rem nitidius processuram esse opinamur, nam in codicibus nihil est præsidii super:

> Conterrere *metus quei* possint numine divæ:

i. e. *qui terrores*, imaginis scilicet divinæ, tympanorum, et aliorum omnium, quæ præiverint. Suam sententiam lectores ferant.

Ver. 624. *magnas urbeis.* Virgilius, Æn. xiii. 106.

> Centum *urbis* habitant *magnas:*

aliter dixissem e compendio scripturæ errorem natum esse, *magnas* e *magnast;* et Lucretium dedisse:

Conterrere metu quæ possint numine divæ.
Ergo, quom primum, magnas invecta per urbeis,
Munificat tacitâ mortaleis muta salute:
Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
Largificâ stipe ditantes; ninguuntque rosarum

Ergo, quom primum *Magna est* invecta per urbeis—:

nempe, ἡ Μεγαλη: nam locis grandioribus ex omissione copularum noster solet majorem dignitatem comparare: sed mutationibus parum necessariis semper abstinendum.

Ver. 625. *Munificat.* Vocabuli hujusce Festus etiam meminit: alibi non reperio.

Ibid. *muta.* Haud placet cum *tacitâ* hæc dictio quamvis non sim docendus a *silentia taciturna*, et similibus locutionibus, Lucretii ingenium minime abhorruisse. Pius interpretatur: "Muneribus "innumeris mortales afficiens, nec im-"properans;" ut consentiat his S. Jacobi, i. 5. sententia: Ει δε τις ὑμων λειπεται σοφιας, αιτειτω παρα τυ διδοντος Θευ πασιν ἁπλως, και μη ονειδιζοντος. Quæ tamen argutiis, simplicitatem minus sapientibus, affinia videntur. Ipse scribendum putem:

Munificat tacitâ mortaleis *multa* salute:

per notam elegantiam, et vocem sæpe commutatam: vide Burmannum, ad Lucan. v. 218. Ovidius, amor. i. 15. 38.

Atque a solicito *multus* amante legar.

Ver. 626. *iter:* Vind. *item;* B. *inter;* M. *ite.*—*omne:* sic Π. Σ. Ω. reliqui, *omnia.*—*viarum:* ita Π. solus; P. V. ed. B. Σ. *mirum;* Vind. L. M. *virum;* O. Ω. et Pii quidam codices, *circum;* haud deterius, si sic distinguas:

Ære atque argento sternunt iter, *omnia circum*
Largificâ stipe ditantes:

sed elegantior videtur admissa lectio, et usum Lucretii sibi suffragatorem habet, ad v. 1123.

——— *iter* infestum fecere *viaï.*

Ver. 627. *ditantes:* Π. *dictantes.*—*ninguunt:* V. ed. *vingunt;* P. *vinciunt;* O. *ungunt;* Vind. Δ. *jungunt;* Σ. *mingunt.*

Ibid. *ninguunt rosarum Floribus.* Elegantissime quidem hoc dictum est, ut nihil supra; sed Græcos poëtas, omnium leporum repertores, Lucretius auctores habuit. Ita, versibus longe suavissimis, olor Dircæus, Ol. vii. 62.

——— ενθα ποτε
ΒΡΕΧΕ Θεων βασιλευς ὁ μεγας
Χρυσαις ΝΙΦΑΔΕΣΣΙ πολιν:

qui, notante id etiam scholiaste, Homerum pressis vestigiis subsecutus est, ad Il. B. 670. ad quem locum lector, sciens Anglice, quæ contulerint in versionis Popianæ illustrationem animadversiones meæ, possit consulere. Idem Pindarus plenius expressit eosdem Poëtæ versus, quos videtur, nec injuste, vehementer admiratus, in fragmento perelegante apud scholiastem ejus, Ol. ii. 16. quod, ante collatos locos, sic videram certissime restituendum; nam editi, εν δ' αφορμασθεντες, et νεφος:

——— αν δε 'Ροδον κατῳκισθεν.
ΕΝΘ' ΑΦΟΡΜΑΘΕΝΤΕΣ, ὑψηλαν πολιν
Αμφινεμονται· πλειστα μεν
Δωρ' αθανατοις ανεχοντες· ἑπετο δ'
Αεναυ πλουτυ ΝΙΦΑΣ.

Poteras etiam rescribere, Ενθ' εφορμισθεντες: sed unice verum est quod supra dedimus. *Hinc digressi*, in diversas partes insulæ scilicet. Euripides, Androm. 1130.

——— εβαλλον εκ χειρων πετροις·
Πυκνῃ δε ΝΙΦΑΔΙ παντοθεν σποδυμενος—.

Lucianus, ver. hist. ii. 14.—αἱ αηδονες,—εκ των πλησιων λειμωνων ΑΝΘΟΛΟΓΟΥΝΤΑ, ΚΑΤΑΝΙΦΕΙ αυτυς. Hinc pulchre Eustathius de Ismen. amor. v. init. ῥοδων

Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervam.
Heic armata manus, Curetas nomine Græcei
Quos memorant Phrygios, inter se sorte catervis

ΣΤΑΛΑΓΜΟΙ. Laudandus est etiam leporis sui Prudentius, cathem. v. 97.

Implet castra *cibus* tunc quoque *ninguidus*.

His perlectis, obstupescas sane nonnullorum interpretum inscitiæ, ad Ovidium, ex Pont. ii. 1. 36.

Saxaque *roratis* erubuisse *rosis*.

Adi locum. Leviter Corippum castigabo, ad iv. 11.

——— medioque fori, *quo divite* dextrâ
Egrediens princeps sacrâ trabeatus ab aulâ
Delicias, *vulgum* solenni munere donans,
More *nivis* sparsurus erat, nova fabrica surgit.

Libri, *Divitias;* male ob *divite* præcedens. Hæ voces confusæ sunt etiam ad Ovid. met. xiii. 831. Et *vulgo;* unde nos effecimus *vulgum;* i. e. *vulgom*, vel *vulgô*. Sed loci Latinorum, in quibus locutiones a *nive* et *pluviâ* translatæ reperiuntur, numerosiores sunt, ut ut venustæ, quam quæ huc commode congregari possint: ad nonnullas sufficiat lectorem retulisse, Preigero magnâ ex parte occupatas: Claud. de nupt. Hon. et Mar. 291. consul. Prob. 45. Stat. silv. v. 3. 285. Flor. ii. 7. 14. Martial. viii. 78. 9. Cæterum, versiculus Ovidianus, modo laudatus, et frequens dictionum permutatio, de quâ nuper, ad ver. 319. suspicionem movet non absurdam, Lucretium hoc modo scripsisse:

——— ninguuntque rosarum
Roribus:

de quâ satis sit prius breviter admonuisse, quam ad cætera pergamus; nisi quod animum advertat lector velim, huic verborum sodalitati versum Lycophronis aptissime concinere, Cass. 876.

Ουδ' ΟΜΒΡΙΑ *σμηχυσα δηναιον* ΝΙΦΑΣ.

Νιφαδες· σταγονες, ψεκαδες: Hesychius.

Ver. 628. *umbrantes;* V. ed. *imbrantes.* —*catervas*, vulgati: sed V. ed. L. M. Δ. Π. Σ. *caterva*. Scripsit utique Lucretius, *catervam*. Auctor Ciris, ver. 143.

Dum, sacris operata deæ, lascivit, et extra
Procedit longe *matrum comitumque catervam:*

ubi nonnulli libri itidem *caterva* præbent: hinc autem *catervam* nostro restitutum volui.

Ver. 629. *Græcei:* sic, ad consuetudinem antiquam, Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. cæteri, *Graii;* quod vocabulum posteris ad aurium voluptatem emollitum esse judicem; illud autem apud indigenas, qui a primis Græcorum colonorum exceperint, permansisse: vide sis Steph. Byzant. cum Hesychio in voce *Γραικος*, et interpretes utriusque. Cyrillus contra Julianum, lib. i. p. 10. im. *Ἑβδομηκοστῳ ετει τεταρτῳ Μωσεως, Ἑλλην ουτω καλουμενος, ὁ Δευκαλιωνος και Πυῤῥας παις, αρχη εγενετο τοις Ἑλλησι της τοιασδε προσηγοριας, και τοι παλαι Γραικοις λεγομενοις.* Adeas item A. Gellium, i. 18.

Ibid. *nomine memorant*. Ennius, ann. v.

Nomine Purrhus, utei *memorant*.

Ver. 630. *sorte catervis*. Sic, utpote in loco prorsus deplorato, ad ingenium ausus sum confugere; mutationibus tamen minime violentis hic, vel alias, indulgens: et meas lectiones, sane non admodum obscuras, prius illustratas dabo, quam varietates codicum recenseam. Valent igitur mihi voces *sorte catervas ludunt*, "ludunt catervatim, stationem quoque sibi "assignatam occupante:" et interpretis officio fungi quibit Apuleius, met. x. p. 734. ed. Oudend. quem locum Havercampus excitavit: "Nam puelli puellæque, virenti florentes ætatulâ,—Græcanicam saltantes pyrrhicham, *dispositis* "*ordinationibus*, decoros ambitus inerrabant—." Voces autem *sors* et *fors* passim confundi, nemo ignorat. Operam nobis et Ovidius navabit, met. viii. 746.

Sæpe etiam, manibus nexis *ex ordine*, trunci
Circuiere modum.

Jam vero P. *catervæ;* non male: Vind. V. ed. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *catervas;* B.

Ludunt, in numerumque exsultant, sanguine fletei:
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas, quei Jovis illum

caterva; vulgares editi, *catenas;* quæ lectio, si codicibus niteretur, non displiceret, pro *catenatim*, vel, junctis manibus, orbiculatim: quam notionem locus integer Apuleii, modo propositus, feliciter illustraverit, et interpretes ibidem. Bentleius, post Lambinum tamen, legi vult ad hunc modum:

> ——— inter se *terque quaterque*
> Ludunt:

i. e. *terce caterce;* quæ mihi videntur vel nivibus Sithoniis frigidiora: nec rursus, quid sibi velit *το forte* librorum, valeo equidem dispicere. Si liqueret exemplare M. *catenas* suppeditare, ea lectio foret omnino admittenda: sed rem in tenebras collationes Havercampi mergunt, quas sola lux membranarum castiorum discutere valebit.

Ver. 631. *fletei:* i. e. "roribus sanguineis, guttatim, lacrymarum instar, stillantibus, cooperti." P. V. ed. B. Σ. *freti;* Π. *ficti;* Vind. Ω. *læti*, ut communes editiones: sed *fleti* legitur in Pii notis, et L. M. O. Δ. Ω. Hanc formulam Carus adamat. Sic i. 350.

> ——— uberibus *flent* omnia guttis:

ubi animadversiones nostræ inspiciendæ lectori sunt. Prudentii locus, figuris paribus conspersus, fructuose admovebitur, cath. v. 21.

> Nectar de liquido vertice fervidum
> Guttatim *lacrymis* stillat olentibus:
> Ambustum quoniam vis facit ignea
> Imbrem de madido *flere* cacumine.

Ante omnia vero phrasim *sanguine fleti* clarabunt ac confirmabunt nobis dudum congesta ad Silv. Crit. i. p. 73. v. p. 71.

Ibid. *Ludunt in numerum.* Maro, ecl. vi. 27.

> Tum vero *in numerum* Faunosque, ferasque, videres
> *Ludere*———.

Ibid. *exsultant.* Idem Virgilius, Æn. viii. 665.

> Heic *exsultantis* Salios—.

Ibid. *sanguine læti.* Silius, xi. Decius ad Annibalem:

> ——— sic victima prorsus
> Digna cadat Decius; nec enim te, *sanguine lætum*
> Humano, sit fas cæsis placasse juvencis.
> BENTLEIUS.

Deinde apponit vir egregius: "Quidam "codices, *fleti;* quidam, *freti.* Lego:

> "Ludunt in numerum, *atque* exsultant *sanguinolenti.*"

Horatium suum poterat etiam attulisse, od. iii. 4. 33.

> Et, *lætum* equino *sanguine*, Concanum:

cum Ovidio, fast. iii. 65.

> Sæpe domum veniunt, prædonum *sanguine læti.*

Cæterum, *το et* non agnoscunt, ad finem versûs, P. V. ed. B. Σ. Ω. et, plenius distinguendo ad *fletei*, atque conjunctionem istam ejiciendo, mori Lucretiano, nî fallor, melius consultum ivimus.

Ver. 632. *capitum quatientes numine cristas.* Memorem fuisse nostrum credam versuum nobilissimorum, qui exstant in Homeri Il. Z. 470.

> Ταρβήσας χαλκόν τε, ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην,
> Δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα, νοήσας.

Virgilius, Æn. xii. 370.

> Et *cristam* adverso curru *quatit* aura volantem.

Ibid. *capitum quatientes numine:* i. e. "nutu capitum tremefacientes." Festus: "*Numen*, quasi *nutus* dei." Virgilius, Æn. iv. 269.

> ——— cœlum et terras qui *numine* torquet.

"*Numine* autem est, aut *nutu*, aut potestate:" Servius. Vide nos pluribus mox, ad iii. 145.

Ver. 633. *illum:* superscribitur in M.

Vagitum in Cretâ quondam obcultasse feruntur;
Quom puerei circum puerum pernice choreâ,
Armatei, in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus.

olim: male. Ita nostrum corrumpere quidam volebant etiam ad i. 83. ut vidimus.

Ver. 634. Hanc rem Callimachus luculentissime descriptam dedit ad hymn. Jov. 52.

> Ουλα δε Κουρητες σε περι πρυλιν ωρχησαντο,
> Τευχεα πεπληγοντες, ινα Κρονος ουασιν ηχην
> Ασπιδος εισαΐοι, και μη σεο κουριζοντος.

Ubi glossa scholiastis, admodum intempestiva, Ουλα· ΚΑΤΑ ΚΛΗΡΟΝ, υγιεινως· si admitti posset, emendationem meam, nuper factam, ad ver. 630. mirifice confirmaret; sed eam sic esse castigandam dixerim: Ουλα· ΚΑΘ' 'ΟΛΟΚΛΗΡΟΝ, υγιεινως. Illud ουλα quidem cruciavit editores, ut nihil supra. Interpretor equidem, *leviter—molliter; facili* choreâ, et *pernice.* Hinc olim emendaveram versiculum poëtæ cujusdam, quem laudat Bentleius in *Phalarideis,* p. 147. ed. Lennep. ubi libri dant δουλον:

> Εσσηξ', αλεκτωρ ουλον ὡς κλινας πτερον·

molli remissâ pennâ, ut animo pariter et viribus destitutus: cui contrarium est illud Horatii scilicet, "pennâ *metuente* "*solvi.*" Sic Nonnus, Dionys. xv. 90.

> Τοφρα δε νηδυμος ὑπνος, ιον ΠΤΕΡΟΝ ΟΥΛΟΝ ελιξας,
> Ακλινεων σφαλεροισιν επεχραεν ομμασιν Ινδων.

Aliter, intelligam libenter cum Ernesti, ουλα ορχεισθαι· περιπλεκτοις ποσι. His autem adjungam Aratum, phæn. 30. ut emendatior exhibeatur:

> ———————————— ει ετεον δη
> Κρητηθεν κειναι ΓΕ Διος μεγαλου ιοτητι
> Ουρανον εισανεβησαν, ὁ μιν, ΠΟΤΕ κουριζοντα,
> Δικτῳ εν ευωδει, ορεος σχεδον Ιδαιοιο,
> Αντρῳ εγκατεθεντο, και ετρεφον εις ενιαυτον
> Δικταιοι Κουρητες, ὁτε Κρονον εψευδοντο.

Diu est ex quo videram ita legendum esse, pro δε et ποτε: quarum priorem conjecturam Diodorus Siculus stabilit, ad iv. 80. posteriorem vero, codex Lennepio memoratus in animadd. ad Coluth. p. 64. Germanici versus, quos Grotius ingeniose tentavit, quum commodi sint, apponam:

> Quod fidæ comites prima incunabula magni
> *Tutarunt* Jovis, attonitæ cum furta parentis,
> Ærea pulsantes mendaci cymbala dextrâ,
> Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
> Dictæi texere, *deæ* famuli, Corybantes.

Libri, *Fuderunt,* in versu secundo. Arnobius, uti mos est, Lucretium clare exprimit, lib. iii. p. 124.—" *Curetas* illos, " *qui occultasse perhibentur Jovis æribus* " *aliquando vagitum.*" Locus in Mamertini panegyrico, sect. 2. hanc fabulam spectans, non indignus est, qui apponatur: " —inter discursus strenuæ juventutis, et " armorum sonitus tuis vagitibus obstre- " pentes? Finguntur hæc de Jove, sed de " te vera sunt, imperator." Demiror editores veram lectionem non dispicientes ad Minucium Felicem, sect. 21. " Et " quæ Jovis sacra sunt, Nutrix capella " est; et avido patri subtrahitur infans, " ne voretur; et Corybantum cymbalis, " ne pater audiat vagitus, *tinnitus illidi-* " *tur.*" Ita ipsemet sponte emendaveram, et ita liber MS. Fedissime evulgatur, " audiat, vagitus *initus eliditur.*" Porro, quidam codd. Germanici, " *fidei* " comites;" ad veterem orthographiam, quam nos sequimur.

Ver. 635. *puerei.* Nempe vocem Κουρητας Græcam ετυμολογει Lucretius: hos enim νεους τινας, et νεους και κορους, Strabo nuncupat, de illis loquens, lib. x. p. 718. ed. Amst. quem Lambinus indicavit. Κουρητες· νεανιαι: Hesychius, respiciens, Hom. Il. T. 248. Hyginus, fab. cxxxix. hanc materiem tractans:—" Ne pueri vagitus

Propterea, magnam armatei Matrem comitantur:
Aut, quia significant divam prædicere, ut armis,
Ac virtute, velint patriam defendere terram;
Præsidioque parent, decorique, parentibus esse.
Quæ, bene et eximie quam vis disposta ferantur,

" audiretur, *impuberes* convocavit, eisque " clypeola ænea et hastas dedit; et jussit " eos, circum arborem euntes, crepare: " qui Græce *Curetes* sunt appellati." Statius cum hoc loco non injucunde committetur, Theb. iv. 782.

——— Qualis Berecynthia mater,
Dum circa parvum jubet exsultare Tonantem
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide.

Porro, in P. Vind. V. ed. Ω. hicce versus sequitur;

Armati in numerum starent pernice choreâ;

in L. M. ita lectionibus variatus:

Armati et in numerum pernice choreâ.

Nimirum, oscitans librarius initium versûs sequentis exceperat; et, arreptâ iterum hujusce fine, versus integer de novo confectus est, ut decor suus codici salvus servaretur. Certe abjiciendum esse fidens dixerim, et omnino nihili faciendum.

Ver. 636. *Armatei:* Δ. *Armat et.—pulsarent:* Π. O. *pulsarunt;* Sosipater Charisius, instt. gram. lib. i. p. 97. *pulsabant.*

Ibid. *in numerum:* ut locutus est etiam Ausonius in epist. xxv. 24. ita leniter castigandus:

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus *actæ*,
Respondent dociles modulato verbere pelves.

Vulgo, invenuste satis, *ictæ;* non sine magno versuum præclarorum dehonestamento. Quis enim *ferientibus ictæ* in unâ sede patienter toleret? *Actus* autem et *ictus* confundi solere, docet Burmannus ad Ovid. fast. iii. 741. et alii alibi.

Ver. 637. *Ne:* O. Σ. *Nec.—mandaret:* O. *manderet*, et primitus M. sed erasâ illâ, vulgatam lectionem eadem manus reposuit.

Ibid. *malis mandaret:* i. e. daret—tra-deret; ut " *mandare* se *fugæ*," et centum similia passim.—Porro, locum Apollodori, in bibl. i. 1. p. 3. ed. Heynii, pravâ distinctione conturbatum, ita constituas: *Οἱ δε Κυρητες ενοπλοι, εν τῳ αντρῳ το βρεφος φυλασσοντες, τοις δορασι τας ασπιδας συνεκρυον, ἱνα μη της τȣ παιδος φωνης ὁ Κρονος ακȣση.*

Ver. 638. *Æternum sub pectore volnus.* Hæc etiam Virgilius mutuatus est, Æn. i. 36.

——— *æternum* servans *sub pectore volnus.*

Ver. 639. *Propterea:* Vind. O. *Præterea.* Solita est librariis alibi dictionum *propter* et *præter*, *propterea* et *præterea*, commutatio: vide Heinsium, ad Ovid. met. v. 159. Cortium, Plin. epist. v. 9. 1. sed nihil hic mutandum.

Ver. 640. *prædicere:* i. e. " signis *prætentis* dicere:" " per *actiones* dicere; " non per *voces*." Qui usus vocabuli notandus.

Ver. 642. *Præsidio decorique.* Pariter Virgilius, Æn. v. 262.

——— *decus* et *tutamen* in armis.

Ipsissima autem verba Flaccus sumpsit, od. i. 1. 2.

O! et *præsidium*, et dulce *decus* meum.

Alii aliter. Ipse Horatius, ib. ii. 17. 4. *decus columenque.* Silius Italicus, vii. 734.

——— Fabiumque *decus*, Fabiumque *salutem.*

Tacitus, Agric. v. " *decus ac robur.*" Sallustius, Jug. xix. 2. ut noster—" pars " originibus *præsidio*, aliæ *decori* fuere." Anthol. Lat. Burm. iii. 152. 5.

Solus *honor* nobis, *arx* et *tutissima* nobis.

Hinc Livii emendationem, ad lib. xxv. 31. 9. experiri libet: " Archimeden, me- " moriæ proditum est, in tanto tumultu, " *quantus captæ urbis* in discursu diri- " pientium militum *cieri* poterat, inten-

Longe sunt tamen a verâ ratione repulsa.
Omnis enim per se divôm natura, necesse est,
Inmortali ævo summâ cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque, longe,
Nam, privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,

" tum formis, quas in pulvere descripse- " rat, ab ignaro milite, quis esset, inter- " fectum. Ægre id Marcellum tulisse, " sepulturæque curam habitam; et pro- " pinquis etiam inquisitis *honori præsidi-* " *oque* nomen ac memoriam ejus fuisse." Vulgo legitur, *quantum capta urbs ciere.* Sed plures membranæ habent *captæ urbis;* unde nostrarum castigationum proprietas dependet. Ovidius denique, fast. i. 415. et alibi; *decus* et *tutela.*

Ibid. *præsidio parentibus.* Committi debet Euripides, Ion. 493. ubi nos nonnulla, hanc ῥησιν illustrantia, contulimus; et Silv. Crit. i. p. 144. Nec minus hinc pendet Statius, Theb. i. 393.

Hic sexûs melioris inops, sed prole virebat
Femineâ, gemino natarum pignore *fultus.*

Ubi malim *vigebat,* ut pote colori sermonis convenientiorem dictionem. Nec non similiter Julianus Ægyptius, epig. 43. ἑρκος πατρι τεκος: et exordium pulchrum lib. xii. Columellæ de re rusticâ: qui videndus.

Cæterum, voci *parent* video Bentleium notam suspicionis appinxisse; nec tamen idoneâ satis de caussâ, quantum egomet valeam discernere.

Ver. 643. *eximie:* Δ. O. *exigue.*

Ver. 645. Plutarchus tempestivus excitabitur, in plac. phil. i. 7.—ἁμαρτανουσιν,—ὁτι τον Θεον εποιησαν επιστρεφομενον των ανθρωπινων, η και τουτου χαριν τον κοσμον κατασκευαζοντα· το γαρ μακαριον και αφθαρτον ζωον, συμπεπληρωμενον τε πασι τοις αγαθοις, και κακου παντος αδεκτον, ὁλον ον περι την συνοχην της ιδιας ευδαιμονιας και αφθαρσιας, ανεπιστρεφες εστι των ανθρωπινων πραγματων. Hoc *Epicureorum* dogma tangit etiam Horatius, ad sat. i. 5. 1[illegible].

———— Namque deos didici securum agere ævum: in ipsissimis Lucretii verbis, vi. 57.

Nam bene qui didicere deos securum agere ævum.

Ver. 646. Ipsa verba Epicuri apud Diogenem Laërtium exstant, x. 139. Το μακαριον, και αφθαρτον, ουτε αυτο πραγματα εχει, ουτε αλλῳ παρεχει· ὡστε ουτε οργαις, ουτε χαρισι, συνεχεται: quæ Cicero sic reddidit, lib. i. cap. 17. de nat. deor. " Quod bea- " tum æternumque sit, id nec habere ip- " sum negotii quidquam, nec exhibere al- " teri; itaque neque irâ, neque gratiâ, " teneri:" ubi doctæ Davisii collationes consulendæ sunt. Appositus est Silius, Pun. xv. 55.

Quantas ipse Deus lætos generavit in usus
Res homini, plenâque dedit bona gaudia dextrâ.
Atque idem, exemplar lenis mortalibus ævi,
Imperturbatâ placidus tenet otia mente.

Notam Drakenborchii inspicias; qui divinationem Heinsii, *terit* pro *tenet,* prudenter rejicit. Idem de deis olim Mæonides prædicaverat, Il. Z. 138.

———————— θεοι, ῥεια ζωοντες.

Ver. 647. *sejuncta longe.* Hinc Arnobius, lib. vii. p. 252.—" essetne verus " Deus, an nescio quid aliud, *longeque* " ab superâ sublimitate *sejunctum.*" Similiter incerti panegyricus, v. 9. " Siqui- " dem *dii* ipsi, quod *plerumque humanas* " *res negligant,* dum querimur, ignos- " cunt; quibus aliud fortasse curantibus, " grandines ruunt, terræ dehiscunt, urbes " hauriuntur: quæ non illis *oriuntur* vo- " lentibus, sed aut aliorsum adspicienti- " bus, aut, fatali rerum cursu urgente, " videntur accidere." Sic legendum. Alia erat Homeri, atque haud paullo sapientior, sententia, ad Il. B. 27.

Νυν δ' εμεθεν ξυνες ωκα, Διος δε τοι αγγελος ειμι·
Ὁς σευ, ανευθεν εων, μεγα κηδεται, ηδ' ελεαιρει.

Nec bene promeritis capitur, neque tangitur irâ.
Terra quidem vero caret omni tempore sensu;
Sed, quia multarum potitur primordia rerum,
Multa, modis multis, ecfert in lumina solis.
Heic, si quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, et Bacchi numine abuti

Hinc fortasse corrigendus est senarius in Plutarcho, adversus Colotem, p. 1124.

> ΈΚΑΣ γαρ ἑστως, ὁ Θεος εγγυθεν βλεπει.

Vulgo legitur, Πελας. Lucretio concinunt illa Enniana, in Cic. de div. ii. 50.

> Ego deûm genus esse semper dixi, et dicam, cœlitum;
> Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Ver. 649. *nihil:* Π. *nil;* ut major pars librorum Claudiani, hunc locum exprimentis in Virtutis encomio, ad Mall. Theod. cons. 4.

> Nil opis externæ cupiens, *nil* indiga laudis,
> Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
> Casibus, ex altâ mortalia despicit arce:

et Lactantius, de irâ Dei, cap. 8. qui locum protulit; quamvis et ejus membranæ varient.

Ibid. *nihil indiga nostri:* ut Brennus, Gallorum ductor, apud Justinum, xxiv. 6. " Deos—*nullis opibus egere*, ut qui " eas largiri hominibus soleant, affirma- " bat."

Ver. 650. *neque:* sic V. ed. Δ. Ω. numeris vividioribus: cæteri, *nec.*

Ibid. Corrigendus est Arnobius, lib. i. p. 12. " Cæterum, dii *vestri*, et, qui ha- " bere, qui ferre, nominis hujus auctori- " tatem condigni sunt; neque irascuntur, " neque indignantur." Lege, " dii *veri.*" Bentleius.

Ita et ipse seorsim emendaveram, et ante nos olim Fulvius Ursinus. Statius, Theb. iii. 659. ad Epicuream sententiam locutus est:

> ——— miseret superûm, si carmina curæ,
> Humanæque preces.

Ubi vetus enarrator versus Lucretianos pravissime descriptos exhibet. Plutarchus, in Pyrrho, sect. 20. de Epicureis verba faciens:—*το δε θειον απωτατω χαριτος, και οργης, και του μελειν ἡμων, εις απραγμονα βιον και μεστον ευπαθειων αποικιζοντες.* Similiter Epicurus ipse, apud Diog. Laërt. x. 77. *ου γαρ συμφωνουσι πραγματειαι, και φροντιδες, και οργαι, και χαριτες, μακαριοτητι (μετ' αφθαρσιας).*

Ver. 651. *Terra quidem vero,* *ἡ γη μεν δη*: nam erravit Pius, qui *vero* ad *sensu* retulerit. Noster ipse, i. 1000.

> Omne *quidem vero* nihil est:

nec Plautus multum discrepat, Asin. iii. 3. 55.

> Ego *vero*, et *quidem* edepol lubens.

Ver. 652. *Sed:* sic Σ. Ω. reliqui omnes, *Et:* quod facile a *Set*, ut alibi sæpius, deminutum est; aliter *At* esset in proclivi.

Ibid. *potitur primordia.* Ita alias Lucretius plus semel cum quarto casu hoc verbum extulit; et Plautus, Rud. i. 3. 7.

> Nam hoc mihi haud labori est *laborem* hunc *potiri:*

cum Terentio, Adelph. v. 4. 17.

> — ille alter sine labore patria *potitur commoda:*

ubi videas Donatum. Hinc Maronem duplici ablativo sine gratiis, et tantæ ingenii elegantiæ minus accommodato, libentissime liberarem, ad Æn. iii. 55. et, ne Lucretium in hac re, ut in cæteris omnibus, imitari noluisse videatur:

> ——————— Polydorum obtruncat, et *aurum*
> Vi *potitur:*

i. e. *aurom*, *aurō;* unde corruptela: vide supra, ad ver. 596. Ovidius, fast. iii. 21.

> Mars videt hanc, visamque cupit, *potitur*que *cupitam:*

ad quem versum mihi otium faciunt eruditæ animadversiones Heinsianæ. Inde

Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen;
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deûm Matrem, dum verâ re tamen ipse.
Sæpe itaque, ex uno tondentes gramina campo,
Lanigeræ pecudes, et equorum duellica proles,
Buceriæque greges, eodem sub tegmine cœli,

autem vere emendaveram proprio acumine Propertium, i. 15. 19.

Hypsipyle nullos post *illum* sensit amores:

i. e. *illō*, vel *illom*; unde invenustissima vulgata lectio *illos* provenit: sed ibi Burmannus consulendus est.

Ver. 653. *lumina:* M. *lumine*.—Homerus, *φαος ηελιοιο*: et Maro plus semel, *solis lumina*.

Ibid. *ecfert*. Sane rarissimum est in vocem incidere, cujus vetustior scriptura manus novatrices librariorum non subierit: sed eccum tibi exemplum simplex, Nonii scriptoribus servatum ex Lucilio, in voce *Clandestino*, i. 176.

At enim dicis, clandestino tibi quod commissum foret,
Neu mutires quidquam, neu mysteria *ecferres* foras.

Ver. 655. *numine*. Sic omnes uno consensu libri; et certe tolerari potest, pro "Deum abusive inferre:" malim tamen cum vulgaribus editis *nomine*, quamvis, quum necessitas non urgeret, membranarum et impressorum antiquorum auctoritatem temere conculcatam nollem: et *numen* sane doctius haberi possit, et a communi sermonis usu aliquantulo remotius, adeoque orationi poëticæ convenientius. Neque pro nihilo existimandus est exemplarium consensus in dictionibus alias sæpissime permutatis.

Ver. 656. *vocamen*. Usus est Arnobius, lib. vii. p. 251.—"aut, si quod aliud "nobis usus *vocamen* obtulerit:" et alibi frequenter. Solinus, cap. xxvii. de hyænâ:—"sequitur stabula pastorum, et au- "ditu assiduo addiscit *vocamen*, quod ex- "primere possit imitatione vocis huma- "næ."—Cæterum, vice *proferre*, Π. *efferre*.

Ver. 658. *ipse:* P. *haud sit;* et, in Pii codicibus quibusdam, *id sit*. Nonius, referente Havercampo, (nam locus mihi quærenti se non obtulit) pro *tamen*, habet *sit;* et voces *re verâ* transpositas, quasi legerit:

——— dum re verâ *siet* ipse.

Et utrobique sensus idem: "Dum re ve- "râ sit ipse orbis terrarum" in rerum naturâ: i. e. "si modo sit ipsa res, quam "intelligimus, et oculis aliisque sensibus "usurpamus; non animatum aliquid, ac "Deorum mater." Editores conjecturas Lambini temerarias in contextum posuere:

——— dum re *non sit* tamen *apte:*

Nobismetipsis regulas severiores nos præscripsimus; ne, frenis semel datis, licentia emendandi mox ad libitum evagetur.

Ver. 659. *itaque:* Ω. *ita*.—Porro, hic locus integer in oculis Virgilio versabatur, ad Æn. iii. 536.

Quatuor heic, primum omen, *equos* in *gramine* vidi,
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: *Bellum*, O! terra hospita, portas;
Bello armantur *equi; bellum* hæc armenta minantur.

"Post digressionem de Matre deorum, "redit ad disputationem institutam; in "quâ ostendit, nullam rem esse, quæ ex "uno genere principiorum constet: quod "nunc exemplis multis collectis docet." Lambinus.

Ver. 660. *equorum duellica proles*. Herodotus, i. 78.—*λεγοντες, οφιν ειναι γης παιδα·* 'ΙΠΠΟΝ *δε*, ΠΟΛΕΜΙΟΝ *τε, και επηλυδα*. Lucanus, vi. 397.

Thessalicus *sonipes, bellis* feralibus omen.

Confer Horatium, od. ii. 16. 5. cum He-

Ex unoque sitim sedantes flumine aquaï,
Dissimili vivunt specie, retinente parentem
Naturam; et mores generatim quæque imitantur:
Tanta est, in quo vis genere herbæ, materiaï
Dissimilis ratio; tanta est in flumine quoque.
Hinc porro, quem vis animantem ex omnibus una

siodi opp. et dd. 505. Adde Justinum, xviii. 5. 16. "Ibi quoque *equi* caput re- "pertum, *bellicosum* potentemque popu- "lum futurum significans.—" Et similiter alicubi Livius. Denique, rursum Virgilius, geo. ii. 145.

Hinc *bellator equus* campo sese arduus infert.

Ἵππος σιδαροχάρμος, Pind. Pyth. ii. 4. Oppianus, cyn. i. 195.

——————— ΑΡΗΪΟΣ ὄβριμος ἽΠΠΟΣ.

Ibid. *duellica:* vetuste, pro *bellica*. Priscianus, x. 1263. "*Duellum* dicebant an- "tiqui, pro *bellum*." Glossarium vetus: "*Duellum:* πόλεμος, ἀρχαίως." Plautus, Epid. iii. 4. 14.

——————— Nempe, quem in adolescentiâ
Memorant apud reges, armis, arte *duellicâ*,
Divitias magnas indeptum.

Ver. 661. *eodem sub:* sic vetustiores L. M. cum V. ed. Π. Σ. Ω. reliqui, ut editiones hodiernæ, *sub eodem:* et hic ordo quidem nostris auribus mollior et concinnior videtur; sed harum rerum minus idonei sumus judices, atque auctoritatem codicum debemus venerari. Non aliter Virgilius, Æn. xii. 847.

Quas, et Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno *eodem*que tulit partu.

Ennius, apud Ciceron. off. i. 12.

Eorundem me libertati parcere certum est.

Vide mox, ad ver. 692.

Ibid. *Buceriæ*. Græcis κεραος est *cornutus;* et βουκεραος foret "magnis, vel bo- "vinis, cornibus præditus:" ex quâ formâ vocem Lucretianam crediderim profluxisse, pro vulgatioribus βουκερος et *bucerus*.

Ibid. *eodem sub tegmine cœli:* i. e. "*eodem aëre*, iisdem graminibus, et eo- "dem pariter flumine, vescentes."

Ver. 662. *sitim sedantes*. Ovidius, met. iii. 415.

Dumque *sitim sedare* cupit, sitis altera crevit:

ut Phædrus, etiam, iv. 3. 1.

Equus *sedare* solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.

Ibid. *flumine aquaï*. Mantuanus, Æn. xi. 495.

——— adsuetus *aquæ* perfundi *flumine* noto.

Ubi animadvertas velim mediæ vocis potestatem; *perfundi*, pro *se perfundere*. Servii vero commentarios ita suppleas: "Figurate, aquæ adsuetus; *aut*, aquæ per- "fundi flumine adsuetus."—Cæterum, loco *flumine*, Δ. *flumina;* vitiose.

Ver. 663. *retinente:* sic V. ed. B. Q. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. longe ποιητικωτέρως: P. *retinentque*, ut editiones vulgares; *retinenteque*, Vind. Q. sociatis utrisque lectionibus. Ordo est: "Vivunt specie, re- "tinente Naturam eam, quæ peperit." Quo loci sensu, ex restitutione nostrâ longe facillimâ, ac veri simillimâ, nihil elegantius, aut commodius, desiderari potest. Nempe Vind. V. ed. B. O. L. M. Q. Ω. suppeditant *parente*, i. e. *parentē*, vel *parentem:* P. autem, cum Δ. Π. Σ. *parentum*, ut vulgo editur, sed ex glossâ, nullus dubito; vel insciorum scribarum mutatione, nihil exquisitius callentium. Conferas ver. 707.

Ver. 664. *imitantur:* V. ed. *mutantur*, literarum ductibus ne latum quidem unguem discrepantibus.

Ver. 667. *Hinc:* Δ. *In;* Π. Σ. *Hic;* non male.—*quemvis;* Vind. L. O. Q. *quamvis;* cujus rei fides penes auctores esto.—

Ossa, cruor, venæ, color, humor, viscera, nervei,
Constituunt; quæ sunt porro, distantia longe,
Dissimili perfecta figurâ principiorum.
Tum porro, quæquòmque igni flammata cremantur,
Si nihil præterea, tamen hæc in corpore aluntur,

animantem: P. *animantum;* optime, si codices addicerent.—*una:* P. *unum;* Δ. M. *unam*, ut communes editi; mendosissime. *Una* nempe *ossa*, *unus cruor*, et reliqua, valent " *ossa* et *cruor*, tam si-" milia, ut eadem prorsus in animalibus " omnibus videri possint; et tamen, ut-" cunque affinia, de principiis toto cœlo " distantibus componuntur:" unde vis omnis et proprietas sua poëtæ argumentationi constant. Mihi enim vero interea caussa depravationis subolet: displicuit utique nasis scribarum rhinocerotum τυ *una* usus in numero multitudinis; quasi hujusce formulæ specimina in Latinarum literarum monumentis non abundarent. Silius, Pun. xiii. 196.

Sed non *una* viris *tela*.

Arnobius, lib. vi. p. 193. " Aut enim " nullis erit *partibus* præsens,—aut ade-" rit *unis* tantum." Sic ille alibi, ut Lucretius suus mox infra, ver. 917. iii. 616. Hac usus occasione, ex longe corruptissimis emendatissimos dabo versus Avieni perquam elegantes in orb. desc. 301. qui vel Virgilium auctorem nullo modo dedecorassent:

Ambarum medio procera Neapolis arcem
Subrigit: hanc *sursum* gens late prisca virorum
Lotophagi *incumbunt:* duroque Nasamonas inde
Adspice; queis quondam populorum examina multa
Versavere solum; *multo* sonuere per agros
Balatu pecudes: nunc lati jugera campi
Et, grege nuda, *tacent*, et sunt cultoribus orba.
Ausonis hæc duro vastavit dextera bello;
Ausonis invicti gens roboris *una* per orbem
Arma tulit: pubem Latiam ferus horruit Ister;
Romanas aquilas Rhodanus tremit; Italidûm vi
Cæsa, paludivagos Germania flevit alumnos.

Locum pulchriorem haud temere reperies. In ver. 2. vulgo legitur, *rursum*. In ver. 3. *includunt;* vide ver. 457. In ver. 4. *Accipe.* In ver. 5. *multos.* In ver. 7. *jacent;* confer Virg. geo. iii. 554. 555. In ver. ult. denique, *Mæsta.* Sed jam video hoc exemplum esse dubiæ constructionis.

Ibid. *quem vis animantem.* Sic Horatius locutus est, sat. ii. 1. 40.

——— sed hic stylus haud petet ultro
Quemquam animantem.

Ver. 668. *color.* Sic ausus sum restituere, vel invitis libris, pro vulgato *calor:* nam de *specie* rerum, oculis usurpatarum, Lucretius disputat; et nihilo magis ad rem *calor* facit, quam *frigus.* Mox in hoc libro de *coloribus* uberiorem disquisitionem instituit. Hac emendatione nihil esse certius existimo, aut quod minus lectoribus, utcunque cautis morosisque, displiciturum est. De confusis autem *calor* et *color* videbimus ad vi. 722. 1107. et supra diximus ad ver. 68.

Ver. 669. Ferri possunt vulgata; sed cogitabam, an litera ad finem versûs elapsa esset; *ĕ* nempe, vel *et:*

——— quæ sunt porro distantia longe, *et*
Dissimili perfecta figurâ principiorum.

Hanc omissionem multoties factam in notissimis est: de quo tamen integrum velim sit judicium lectoribus.

Ver. 671. *Tum quæquomque:* Π. *Tunc quocunque.*

Ver. 672. *hæc in corpore aluntur.* Lectiones, in difficili varietate, dedi operam admittere, quas major probabilitas commendare videatur, et loci scopo consentaneas. In dictionibus *hæc in corpore* nulla librorum est dissensio: pro *aluntur*, L. M. *traduntur*, quod certe vitiosum est: hinc Vossius nostram scripturam *aluntur* conjectando videtur effecisse: P. Vind. V.

Unde ignem jacere, et lumen submittere, possint;
Scintillasque agere, ac late differre favillam.
Cætera, consimili mentis ratione peragrans,
Invenies igitur multarum semina rerum
Corpore celare, et varias cohibere figuras.

ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. *trudunt*; Π. autem, *trudunt*; atque etiam, loco *Si*, præbet *Sed*.

Ver. 673. *ignem jacere.* M. Tullius in Arato:

Contra, hædi exiguum *jaciunt* mortalibus *ignem*.

Committe mox laudatos locos ad ver. 822.

Ibid. *lumen submittere*; i. e. desub emittere, suppeditare: ut noster, i. 7. "tellus *Submittit* flores:" ubi perlegas, quid notaverim. Lucanus, ix. 182.

——— *de pastis submittere gramina* campis,
Et renovare parans hibernas Apulus herbas,
Igne fovet terras.

Ita malim legere, quam junctim, cum editis, *depastis*. Male Burmannus, pro *gramina*, dat *germina*; et, unde habuerit, nullum verbum. Propertius, i. 2. 9.

Adspice, quot submittat humus *non versa* colores:

i. e. non versa, inculta. Sic fortasse scribendum, pro vulgato, *formosa*; quod eruditis jure displicuit ob statim veniens *formosius*. Vide Burmannum. Ad eundem sensum *subtollo* verbum Lucanus posuit, Phars. iv. 597.

——— cœloque pepercit
Quod non Phlegræis Antæum sustulit arvis:

et, quod notandum est, *subduco* Avienus, in orb. desc. 379.

Nec minus heic speculæ vertex *subducitur*, ex quo
Cernere sit longe Pallenidis intima terræ.

Ver. 674. *ac late*: V. ed. *ag late*; quod non observassem, nisi ut manifestum fieret, in quantum soni concinnatio ad indolem sequentis literæ formas vetustioris orthographiæ germanas passim corruperit, et eliserit.

Ibid. *Scintillas agere*. Similiter Maro, Æn. viii. 258. locutus est.

——— quà plurimus *undam*
Fumus *agit*.

Ver. 675. *mentis ratione peragrans*: ut *peragravit mente*, i. 75. Audacter sane, sed ita ut admirentur lectores lepidi, probentque, Plinius, nat. hist. xxv. 5. "Pythagoras—volumen—composuit—; "composuit et Democritus; *peragratis* "Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægypti- "que, *magis*." Locus est indole cognatâ in Horatio, od. i. 28. 5. quem contra libros omnes nullus dubito, me certissime esse emendaturum:

——— nec quidquam tibi prodest
Ætherias penetrasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

Vulgo, false et inepte, *Aërias tentasse*. Priores dictiones passim confundi, discas ex animadversis ad ver. 145. Jam vero parum discrepant *penetrasse* et *tentasse* in membranis. *Tentare* sane de inceptis periculosioribus eleganter adhiberi solet; sed *penetrare* de hominibus, remota et difficilia investigantibus, pulcherrimum est et acceptissimum vocabulum. Lectorem non detinebo longius, quam quod Lucanum sufficiat admovisse, viii. 215.

Ne pigeat, Magno quærentem fata, *remotas*
Medorum *penetrare domos*, Scythicosque *recessus*:

et Senecam, Herc. Œt. 1870.

——— totæ pariter
Plangite gentes; quarum sævos
Ille tyrannos jussit Stygias
Penetrare domos.

Sic alii probissimi scriptores passim. Cogitari sane poterat, Horatium ad gigantas cœlum scandentes allusisse; obstat tamen in primis altera vox *percurrisse*, et

Denique, multa vides, quibus et color et sapor unâ,
Religione animum turpi quom tangere pacto,
Reddita sunt cum odore; in primis pleraque dona:
Hæc igitur variis debent constare figuris:
Nidor enim penetrat, quâ sucus non it in artus:
Sucus item seorsum, et seorsum sapor, insinuatur
Sensibus; ut noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt; et res permixto semine constant.

suspicionem meam plurimum adjuvat. Sed taceo.

Ver. 676. *igitur:* i. e. *ἐνταῦθα*—postea—deinde; ex hac utique peragratione. Plautus, Amphit. i. 1. 55.

> ——— sin aliter sient animati, neque dent, quæ petat;
> Sese *igitur* summâ vi virisque eorum oppidum expugnassere.

Quem locum Nonius advocavit, ii. 456. ut hunc sensum voci *Igitur* assereret.

Ver. 677. *Corpore:* P. V. ed. O. L. *Corpora;* et nescias, quæ lectio sit melior; nisi quod hæc ambiguam constructionem reddat, et, ob facilitatem regiminis, ingenia scribarum sapiat.

Ibid. *cohibere:* i. e. continere, vel simpliciter tenere et *habere;* sine ullâ vis atque necessitatis notione. Ita etiam Virgilius, Æn. iii. 424.

> At Scyllam cæcis *cohibet* spelunca latebris.

Quod Servius etiam animum advertit, glossam suam hinc exorsus: *Cohibet spelunca.* "Hypallage in sensu: nam *ipsa* "*se tenet* intra speluncam secundum fa-"bulam." Progredere ad ver. 1030.

Ver. 678. Ad locum devenimus, lector, plurimis criticorum disquisitionibus contrectatum ac controversum. Duos sequentes versus delendos esse post Fabrum Bentleius censuit; secundum tantummodo rejectum voluit Lambinus. Nos leniori manu omnia esse tractanda arbitramur; et quidem confidimus, idoneos judices nihil, ad quod offendant, reperturos in constitutione versuum nobis factâ, ab optimorum et antiquissimorum exemplarium auctoritate vix latum unguem discedentibus, et ne singularem quidem voculam immutantibus ex arbitrio. Post quam præmonuerimus, sugillationem, popularibus religionibus in transitu impactam, indoli Lucretianæ admodum convenire, et poëtæ scopum explicatâ constructione declaratum dederimus, ad varietatem lectionis recensendam accingemur. "Denique, multa vides, quibus plures "sensus solent affici; nam præter *tactum*, "communem omnibus, et colorem, *sapor* "etiam nos afficit; non suci sane, (quem "ex crassioribus particulis gustus arripit) "sed *nidoris sapor,* (tam palatum, quam "nares, suâ vi contingens) quem tenuiores particulæ, extritæ flammis, excitant: "et imprimis ea dona, thuris et aromatum "puta, minoris pretii, et frequentissime "omnium in aris turicremis combusta, "hoc pacto sensus feriunt."

Ibid. *et color:* P. Vind. Q. *est odor;* Δ. Π. Σ. *et odor;* quod nos dedimus, legitur in V. ed. L. M. O. Ω. et Pio etiam in notis memoratur.—*unâ* deest Vind. Q.

Ver. 679. Hic versus, et qui sequitur, inversum habent ordinem in Π. et vulgaribus editionibus: et abest prior Δ. et Σ.—*quom tangere:* omnes libri *contingere;* sed maxime probabilem esse hanc Lambini conjecturam solennis permutatio τῶν *con* et *cum* facile persuadeat: vide supra, ad verr. 153. 175.—*pacto:* sic O.

Quin etiam, passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis conmunia verbis;
Quom tamen inter se versus ac verba, necesse est,
Confiteare alia ex aliis constare elementis.
Non, quo multa, parum conmunis, litera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus eidem;
Sed, quia non volgo paria omnibus omnia constant:
Sic aliis in rebus item conmunia multa,
Multarum rerum quom sint primordia, rerum

Π. et Pius etiam hujusce lectionis meminit: V. ed. Q. *parto;* Ω. *parco;* Vind. L. M. *parato*. Forte an *facto:* adi sis i. 941.

Ver. 680. *cum odore:* P. *cum adolent;* Q. *cum hodore;* unde venit fortassis *ea cum dolore* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. —*pleraque:* Ω. *plenaque*. Et sic tandem ex hac cloacâ lætamur evasisse. Davisius nostras, et ingeniosus vir, et impense doctus, hunc locum sic legendum putavit, in notis ad Min. Fel. sect. 2.

——— quibus est odor et sapor unâ
Redditus, ut cum *adolet* imprimis pleraque dona.

Sed lectiones scriptorum exemplarium non satis respexit vir ille acutissimus.

Ver. 682. *sucus:* ita recte scriptam vocem exhibent V. ed. Δ. Σ. Ω. Donatus, ad Terent. Eun. ii. 3. 26. " *Sucus* pro-" prie quasi *sugus;* quem sibi ex alimen-" tis membra *sugunt*, ut se repleant." Glossarium vetus: " *Sucus*, χυλος."— Locutionem vero, *Nidor penetrat*, utcunque illustravimus nuper, ad ver. 414. hujusce libri.

Ver. 683. *seorsum:* P. *rursum;* V. ed. Vind. L. O. Q. Δ. Σ. *sursum.*—*et seorsum:* P. *qua non;* V. ed. *qua;* O. Ω. *sed nec;* in reliquis omnibus omnino vacat locus: unde restitutio Vossiana, quam contextus noster exhibet, veri fit simillima, ob frequentes omissiones dictionum bis occurrentium: vide ad i. 835.—*sapor:* M. *sapori;* arreptâ primâ venientis dictionis literâ.

Ver. 684. *primis figuris:* i. e. " figu-" ris corpusculorum, unde constant ipsa " corpora;"—" suorum primordiorum fi-" guris:" cui nihil aliud, salvo sensu, locus patitur; Havercampus tamen, libris omnibus ad ravim reclamantibus, Lucretio suum *privis* obtrusit. Quâ inscitiâ! quam temeritatem! Hoccine etiam Preigerum suo judicio comprobavisse?

Ver. 687. *Quin:* V. ed. Π. *Quando:* ut sæpe alias variari novimus, et apparuit in præcedentibus.—Cæterum, ad illustrationem argumenti sui, ope hujusce similitudinis, non minus ingeniosæ quam appositæ, noster jam confugerat, in i. 823. paucis tamen ex re mutatis.

Ver. 691. *quo:* Π. *quod;* ut editi communes.

Ver. 692. *eidem*. Vox dissyllaba est, ut *rei* monosyllaba, in iii. 931. ubi nos videndi sumus, cum Manilio, ad iii. 73. et notum est ex veteribus grammaticis, antiquos Romanos longum *i* etiam per *ei* scriptum exhibere. Vide ver. 661. Propert. iv. 7. 7, 8. Nam lector attendat velim ad loci scopum. Tria sunt, de quibus loquitur poëta; *literæ* scilicet, *verba* efficientes; *verba*, unde *versus* constant; et ipsi *versus*. Dicit igitur, " Diversitatem oriri, non a " paucitate communium *literarum;* non, " quod nulla duo sint *verba* ex omnibus, " quæ occurrunt, communia *eidem versui:* " sed, quia non omnia, vel literæ verbo-" rum, vel verba versuum, ad eundem " ordinem paria cum paribus, collocen-" tur." Sic vides, opinor, orationem menti scriptoris undequaque respondere, et constructionem facillime procedere.

Dissimili tamen inter se consistere summâ
Possunt: ut merito ex aliis constare feratur
Humanum genus, et fruges, arbustaque læta.
Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est
Omnia: nam volgo fieri portenta videres;
Semiferas hominum species exsistere, et altos
Interdum ramos e gigni corpore vivo;
Multaque connecti terrestria membra marinis:
Tum, flammam tetro spiranteis ore, Chimæras
Pascere naturam per terras omniparenteis:
Quorum nihil fieri manifestum est; omnia quando,

Nihil ergo restat, nisi ut ostendam tibi, probabilem esse, et tantum non necessariam, lectionem *eidem;* quam ex librorum discrepantiis, ingenio fisus, concinnaverim. P. Vind. V. ed. O. Δ. *idem;* L. M. *eadem;* Π. Σ. *isdem;* Ω. *iddem.* Quemadmodum optimorum codicum scriptura sedem suam tueri poterit, *eadem* nempe; vel rursus *idem* aliorum; non intelligo: et ei, qui felicius aliquid proposito quiverit eruere, lampada libens tradam.

Ver. 693. *constant:* L. *constet.* Forte, *constent*, ut ver. 723.

Ver. 695. *rerum* prior: P. *vero.—rerum* posterior: L. O. Δ. Ω. *longe:* sed voces easdem et consimiles sic congerere Lucretium, perspicuitatis ac simplicitatis unice studiosum, adsolere, quivis observaverit, et nos plus semel alibi monuimus. In versu sequente, *se* abest Vind. codici.

Ver. 697. *feratur:* sic Vind. L. M. O. Q. Ω. reliqui, *ferantur.*

Ver. 698. *et:* Σ. *ut;* fortassis vere: editi, *ac;* haud dubie sine libris manu scriptis.—Cæterum, supra ad verr. 343. 361. permutata vidimus *armenta* et *arbusta:* nullus ambigo, librarios hac etiam occasione ad ingenium suum rediisse; et, corruptelâ, uti fit, corruptelam generante, quo partes versûs sibi invicem constarent et mutuo responderent, omnia tandem valde conspurcata ex eorum manibus prodiisse, quum Lucretius ab initio versiculum, cum quo res est nobis, ita exhibuerit:

Humanum genus, et *pecudes*, *armenta*que læta.

Perlegere si velis ver. 659. ad ver. 667. et argumenti rationem examines accurate ac cogitate; statim agnosces, poëtam ægre potuisse res tam dissimiles sine judicio permiscuisse: et suspicionibus nostris manum dabis. Sed contra codices hæc evincere quis speret?

Committas insuper, ex abundanti, verr. 710. 717. et Carum suum Mantuanus videri potest expressisse, ad geo. iv. 223.

Hinc *pecudes*, *armenta*, *viros*, genus omne—.

Ver. 699. *connecti:* V. ed. *connecta:* ut etiam in ver. 703. et Π. statim *non*, pro *nam*.

Ver. 701. *et:* Δ. O. *ut.*—Jam vero, *semiferas species*, ut Centauros, Tritonas, ver. 703. et similia fabulosissime portentosa.

Ver. 704. *flammam spiranteis ore.* Maro, geo. ii. 140. aliquantulum variavit:

——— tauri, *spirantes naribus ignem.*

Igitur, quum spiritus, vel *anima*, Chimæræ merus ignis fuerit, mihi sæpius oborta est cogitatio, an scriptura brevior Virgilio

Seminibus certis certâ genetrice creata,
Conservare genus crescentia posse videmus.
Scilicet id certâ fieri ratione necesse est:
Nam, sua quoique, cibis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt; connexaque, convenienteis
Ecficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam; multaque cæcis
Corporibus fugiunt e corpore, percita plagis;
Quæ neque connecti quoquam potuere, neque inter
Vitaleis motus consentire, atque initari.
Sed, ne forte putes animalia sola teneri

errorem impegerit, ad Æn. vi. 288. et fieri possit dedisse illum:

——————— bellua Lernæ,
Horrendum stridens, flammisque *animata*
Chimæra:

i. e. cujus *anima* flammæ fuerunt. Conjecturam æquis lancibus lectores pensent. Vulgo, *armata:* quod mihi frigidum videtur, nec poëticum. Hesiodus, Theog. 319.

'Η δε Χιμαιραν ετικτε, πνεουσαν αμαιμακετον πυρ.

Ver. 705. *omniparenteis:* Vind. *omniaparenteis;* M. *omnia parientes,* ex glossemate, sinceram vocem expellente; B. *omnipotentis;* quam corruptionem præstrinximus ad i. 251.

Ibid. *terras omniparenteis:* vide v. 260. Hinc Virgilius, Æn. vi. 595.

Nec non et Tityon, *Terræ omniparentis* alumnum,
Cernere erat.

Homerus, hymn. xxix. 1. illis auctor fuit.

Γαιαν παμμητειραν αεισομαι—.

Suetonius, i. 7.—" quando mater, quam " subjectam sibi vidisset, non alia esset " quam *Terra,* quæ *omnium parens* ha- " beretur."

Ver. 709. *id:* O. Δ. *ut:* et statim Π. *cibus.*

Ver. 711. *discedunt:* P. B. Π. *descendunt;* quam infeliciter. Elegantissimum est *discedunt:* i. e. diduntur, distribuuntur; uti recte Lambinus exposuit: " in " omnia corporis diverticula dispergun- " tur:" vide iii. 476. 640.

Ver. 712. *at:* V. ed. O. Δ. Π. Ω. *ac;* æque bene: sed ad similitudinem literarum *c* et *t* hæc varietas referatur.

Ver. 713. *Rejicere:* Δ. Π. *Reicere;* et castissime, ut puto: ac, si meo judicio minus diffiderem, hæc scriptura in hoc vocabulo et cognatis exarandis passim restituta foret. Usus autem τυ *rejicere,* de rebus per alvum missis, mihi non succurrit; de rebus per os redeuntibus, proprius est et frequentissimus.

Ver. 714. Sensus est: " Et multa, cæ- " cis corporibus constantia, plagis percita, " fugiunt e corpore:" ut, puta, quoties spiramus, vel sudamus; ex plagis etiam particularum minutissimarum, impetu indefesso membris uniuscujusque impingentium.

Ver. 715. *quoquam:* i. e. *in* quoquam *loco:* Δ. *quoque;* Σ. *quoniam;* vulgares editi, *quoiquam;* nullâ cum auctoritate, usu nullo.—*inter:* V. ed. Δ. Σ. *intra;* quod tantidem est: O. Δ. *vite:* quod, finalem literam si excludas, in scripturæ ductibus τῳ *inter,* nobis recepto, nihil distat.

Ver. 716. *initari:* i. e. se initare—se intromittere—ingredi—ita affici, ut introeant. Glossarium vetus: " *Inito,* εμβα-

Legibus hiis, quædam ratio disterminat omneis.
Nam, velutei totâ naturâ dissimiles sunt
Inter se genitæ res quæque, ita quomque necesse est
Dissimili constare figurâ principiorum:
Non, quo multa parum simili sint prædita formâ;
Sed, quod non volgo paria omnibus omnia constent.
Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,

"*τινω.*" Et, "Εμβατευω, ingredior, *ini-* "*to.*" Diomedes grammaticus, lib. i. p. 836. "Item, Adeo adis: hoc itera- "mus, Adito aditas dictitantes, ut Enni- "us: *Ad eum aditavere.* Item, Ineo "inis, et *inito*, dicimus; ut Pacuvius "in Antiopâ: *Loca horrida initus.*" Jam vero, lector, docendus es, nos ex conjecturâ hanc medicinam rei desperatæ adhibuisse; te, opinor, de librorum varietatibus certiorem factum, nullo pacto reprehensorem habituros. P. Vind. V. ed. L. O. Q. Σ. Ω. habent *imitari;* quod a nostrâ dictione tantillo literæ ductu disterminatur: M. *imitare;* Δ. Π. *animari;* quæ Lambini emendatio est: sed lectio, tam proba facilisque, librariorum depravationem haud temere subiisset. Nostra autem divinatio usum minus pervulgatum nacta est; ideoque illepidam correctorum importunitatem statim provocaret, vel indoctorum ludificaret ignorantiam.

Ver. 718. *quædam ratio disterminat omneis.* A libris non discedimus, et clausulam sic intelligimus, ac connectimus: "Ne putes sola animalia teneri his *certis* "legibus, quædam ratio (vel regula quæ- "dam apposita) disterminat omnes leges "naturæ, ita ut generales eæ non sint, "et expertes limitum, quibus alia omnia "tenentur." Universæ inferioris ævi editiones, Lambini conjecturis admissis, exhibent:

——— *eadem* ratio *res terminat* omneis.

Sed undenam librarii unanimi cum depravatione hæc plana et perspicua corrupissent? Pro *quædam*, M. *quidam;* Π. *quem dum;* Σ. *eadem.*—*disterminat:* P. Vind. *discriminat;* Π. *res terminat:* quod ætatem recentiorem sapit.

Ibid. *disterminat.* Vocem adhibuit Tullii Aratus:

Quas intervallum binas disterminat unum:

Avienus etiam, Arat. phæn. 385.

Et sidus, Lenæe, tuum *disterminat* aër
Crassior.

Addas Lucanum, i. 216. ix. 957. nam lexicographi manibus parcentibus exempla præbent. Glossæ veteres: "*Distermino*, διοριζω."

Ver. 720. *quomque;* vel *cumque;* i. e. quodammodo. Ita ad unum omnes nostri, tam scripti quam impressi; nec dubito, quin sit vulgatum *quædam* ex emendatione editorum. Glossator vetus: "*Cumque*, δη ποτε." Horatius, od. i. 32. fin.

——— mihi *cumque* salve
Rite vocanti.

Sed in utroque loco, et Horatii et Lucretii, vis vocabuli melius tacito gustu sentietur lautis lectoribus, quam interpretatione qualibet.

Ver. 722. *Non:* Π. *Nam.*—*sint:* Δ. *sunt.*

Ver. 723. *quod:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Ω. sed Σ. *quia*, atque ita L. M. si fides collatoribus habenda sit.

Ver. 724. *quom:* V. ed. Σ. *tum;* Π. *dum.*

Concursus, motus; quæ non animalia solum
Corpora sejungunt, sed terras ac mare totum
Secernunt, cœlumque a terris omne retentant.
Nunc age, dicta, meo dulci quæsita labore,
Percipe: ne forte hæc albis ex alba rearis
Principiis esse, ante oculos quæ candida cernis;
Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata:
Neve alium quem vis quæ sunt inbuta colorem,

Ver. 726. *motus quæ:* V. ed. *motusque;* P. *motusque et.*—*quæ* deest omnino Π.

Ver. 727. *Corpora sejungunt:* V. ed. *Corpore se jungunt.*—*ac:* Π. *et.* In ver. 729. M. *dulce.*

Ver. 730. *forte:* Π. *dicta;* in superiorem lineam oculos librario mittente.—*albis ex alba:* V. ed. *alba ex albis;* P. Ω. *ex albis alba.*

Ver. 732. *nigrant:* i. e. nigra sunt. Hanc formam dictionis Virgilius usurpavit. Exemplo sit Æn. v. 97.

Totque sues, totidem, *nigrantis* terga, juvencos.

Tertullianus, adv. Marc. iv. 8.—"luri-"dati delinquentiæ maculis, et *nigrati* "ignorantiæ tenebris." Restituam jure optimo dictionem Claudiano, rapt. Pros. iii. 129.

Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injussæque manus *nigrantia* pectora tundunt.

Vulgo legitur ad codices, *mirantia*, vel *mœrentia.* Quemadmodum Ovidius, met. viii. 535.

Immemores decoris, *liventia* pectora tundunt.

De alterâ formâ *nigreo*, sic Nonius Marcellus, ii. 582. "*Nigret*, nigra fit. Pa-"cuvius Chryse: *Solis* exortu capessit "candorem, obcasu *nigret.*" Ita trochaïcus exhibendus est. Vulgo, *Solisque.*

Ver. 733. *Neve:* L. Δ. Σ. *Nive.*—*inbuta:* Ω. *inbruta.* Lambinus audacissime, et illum secuti posteriores inscitissime, dederunt *induta*, contra libros: nam quartum casum cum simili constructionis indole et passivâ voce adhiberi sæpissime, quis dubitet, quis ignorat? Tacitus, formularum antiquiorum et exquisitiorum structurarum nimius affectator, vel in hoc vocabulo, ad Lucretii morem, omissæ præpositionis exemplum suppeditavit, hist. v. 5.—"nec *quidquam* prius *imbuuntur*, "quam contemnere deos, exuere patri-"am—:" i. e. vel *in*, vel *secundum*, quidquam. Hoc regimen Gellii locus non efficaciter evincit, et incertior est, quam vellem, noctt. Att. xvi. 8. init. "Quum "*in disciplinas* dialecticas induci atque "*imbui* vellemus—."

Ibid. *inbuta colorem.* Valerius Maximus, viii. 11. 7. ext.—"spongiam, omni-"bus *imbutam coloribus*—." Vide sis supra, ver. 501. Avienus, Arat. phæn. 726. de *Sirio*, qui emendatior exhibebitur, quamvis correctionem unam et meliorem distinctionem Grotius prior sit assecutus:

Ætheriæ canis ille plagæ, cui plurimus ardor
Æstuat in mento, multus *rubor imbuit* ora:
Stridit anhelanti *fauce æstifer;* aëra motu
Torret, et immodici terras coquit ignibus astri.

Libri, *face pestifer:* sed maxima stella est in ore; et, si te ad nostram Silv. Crit. recipias, atque pp. 20. 21. tom. iii. perlegas, vix litem meis divinationibus obmovebis. Conferas eundem Avienum, ver. 1446. Ita perspexeram ingenio Claudianum esse rescribendum, et libri quidam lectionem hanc venustiorem præbent, rapt. Pros. ii. 93.

Propterea gerere hunc credas, quod materiaï
Corpora consimili sint ejus tincta colore.
Nullus enim color est omnino materiaï
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar:
In quæ corpora si nullus tibi forte videtur
Posse animi injectus fieri, procul avius erras.

Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit, et dulci violas ferrugine pingit:

i. e. tingit, inficit: atque adjuvant hi versus, quæ nuper notaverim ad Virg. geo. i. 467. et invicem adjuvantur. Hinc autem summopere miror Heinsium, ex acutissimis criticorum et maxime ingeniosis, sed subinde novandi cupidiorem, demutare voluisse Claudiani ejusdem speciosissimam locutionem, de iv. cons. Honor. 389.

——————— Sit Nilus ubique
Vester, et emisso quidquid sol *imbuit* ortu:

quâ lectione sinceriorem nullam putem: "i. e. quicquid sol oriens inficit:"— "quicquid sole oriente purpurascit." Pulchre Pelignus vates, met. xv. 191.

——————— cum, prævia luci,
Tradendum Phœbo, Palantias *inficit* orbem.

Catis Ausonii versibus, vitio laborantibus, transiens opitulabor, parent. xxiii. 16.

Quam tener, et primo, nove flos, decerperis ævo!
Non dum purpureas *tinctus*, ephebe, genas:

i. e. *flavâ* barbâ *coloratus:* videas Virg. Æn. x. 324. Vulgo, *cinctus:* de quâ permutatione Burmannus ad Ovid. met. iv. 21. et maxime Drakenborchius ad Sil. It. xiv. 6. Opportunus est Lucanus, x. 135.

Vix ullâ *fuscante* tamen lanugine *malas*.

Denique, non diffiteor, me vocem editionum vulgarium, *induta* nempe, minime solicitaturum fuisse, nisi codicum imperiosa auctoritas jussisset; nam sic Ovidius, met. i. 270.

Nuncia Junonis, varios *induta colores*,
Concipit Iris aquas.

Verum interea tamen lector meminerit, hæc de Iride ποικιλμων, vel *amictu* picturato ornatâ, dici.

Ver. 734. *gerere hunc:* Vind. *hunc gerere.*

Ibid. *gerere colorem:* i. e. habere: creberrimus est in hoc usu dictionis Lucretius, quem multoties sequitur Virgilius, ut adsolet; ad Græcum φερω. Gellius, v. 1. "Varios adeo vultus disparilesque "sensus *gerat.*" Sed in re minime obscurâ et incognitâ supersedendum est exemplis: satis sit nobis obiter tyrones admonitos exsuscitasse.

Ver. 735. *colore:* L. M. *colose:* ac si librarius a recto *colos*, quæ est antiquior scriptura, derivare vellet. Ineptissime. In ver. 737. Π. habet *nec*, pro *neque*, bis.

Ver. 739. *animi injectus:* quasi *manuum* injectus, quo rem quamlibet tangere possis, et contrectare. Elegantissimus est ab actibus corporeis translatio. Noster quam apposite, v. 103.

Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec *jacere indu manus*, via quâ munita fidei
Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis.

Ibi meæ sunt animadversiones inspiciendæ, et mox ad ver. 1046. hujusce libri. Cicero non minus pulchre, de nat. deor. i. 20. "Cujus operam profecto non de"sideraretis, si immensam et intermina"tam in omnis partis magnitudinem re"gionum videretis; in quam *se injiciens* "*animus*, et intendens, ita late longeque "peregrinatur, ut nullam tamen oram "*ultimi* videat, in quâ possit insistere:" i. e. ultimi *spatii*. Et dictum puto, ut illud Sallustianum, Jug. 23.—"omnis

Nam, quom cæcigenei, solis quei numina numquam
Despexere, tamen cognoscant corpora tactu,
Ex ineunte ævo nullo conjuncta colore;
Scire licet, nostræ quoque menti corpora posse
Vorti in notitiam, nullo circumlita fuco.
Denique, nos ipsei, cæcis quæquomque tenebris

"suas fortunas in *extremo* sitas:" ac similia. Quod si rectum sit, Davisius illud *ultimi* immerito studuit immutare.

Ver. 740. *numina:* P. L. *lumina;* multo minus eleganter, et poëtice; ac præsertim, quum per emphasin *Deus* sæpissime Sol audiat. Ovidius, met. xv. 192.

> Ipse *Dei* clypeus, terrâ cum tollitur imâ,
> Mane rubet.

Adeas notata nobis ad Virg. geo. i. 6. et librarios in his dictionibus sæpissime turbare, norunt omnes. Phavorinus: Ζευς· Ἡλιος.

Ver. 741. *Despexere:* P. O. Δ. *Dispexere;* omnes alii sic ut imprimendum curavimus, nec ausi sumus immutare. Glossarium vetus: "*Despicio*, κατοπτευω, "καθορω, βλεπω:" καθορω autem et κατοπτευω sæpissime valent, *attente inspicere*. Veteres grammatici: "*Despicere*, et dis-"quirere, *consilium*." Passim reponere facillimum est sane *dispicere;* sed an tutum sit, vehementer dubitem. M. Tullius, pro Sext. Rosc. Amerino, sect. 8.—"cum præsertim tam multi occupationem "ejus observent, tempusque aucupentur, "ut simul atque ille *despexerit*, aliquid "hujuscemodi moliantur:" ad quem locum Grævius debet in consilium vocari. Ad nostram lectionem stabiliendam egregie facit constantissima membranarum scriptura ad Ciceronis finn. iv. 23.—"catuli, qui jam *despecturi* sint, cæci æque "et ii qui modo nati." Deinde statim: —"catuli æque cæci priusquam *despexe-*"*runt*, ac si ita futuri semper essent." Mutatio autem tot locorum ex arbitrio periculosissimum facinus videtur. Columella, i. 6. 23. "Area, si competit, ita "constituenda est, ut vel à domino, vel "certe a procuratore, *despici* possit:" i. e. oculum intente explorantem tolerare. Hæc autem si sint ad legitimam crisin et probæ Latinitatis indolem exacta, Virgilium, ad Æn. vi. 734. imitatorem Lucretii fidelissimum, nefas fuerit immutare, contra plurium membranarum testimonium:

> Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque: neque auras
> *Despiciunt*, clausæ tenebris, et carcere cæco.

Et dignum quærere, an *dispicere*, quod valet "inter res *diversas* spectando dis-"tinguere," vel "discernere," hilum conveniat huic loco. His positis, mihi clarissime manifestum est, nihil esse demutandum, sed majori codicum numero standum, ad ejusdem geo. ii. 187.

> Qualem sæpe cavâ *montis* convalle solemus
> *Despicere:*

i. e. spectare, inspicere, deorsum; quasi in *monte* stantes: *dispicere*, ανακρινειν, διακρινειν, ακριβως ενορᾳν, nihil loci hic habet. Vide Vell. Paterc. ii. 14. ad quem Burmannus provocat; ubi neutiquam probem Ruhnkenii rationes, ad hanc vocem offendentis, et αφιλιας primævæ periodum hinc glossema esse αποτομως pronunciantis. Et quoties demum illa præpositio *de* in compositis ne minimam quidem cum τῳ *deorsum* communitatem habet? Huc igitur res redit. In tali usu, vox *despicere* non tam valet *deorsum spectare*, quam *spectare de* loco, ubi sumus, in circumjacentia; *late*, vel *libere*, *spectare*. Inspicias etiam mihi notata ad iii. 26.—Cæterum, pro *tactu*, Δ. *tacta*.

Ver. 742. *conjuncta*. Hæc est omnium

Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
Quod, quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis;
Quod facere haud ullo debent primordia pacto:
Inmutabile enim quiddam superare necesse est,
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam, quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Proinde, colore cave contingas semina rerum,
Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes.
Præterea, si nulla coloris principiis est
Reddita natura, et variis sunt prædita formis,
E quibus omnigenos gignunt, variantque, colores;

librorum lectio. Nos τους *contacta* et *contincta* conjectorum, quæ nonnullis editoribus temere recepta sunt, longum valere dicimus. Pudet pigetque, inconsultos homines, et libidine novandi male feriatos, Lucretii decorum corpus tot maculis deturpavisse.—Porro, Bentleius censuit, hunc versum versui 746. debere subjici: quâ de caussâ, non equidem valeo dispicere. O. sane habet *conjucta*, per lineolæ transversæ omissionem; sed hoc importunitatem editorum nihil adjuvat aut tuetur.

Ver. 743. *nostræ quoque menti:* Q. Δ. Π. Σ. *menti quoque nostræ;* ut editiones pleræque hodiernæ.

Ver. 744. *fuco:* O. *succo;* Δ. *suco;* per solennem commutationem: vide Heinsium, ad Ovid. met. vi. 222. et alibi, cum aliis. Atque in ver. 746. vice *haud,* Π. *aut,* pro solito; ut mox iterum, ver. 749.

Ver. 747. *quoniam:* Ω. *quando.*—Et dicit poëta, se argumentis, ex philosophiâ petitis, probaturum, quod jam, provocatione ad communem hominum experientiam factâ, esse verissimum evicit.

Ver. 748. *in:* ita P. Ω. O. sed hoc exemplar forte an ab editis habuerit: vocula L. M. omnino deest; omnes reliqui, *et.*—*omneis,* vel *omnis:* P. *omni:* i. e. re, vel corpore: non male. Ω. *calor.*

Ver. 750. *quiddam:* P. V. ed. *quoddam.*

Ibid. Hæc habuimus supra; i. 592. 792. ad Epicuri dicta in Diog. Laërt. x. 54.—αἱ δε ατομοι ουδεν μεταβαλλουσιν· επει δη περ δει τι ὑπομενειν εν ταις διαλυσεσι των συγκρισεων στερεον, και αδιαλυτον· κτλ· quæ solita Meibomii inscitia turpiter depravavit.

Ver. 751. *redigantur:* Π. *reducantur;* ex glossâ.

Ver. 755. *nihilum:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Horatius, sat. i. 5. 67.

Nihilo deterius dominæ jus esse:

ubi de more nugatorium agit Baxterus: vide Bentleium, mille Baxteris, et Baxteri similibus, prælucentem.

Ver. 756. *est* in Π. non legitur: et, in versu sequente, P. *at,* pro *et;* quem contra omnes alios codices male secuti sunt editores. Ω. etiam *sint,* vice *sunt.*

Ver. 758. *omnigenos colores.* Virgilius, Æn. viii. 698. vocem adhibuit.

*Omnigenûm*que *deûm* monstra—.

Ver. 759. *Præterea:* O. *Propterea.*—*magni:* Π. *magi.*

Ver. 760. *quali:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *qualibus;* quasi hæc varietas ab interpre-

Præterea, magni quod refert semina quæque
Cum quibus, et quali positurâ, contineantur,
Et quos inter se dent motus, adcipiantque;
Perfacile ex templo rationem reddere possis,
Quur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo fieri possunt candore repente:
Ut mare, quom magnei conmorunt æquora ventei,
Vortitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis nigrum, quod sæpe videmus,
Materies ubi permixta est illius, et ordo
Principiis mutatus, et addita demptaque quædam;
Continuo id fieri ut candens videatur, et album.
Quod, si cæruleis constarent æquora ponti

tatione *quali sub* exorta sit.—*contineantur:* O. *continuatur*. Aliis locis non obstantibus, *continuentur* placuisset.

Ver. 762. *ex templo:* Vind. V. ed. L. Δ. Π. Ω. *exemplo;* unde tentare quis poterat:

Perfacili exemplo rationem reddere possis:

sed ægre sequentia patientur.—*rationem:* Π. Σ. habent *ratione*.

Ibid. *ex templo*. Varro, de ling. Lat. vi. 2. " *Extemplo* est *continuo;* quod om- " ne templum debet circum sæptum, nec " plus quam unum introitum, habere." Quæ quo modo constent, aut ad etymon locutionis faciant, nullus video, nisi legas " *curtum* sæptum." Meliora videntur Serviana non paullo, ad Virg. Æn. i. 92. ii. 699. quæ consulas.

Ver. 764. *Marmoreo:* V. ed. Δ. Π: *Marmorea*, et Σ. sed in rasurâ.—*possunt:* Vind. L. Q. Δ. Π. Σ. *possint*.

Ibid. *Marmoreo candore*. Sic Arnobius, lib. iv. p. 141.—" ulnarum nivei " *marmoreique candores*."

Ver. 766. *candenti:* V. ed. *candente;* P. *candenti e;* ambigue, et contra manifestum loci scopum. " Mare vertitur uti- " que ex cæruleis fluctibus in canos, ad " colorem candentis marmoris:" nam vocem *marmor* non hic significare velle, ut aliquoties, planam lævemque oceani superficiem, satis ex ver. 764. ostenditur; nisi Lucretius noster inconcinnitatis minus facetæ postulandus sit. Similem verborum oppositionem Virgilius exhibuit, quem ideo putaverim hosce versus respexisse, ad Æn. viii. 672.

Hæc inter tumidi late maris ibat imago,
Aurea; sed *fluctu* spumabant *cærula cano*.

Ubi nec Servius immemor Lucretii videtur:—" maris imaginem scimus pro ven- " torum qualitate mutari, et colores varios " reddere."

Ver. 768. *illius:* V. ed. *ullius*. Et, in versu proxime veniente, vice *Principiis*, idem habet *Principio;* ut Π. *mutatis*. Δ. autem, in ver. 770. vere, ut puto, *albom;* pro vulgari et recentiore *album*.

Ver. 772. *nullo:* Π. *ullo*.—*possent:* B. *possunt;* Vind. Q. *possint;* ut editiones hodiernæ quædam.

Ver. 774. *migrare:* Ω. *nigrare*. Et, in ver. 775. Δ. *alia;* et P. V. ed. B. *sint*, pro *sunt:* L. etiam, in ver. 777. *Et*, vice *Ut*.

Ver. 778. *quiddam:* P. V. ed. *quoddam*.—*figura:* L. M. *figuras;* et Ω. ha-

Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem exsistunt primordia rerum;
Scire licet, quam sint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris,

ισχυν κτλ· quæ apud ipsum Chæronensem quærenda sunt.

Ver. 796. *velata:* i. e. induta; unde auctoritas, et stabilimentum, emendationi criticorum ad ver. 733. accederet, si suffragio suo codices ibi comprobarent: hinc etiam, quæ nos dudum disputavimus ad Virg. geo. i. 467. Lucretii tunc penitus immemores, aliquatenus infirmantur: sed, ut erumpat vera vox e pectore, hæc dictio *velata* mihi valde est suspecta; et scriptores librarii, nî fallor, aliquid, jam depromendum, in longe venustissimis, parum assecuti, fruges glandibus mutaverunt. Scripsit utique Lucretius:

——————— nullo *violata* colore:

i. e. tincta; atque, cum hac insuper commendatione, stomachantis quasi poëtæ, *violentiam* quandam simplicibus ejus atque puris elementis illatam esse, fuco meretricio deturpatis. Sed exstat Virgilii locus tam appositus, ut ad hanc Lucretii locutionem illustrandam unice factus videri possit, in Æn. xii. 67.

Indum sanguineo veluti *violaverit* ostro
Si quis ebur:

i. e. purum ejus nitorem tinxerit, et corruperit castitatem; ex Homereo μιηνῃ, Il. Δ. 141. uti Servius observavit.

Ver. 798. Editores temerarii, quibus nihil ardui est in Lucretii scriptis vitiandis, ex arbitrio voces transpositas dedere:

Lumine qui *mutatur in ipso*—:

Supra rem tetigimus, provocantes ad Virg. ecl. viii. 108. Videas etiam ver. 755. et v. 7.

Ver. 799. *percussus:* II. *perculsus;* et V. ed. *percussis.*

Ibid. *percussus refulget:* i. e. color cernitur; pro rebus ipsis, hinc colorem tuum nactis, vel ostendentibus. Et pulchre *percussus*, ob diei *tela*, i. 148. vel *spicula* lucis, ferientia. Eleganter Silius, iii. 694. quem accuratiore scripturâ concinnatum exhibebo:

Dumque ea miramur, subito stridore, tremendum!
Impulsæ patuere fores: majorque repente
Lux oculos *ferit.*

Conferas ix. 631. Similis ακριβεια, quicquid est hominum venustiorum me laudabit, si auctor sim, ut jam tandem adhibeatur ad vi. 203. eorundem Punicorum:

Hunc medio invasit fluctu; ripæque relatos
Heu! (genus infandum leti!) depascitur artus.

Nec minus ad x. 365.

Et densi ante oculos, iterumque iterumque, tremendum!
Vibrabant ignes.

Adi Virg. geo. i. 479. Stat. Theb. vii. 413. nos ad iii. 298. Valerium Flaccum emaculantes. Ille Statius, dum in hoc sumus, hinc emendandus est, ad silv. ii. 7. 100.

Sic et tu *rabido*, nefas! *tyranno*,
Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas, canis—.

Committas ibidem, vi. 3. et Virg. Æn. viii. 688. Vulgo legitur:

Sic et tu (*rabidi* nefas *tyranni*)—.

De locutione autem ipsâ, *percussus luce*, quam illustrandam sumpsimus, Drakenborchium ad primum Silii locum haud te pœnitebit consuluisse.

Porro, hos versus Lucretianos in oculis suis Seneca habuit, ad nat. quæstt. i. 4. —“ animalia, quorum color aut ex ipsis “ mutatur,—aut positione *lucis;* quam “ prout *rectam vel obliquam* receperint, ita “ colorantur.”

Ibid. *obliquâ luce.* Virgilius, geo. iv. 298.

Lumine qui in ipso mutatur, propterea quod,
Rectâ aut obliquâ percussus luce, refulget?
Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
Quæ sita cervices circum collumque coronat.

Quatuor a ventis, *obliquâ luce* fenestras.

Ibid. *luce refulget.* Idem, Æn. i. 588.

Restitit Æneas, claràque in *luce refulsit.*

Ver. 800. *Pluma columbarum.* Diogenes Laërtius, ix. 86. ὁ τε της περιστερας τραχηλος, (ἑτερος) παρα την στροφην: ubi videas Menagium. Pulchrum de hac re Neronis imperatoris versiculum Senecæ debemus, l. c.—"Alioquin, ut ait Nero "Cæsar disertissime:

"Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ:

"et variis coloribus pavonum *cervix*, quo"ties aliquo deflectitur, nitet." Sic ibidem mox, cap. 7. Pro *cervix*, si usus scriptorum cogitetur, rescribi debet *cauda*; sin autem naturæ ipsius ratio habeatur, non est caussa mutationis. Plinius, nat. hist. xxxvii. 18. eximiam operam Lucretio navabit: "Iidem (Chalcedonii *smaragdi*) "fragiles, sed colore incerti; et, *virenti*"*um in caudis pavonum columbarumque* "*collo* similes, ad inclinationem magis "aut minus lucidi." Ex hac autem *plumarum columbinarum* smaragdinâ *viriditate*, Ovidii locum luculenter declaratum dabimus, de quo vel in altis tenebris interpretes merguntur, vel falluntur quam egregie. Exstat in epist. xv. 38.

Et variis albæ junguntur sæpe columbæ;
Et niger a viridi turtur amatur ave:

i. e. niger turtur a *viridi turture*. In quantum vero locus erigeretur, si *En!* pro *Et*, utrobique rescriberemus, et faverent codices!

Ver. 801. *cervices collumque.* Pariter conjunxit voces Maro, Æn. xi. 496.

—— adrectisque fremit *cervicibus* alte
Luxurians; luduntque jubæ per *colla*, per armos.

Ibid. *cervices circum coronat.* Omnia uno vocabulo complexus est Hesiodus, opp. et dd. 201.

'Ωδ' ἰρηξ προςειπεν αηδονα ΠΟΙΚΙΛΟΔΕΙΡΟΝ.

Ad quem versiculum, si non sis merum rus, vivorum mortalium invenustissimus, inficetiis nonnullorum interpretum atque enarratorum mutus obstupesces. Tzetzes rem subodoratus est: η, την εστιγμενην και ποικιλην εχουσαν την δειρην. Sic Anyte, apud Jul. Poll. v. 48. ποικιλοδειρος εχις. Hinc Q. Cicero, in fratris libro de divin. i. 47. *anguem* describens:

———— *variâ* graviter *cervice minantem.*

Ita castigamus librorum mendam, *micantem*: quam vocem, licet per *vibrantem* interpreteris, cum *graviter* vix commode satis sociari potest.

Ibid. *collum coronat.* Fortasse imitatus est, dicit Lambinus, illud Nævii in Iliad. lib. i.

Collum marmoreum torquis gemmata *coronat.*—

Exstat autem versiculus apud Charisium, instt. gramm. lib. i. p. 118.—Porro, hinc pendet Euripides, de *columbis* verba faciens, ad Ion. 1219. editionis meæ:

—— εἱλισσ' τ' ΕΥΠΤΕΡΟΥΣ ες ΑΥΧΕΝΑΣ.

Ver. 802. *aliâ*: i. e. aliâ *viâ* circumflexionis colli. Ita legunt V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. sed P. O. dant *το alias* vulgarium editionum. Graviter dolet, altum silentium collatoribus membranarum Vindobonensium Leidensiumque per versum integrum teneri. Ipse me persuasum habeam, istos libros nostris consentire.—*utei*: Ω. *ut*.

Ibid. *claro sit rubra.* Pulcherrime dixit artificum egregius; et audacter sane fecerunt, qui, reclamantibus libris universis, prosaïcam formam, *rubro clara pyropo*,

Namque aliâ fit, utei claro sit rubra pyropo;
Interdum quodam sensu fit, utei videatur

vice poëticæ conversionis, hic maluerint infercire. Eant igitur, et refingant homines belli Statium, ad Theb. v. 564. si per Musas concedatur, vel etiam sine Musis:

——— inde horror aquis, et *raptus ab* omni
Sole dies.

Refingant etiam Virgilium, Æn. viii. 542.

——— Herculeis *sopitas ignibus aras*
Excitat:

et alios mille locos exquisitissimi sermonis in poëtarum monumentis. Adeas Burmannum, in Propert. i. 8. fin. et nosmetipsos ad Eurip. Herc. fur. 7. hanc rem tractantes.

Porro, forte an Manilius nostri memor fuerit, v. 711.

Tertia Pleïadas *dotavit* forma sorores,
Femineum *rubro* vultum suffusa *pyropo.*

Recte Bentleius *dotavit*, vice *dotabit;* uti et ipse non conscius correxeram: idem tamen nec feliciter, nec modeste satis, rescripsit *Cæruleum*, pro *Femineum;* quod valet *verecundum*, et epitheton aptum est ac speciosum. Corippum interea fedo errore, si quis alius, sordidum, liberabo, iv. 120.

Miscentur teretes quadris, viridantibus albæ:
Chrysolithi, *myrrhæ*que, micant; flammasque *pyropos*.
Afflans, et propriâ depellens luce tenebras.

Nonnulli scribunt, *murrhæque:* in quam litem non descendo. Vitiose solet in ver. 2. evulgari, *mireque:* per facilem profecto librariis aberrationem.

Ver. 803. *quodam:* P. Ω. *quoddam.*—*sensu utei:* Π. *seri ut.*

Ver. 804. *virideis:* V. ed. *virgis.*—Legendum forte:

Inter *beryllum* virideis *lucere* smaragdos.
BENTLEIUS.

Præclare, ut omnia, vir omnium perspicacissimus; et cui laudem integram loci, successu maximo meâ ex divinatione restituti, lubenter defero. Nam τὸ *cæruleum* in morbo cubare, quamvis nihil libri varient, color ipse versuum declarat, qui comparationes suas a pretiosis lapidibus accersunt; et tenorem loci vocabulum suspectum interrumpit. Sed, ut arbitrer Bentleium ulceris manifesto versui probam medicinam admovisse, duæ cogitationes prohibent: prior est, nimia literarum discrepantia; altera vero, colorum, qui sunt *beryllis* et *smaragdis*, nimia proximitas. Hoc tamen fortasse pro Bentleiano conatu contendi contra potest; quendam scilicet, volentem declarare, quali colore *beryllus* fuerit, margini exemplaris *cæruleum* appinxisse: unde hoc vocabulum in ordinem contextûs sensim insinuaverit. Priscianus, perieg. 1019. huic rei firmandæ commodissimus inserviet:

Berylli gemmas *glauci*, nitidumque adamanta.

Et ibid. ver. 936. Dionysium presse reddens:

Berylli lapidem liquidum, *glaucique coloris.*

Opportunus est etiam, ut qui maxime, Plinius, nat. hist. xxxvii. 20. "Eamdem "multis (*smaragdis*) naturam, aut certi "similem, habere *berylli* videntur."

Jam vero *glaucum* et *cæruleum* scriptoribus Romanis idem velle, nobis Lucretius ostendet, ad i. 720. cum Homero, Il. Π. 34. et Marone, Æn. xii. 182. collatus: ne in manifestâ re plures testes excitem. His autem concessis, incommodum supra memoratum non minus premit et insequitur, permagnum sane; tam *beryllum* utique, quam *cæruleum*, colores indicare, nimis affines *viridi* pro loci proprietate, et aperto scriptoris scopo. Hoc interea lectori nostro paucis, ut æquum est, probabitur. Eleganter Silius, iv. 82. et apposite, quem in transcursu dimittam leviuscule castigatum: versus enim alios, tenui oratione decurrentes, non temere reperies felicius expolitos:

Inter curalium virideis miscere smaragdos.
Caudaque pavonis, largâ quom luce repleta est,

Cæruleas Ticinus *aquas*, et stagna vadoso
Perspicuus servat, turbari nescia, fundo;
Ac nitidum *viridi* lente trahit *amne* liquorem.
Vix credas labi; ripis tam mitis opacis
Argutos inter, volucrum *certamina*, cantus,
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.

Vulgo, *certamine*. Emaculetur etiam Sidonius Apollinaris, primi ordinis poëta, de nuptiis Pelei Thetidosque canens, x. 5.

Ducebatque choros, *viridi protectus amictu*,
Cæruleæ pallæ concolor ipse socer.

Libri dant, *prope tectus;* et error hic ad scripturæ compendium referri debet. Præsto est etiam inter primos Ovidius, art. am. i. 402.

Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis;
Nec semper *viridi* concava puppis aquæ:

i. e. glaucæ, vel *cæruleæ:* nempe, dum uno nitore placido blanditur, nec tempestatibus spumeis *albescit*. Ita locus intelligi debet: confer Lucretium superius, verr. 765. 776. Porro, consulendus est ibidem Ovidius, (ut revertar) iii. 126. 130. epist. v. 57. Hinc opem feram Plinio, epist. viii. 20. 4. "Color *cæruleo* albidi-"or, *vividior*, et pressior." Vulgo, *viridior*. Eâdem operâ sanandus videtur Isidorus, xvi. 8. initio capitis de *rubris* gemmis: "Corallius gignitur in mari; formâ "ramosus, colore *vividus* et maxime ru-"bens." Libri habent, *viridis*. Fieri tamen potest, ut ille confuse scripserit, et primævum colorem, quam sub aquis habet coralium, teste Plinio, nat. hist. xxxii. 11. grammaticus respexerit. Hoc autem permittimus gemmarum naturam callentibus expendendum. Nec Gellius disputationi nostræ de nimiâ colorum, *cærulei viridis*que, affinitate non favet, noctt. Att. ii. 26. "Neque non potuit Virgilius, co-"lorem equi significare *viridem* volens, "*cæruleum* magis dicere equum, quam "*glaucum*." Etiam Nonnus favet, Dionys. v. 178. versibus sane suavissimis, et lectori lauto salivam moturis:

——ΓΛΑΥΚΗΣ δε λιθου ΧΛΟΑΟΥΣΑ ΣΜΑΡΑΓΔΟΥ,
Δεξαμενη κρυσταλλον ὁμοζυγον, εικελον αφρῳ,
Ειχε φαληριοωντα μελαινομενης τυπον ἁλμης.

Nec minus Manilius, ei, cui poëticæ venustates cordi sint, omnino consulendus, v. 260.

Vernantisque rosæ *rubicundo* sanguine florem:
Cæruleum foliis, *viridem*ve in *gramine*, collem
Conseret—.

Locus est in omnibus membris sincerissimus, primariæ insuper elegantiæ; variis tamen Bentleii conjecturis infaustissime tentatus: hoc etiam sedulo notandus, quod *rubicundus* color et *cæruleus*, vel *viridis*, sibi invicem speciose opponantur, ad Lucretii normam, nobis emendati.

Superest igitur, ut conjecturam meam, pro meritis in contextum Lucretii admissam, vice *cæruleum* lectionis, quæ in omnibus codicibus, pertinaciter consentientibus, invenitur, avide amplectamur: nam veræ est simillima, et ex omni parte inculpabilis; quum literæ syllabæque parum discrepent, atque *curalium* iis sit ex vocibus minime pervagatis, quas librarii lubentissime solent permutare. Prius vero, quam ad eam vindicandam accingamur, pauca dicenda sunt, quæ tentamen alterum Bentleianum elevent, *lucere* scilicet: unde liquido patebit, hanc conjecturam, utcunque elegantem, nullo modo necessariam esse, atque sine libris haud accipiendam. Receptæ voci favorem Boëtius conciliat, lib. ii. met. 5.

Nec lucida vellera Serum
Tyrio *miscere* veneno:

ut inde scilicet colorum fulgor exoriatur impendio luxuriosus. Idem, lib. iii. met. 10. Cari nostri haud dubie memor:

Aut Indus, calido propinquus orbi,
Candidis miscens virides lapillos:

i. e. *orbi*, vel globo, solis: nam Horatium exprimit, od. i. 22. 21. Tertullianus etiam scripturam codicum tuebitur, de cult. fem, i. 6.—"lapillos istos, qui cum auro su-"perbiam *jungunt*—." Lactantii carmen

Consimili mutat ratione obvorsa colores:
Quei quoniam quodam gignuntur luminis ictu,

de phœnice, ver. 135. hæc ventilantes, emaculabimus:

> Albicat *in cristis*, *mixto* viridante smaragdo:

i. e. "*in cristis* fulgidus est candor, smaragdi viriditate commixtus." Vulgo, *insignis* legitur, quod Barthio jure displicuit. His consentit Claudianus de phœnice, ver. 19. nam vocem *albus* de sole fulgido usurpari plus semel demonstravimus:

> ——— rutilo cognatum vertice sidus
> Attollit *cristatus apex*.

Accedat denique Nemesianus, cyneg. 310.

> Has igitur vario semper fucare veneno
> Cura tibi, niveisque alios *miscere* colores.

Post nullos autem huic rei tempestivus aderit Achilles Tatius, ita phœnicem describens: Το δε γενος Αιθιοψ, την χροιαν ταως εν καλλει δευτερος· ΚΕΚΕΡΑΣΤΑΙ μεν τα πτερα χρυσῳ και πορφυρᾳ. Restat igitur, perpensis ac collatis omnibus, ut Lucretius noster ad hunc modum pulcherrime et castissime scriptus existimetur:

> Inter *curalium* virideis *miscere* smaragdos.

Colorum mixturam, probe distinctorum, et commodam, et elegantem, nec minus ipsius rei veritati convenientem, jam agnoscimus. Affirmat enim poëta, aliquando per se *rubrum* nitorem cerni; atque aliquando rursus illum *rubrum viridi* specie temperatum. Tryphiodorus, ver. 69. colores similiter commiscuit:

> ΓΛΑΥΚΗΣ βηρυλλοιο, και ΑΙΜΑΛΕΗΣ αμεθυστου:

i. e. *viridis* et *rubri*. Pariter Ausonius, Mosell. 69.

> Quum *virides* algas et *rubra corallia* nudat
> Æstus, et albentes, concharum germina, baccas.

Quinetiam, *lapidem* quemvis potius Lucretio positum esse, quam vocem generalem frigidamque *cæruleum*, tam loci totius rationes probabile faciunt, quam Epiphanii αποσπασματιον, quod Salmasio laudatum invenio in Plinianis ejus, p. 385. et quo nihil Lucretio illustrando convenientius desideres: Ὁ ταων χρυσιῳ και αργυριῳ καταπαστους τας πτερυγας κεκτηται· ὁ δε φοινιξ ὙΑΚΙΝΘΩ, και ΣΜΑΡΑΓΔΩ, και ΛΙΘΟΙΣ πολυτελεσι. Phædrus item nobis adstipulatur, iii. 18. 7.

> Nitor *smaragdi collo* præfulget tuo,
> Pictisque plumis *gemmeam caudam* explicas.

Ubi, pro *Nitor*, malim *Viror*; quæ vox Vitruvio, et inferioris ævi multis scriptoribus, usurpata est: nec, si locum attentius inspicias, facile credes, aliter Phædrum scribere potuisse. Idem, in appendice fabularum, fab. xiii.

> O! quanta vultûs species est, perdix, tui!
> *Coralla* rostrum, crura vincunt purpuræ
> Fulgorem.

Apud Ezekielem, xxviii. 13. colores similes consociantur, *viridis* ac *ruber*:—και σμαραγδον, και ανθρακα: nam *curalium* et *carbunculus* idem lucent. Nec minus hæc colorum societas apud Ovidium, amor. ii. 6. 21. invenitur, Lucretii mei, ut equidem dixerim, haud immemorem:

> Tu poteras *virides* pennis hebetare *smaragdos*,
> Tincta gerens *rubro Punica* rostra *croco*.

His finem imponet locus Philonis Judæi luculentissimus, et ad versus nostri poëtæ illustrandos quasi de industriâ compositus. Exstat in libello de *ebrietate*, p. 383. ed. Mang. Τον δε αυχενα της περιστερας εν ἡλιακαις αυγαις ου κατανενοηκας μυριας χρωματων αλλαττοντα ιδεας; η ουχι φοινικουν, και κυανουν, ΠΥΡΩΠΟΝ τε αυ και ανθρακωδες, ετι δε ΩΧΡΟΝ και ΕΡΥΘΡΟΝ, (i. e. *viridem* et *rubrum*; vide Virg. Cul. 142. Cir. 225. *smaragdinum* et *curalio* similem) και αλλα παντοδαπα ισχει χρωματα, ὡν ουδε τας κλησεις ῥᾳδιον απομνημονευσαι;

Quum vero quosdam noverimus experti, vel affectuum invidiosorum ægritudine adeo infestatos, ut generosos plausus recte aliis excogitatorum nequeant a se extorquere; vel in universum rei criticæ, conjecturas etiam modestius exercenti, prave inimicos; hanc notam studio laboriosiore deduxera-

Scire licet, sine eo fieri non posse putandum.
Et, quoniam plagæ quoddam genus excipit in se

mus, ut vel iniquissima morositas rationum ponderibus devinci posset: nihil interea dubitantes, futuros esse vel sic, qui conjecturam nostram sannis et criminibus exciperent: cum ecce! post intervallum temporis, incidimus in Sereni Samonici locum, silentium etiam maxime pervicacibus imponere valentem; et vituperatores nostros deridendos potius facturum, quam derisores. Ille scriptor, qui circa annum 240. post Christum floruit, exemplaribus Lucretii haud paullo sincerioribus videtur usus; et ad hos ipsissimos versus, quos tractamus, manifestissime alludens, nostram emendationem extra controversiarum fines posuit, ad ver. 952. de Medicinâ, ubi Burmannum videas:

Curalium atque crocum corio connectito felis:
Curalium vero si *collo* nectere velles,
Ne dubites illi *virides miscere smaragdos*.

Ibid. *smaragdos.* Valeant per me, qui oleum addere camino velint, et numeros satis horridos, sed ex necessitate vocis tamen, magis horrificare studeant, scribendo *zmaragdos.* Sane rationibus haud idoneis nixos esse judico, cum Græci σμαραγδος dixerint; et egomet potius in contrarium ivissem, *s* detrahendo, ut teneris auriculis consulerem, atque scribendo *maragdis:* vide Silv. Crit. meam, i. p. 60. Sed nihil temere novandum est; et nos de hac re συν Θεῳ pluribus alias. Cæterum, prævalentem codd. MSS. orthographiam cum *z*, hebetiori mediorum seculorum pronunciationi, neque, ut fit, per expressam satis omnium literarum proprietatem exhibitæ, imputandam dixerim. Voluntarius pedibus eo in sententiam Prisciani, lib. i. sub finem: "In semivocalibus similiter sunt aliæ præpositivæ aliis semivocalibus in eâdem syllabâ; ut *m* sequente *n*, ut Mnestheus, amnis. *S* quoque sequente *m;* ut Smyrna, *smaragdus:* nam vitium faciunt, qui *z* ante *m* scribunt: nunquam enim duplex in capite syllabæ potest cum aliâ jungi consonante. Lucanus quoque hoc ostendit, in x. 121.

"Terga sedent, crebro maculas distincta *smaragdo:*

"nam si esset *z* ante *m*, subtrahi in metro minime posset, nec staret versus; *s* enim in metro sæpe vim consonantis amittit."

Porro, *virides smaragdos* a nostro Tibullus sumpsit, ii. 4. 27. ubi plura Broukhusius; sed hæc sunt trivialia. In versu sequente, *que* et *est* absunt codici Π.

Ver. 806. *obvorsa:* i. e. luci, vel soli; unde Avienus, fab. xv. 8. nullo negotio emaculari potest, de *pavone* loquens:

Et, simul erectæ circumdans tegmina caudæ,
Sparserat arcanum, *versus* in astra, jubar;

i. e. "se vertens in solem;" ut vel vitiosam lectionem *rursus* significare debere pulchre vidit Cannegieterus, qui adeundus. Stylum correctorem in opportunum Apuleii locum nunc mittam, met. ii. p. 109. "Quid, quum capillis color gratus et nitor splendidus illucet; et contra solis aciem vel vegetus fulgurat, vel placidus renidet, aut in *contrarium* gratiam variat *adspectus?*" (i. e. dum obversatur, ad angulum diversum observatus.) "Et nunc, ut aurum, coruscans, in levem mellis deprimitur umbram, nunc corvinâ nigredine cærulos" (i. e. virides) "columbarum colli flosculos æmulatur; vel quum, guttis Arabicis obunctus, et pectinis *angusti* dente tenui discriminatus, et pone versum coactus, amatoribus oculis occurrens, ad instar speculi, reddit imaginem gratiorem?" Vulgo, *contrariam—adspectum—arguti:* sed locum perlegas; nam de *textorio pectine* non agitur. Vim dictionis Lucretianæ *obversa* Sextus Empiricus, i. 121. ita extulit: Και οἱ τραχηλοι δε των περιστερων παρα τας διαφορους ΕΠΙΚΛΙΣΕΙΣ διαφοροι φαινονται κατα χρωμα.

Ver. 807. *Quei:* V. ed. *Quæ;* non male,

Pupula, quom sentire colorem dicitur album;
Atque aliud porro, nigrum quom, et cætera, sentit;
Nec refert, ea, quæ tangis, quo forte colore
Prædita sunt, verum quali magis apta figurâ;
Scire licet, nihil principiis opus esse colores,
Sed variis formis varianteis edere tactus.
Præterea, quoniam non certis certa figuris
Est natura coloris, et omnia principiorum
Formamenta queunt in quo vis esse nitore:

ut æque ad omnia, quæ præcesserint, hæc conclusio referatur.

Ibid. *luminis ictu:* ut *luce percussus*, ver. 799. ubi nonnulla diximus. His autem scatent elegantium scriptorum paginæ.

Ver. 808. Sensus est: "Et, quoniam "hi colores originem suam luci acceptam referunt, licet scire, i. e. intelligere debemus, putandum esse, vel concludendum esse, colores non posse fieri "sine hoc ictu luminis." Versus in vulgaribus editionibus hoc pacto repræsentari solet, ex audaci correctione Lambini:

Scilicet id sine eo fieri non posse putandum *est*.

Quum vero *Scire licet* in omnibus exemplaribus probis inveniatur, si excipias Vindobonensia; fides collatoris istius nobis in suspicionem venit. Illud *est* desideratur reliquis præter L. M. Ω.

Ver. 810. *Pupula:* Δ. *Papula;* Π. *Pupilla.*—Et vox *pupula* protriti satis usûs est; nec minus in pedestri sermone, quam poëtico: de quo Salmasius, ad J. C. Pertin. imperat. cap. 13.

Ver. 811. Π. *cum* repetit post *et;* unde non male legas:

Atque aliud porro, *nigra* quom, et *quom* cætera, sentit.

Ver. 812. *tangis:* ope scilicet pupulæ. Ita legunt Vind. L. O. Q. Σ. sed *tangit*, P. V. ed. B. Π. *tangas* rursum, M. Δ. Ω. Nihil interest, quam dictionem e tribus eligas.

Ver. 813. *sunt:* sic V. ed. B. M. Δ. Σ. reliqui, *sint.*—*quali:* Δ. *qualis;* quasi voluerit haud invenuste, elapsâ literâ, ut fit, ad finem versûs:

——— verum *qualeis* magis apta *figuras:*

ut statim in numero multitudinis, ver. 816.

Ver. 814. *colores:* ita Nonius Marcellus legit, vii. 113. cujus hæc sunt verba: "Opus est *illam rem*, pro opus est *illâ* "*re:*" deinde provocat grammaticus ad Plaut. Cistell. iv. 2. 40. Capt. i. 261. et nostri versum. Quum sit hoc regimen exquisitioris usûs, ideoque scriptoribus librariis minus obvium, nec non Lucretio alias usitatum; quamvis omnia vetusta exemplaria in *colore* consentiant, non dubitavi ad aliorum normam editorum Nonii lectionem adoptare. Redeas ad notata in ver. 21. hujusce libri.

Ver. 815. *varianteis tactus:* i. e. "oculos tangere, et tactu varie afficere, "ob formas discrepantes; non autem ob "colorum diversitatem." Nempe, vocem *tactus* ad omnes sensus Lucretio referri, in superioribus innuimus, ad ver. 410.

Ver. 816. Illud *non*, male sociatum, editorum oculos ad veram loci constructionem caligare fecit; ideoque mentem poëtæ neutiquam perceptam habuerunt. Ita capias sententiam, et objectionis vim: "Præterea, quoniam colores ex variis "primordiorum figuris pendere nolunt; "sed contendunt scilicet, principia formarum omnigenarum quovis imbui colore posse, promiscue conjuncto; unde"nam accidit, omnigenos colores omni"genis animalibus haud contigisse?"

Quur ea, quæ constant ex illis, non pariter sunt
Omnigenis perfusa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim corvos quoque sæpe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem;
Et nigros fieri nigro de semine cycnos,
Aut alio quo vis uno, varioque, colore.
Quin etiam, quanto in parteis res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est, ut cernere possis
Evanescere paullatim, stinguique, colorem:

Ver. 818. *Formamenta:* i. e. formas—effigies—figuras. Exemplar suum secutus, Arnobius dictionem rarissimam adhibuit, in lib. iii. p. 109. "Si vos fate-"remini id—*formamentis* adtribuisse *divi-"nis*—:" i. e. deorum formis.

Ver. 820. *perfusa:* i. e. tincta, vel imbuta; admodum eleganter: vide verr. 733. 754. Proprie quidem, sed eleganter etiam, ille Mantuanus, ad Æn. v. 112.

Et palmæ, pretium victoribus, armaque, et, *ostro Perfusæ*, vestes.

Sed omnium est in hac re longe suavissimus, meâ saltem sententiâ, Mosellæ præco, ver. 192.

Quis color ille vadis, seras quum protulit umbras
Hesperus, et *viridi perfundit monte* Mosellam?

Ver. 821. *volanteis:* Hoc dixit, breviter significans, oportere eos, inter volandum, primordia diversimode colorata spectantium oculis obvertere; adeoque non modo colore nigro, sed et alio quolibet, subinde tinctos videri.

Ver. 822. *pennis:* P. V. ed. Ω. *pinnis;* sed male. Servius, ad Virg. Æn. ii. 479. "*Bipenni.* Ecce nomen, quod servavit "antiquitatem: quia veteres *pennas* dice-"bant, non *pinnas.*" Hac occasione Festum restituam: "*Pennas* antiquos fertur "appellasse *petnas* ex Græco; quod illi "πιτηνα ea, quæ sunt volucria, dicant." Vulgo, *pecnas;* vitiose, ob similitudinem literarum *c* et *t* in libris manu scriptis. Quæ sequuntur in grammatico sic fortasse non inepte constituentur. "Item "easdem pesnas, *et tesnas:*" quasi a πτηνα, per abjectionem literæ *p*. Libri, "pes-"nas, *ut cæsnas.*" De *bipennis* autem etymo, equidem Isidori potius judicio assenserim, ad origg. xix. 19. quam Fabio, instt. i. 4. aliter edicenti; cujus interpretes cum ipso studiosis harum antiquitatum omnino consulendi sunt.

Ibid. *jactare colorem.* Venusta est locutio: conferas supra, ver. 673. iv. 93. 94. v. 576. nam *color* et *lux* Lucretio parum differunt: vide sis verr. 794. 807.

Ver. 824. *varioque.* Idem vult, ac si dixisset, *variove:* "Cycni nempe vel ni-"gri deberent apparere, vel alio quovis "simplice colore, aut etiam variegato, "prout particulæ, hoc vel illo modo co-"loratæ, abundantius congererentur." Et hac de caussâ potissimum super istâ re admonitum voluimus, quia critici passim solent in similibus locis τε *que* in *ve* mutare: quâ prurigine sæpius tentabatur Marklandus ad Statium; alioquin exactissimâ doctrinâ et judicio subacto vir.

Ver. 825. *quanto:* M. *quando.*—*parteis:* Π. *pratis;* literis negligenter transpositis.

Ver. 827. *Evanescere:* M. *Et vanescere;* minus eleganter.—*paullatim:* O. *privatim.*—*stingui:* O. Δ. *exstingui.*—*colorem:* Δ. *calorem;* usitatissimâ omnium permutatione. Hic et sequens versus desiderantur in Π.

Ibid. *stingui:* vide nos ad i. 667. 933.

Ver. 828. *aurum.* Atqui hoc de plano falsissimum est, Lucreti! et ipsi experientiæ repugnat. Discerpatur *aurum* sane,

Ut fit, ubi in parvas parteis discerpitur aurum,
Purpura, pœniceusque color clarissimus multo,
Filatim quom distractus est, disperditur omnis:
Noscere ut hinc possis, prius omnem ecflare colorem
Particulas, quam discedant ad semina rerum.
Postremo, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem; propterea fit,
Ut non omnibus adtribuas sonitus, et odores:
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,

in tenuissimas ad libitum tuum particulas; itane frontem perfricuisti, ut audeas affirmare, filorum splendores evanescere, et exstingui? Nullus hercle tu affirmaveris: audax est librariorum oscitantium figmentum, et poëtæ integerrimo minime imputandum. Ipse diluam has sordes, et locum certissimâ emendatione mactabo, quæ in contextum recipi debuerat:

Ut fit, ubi in parvas parteis discerpitur *ostrum*.

Nimirum, *pœniceus color*, *purpura*, et *ostrum*, nihil sunt, pro simplicitate Lucretiani sermonis atque ubertate, quam unius coloris, tincturis magis minusque vividis variati, descriptio. Hinc est, quod in omnibus scriptoribus hæc diversimode atque indifferenter consociata reperias. Ita Virgilius, Æn. x. 722. exempli gratiâ:

Purpureum pennis, et pactæ conjugis *ostro*:

Ac Propertius, iv. 8. 51.

Nam mihi quo, *Pœnis* si *purpura* fulgeat *ostris*?

Et e multis addam Senecam, Med. 99.

Ostro sic niveus *puniceo* color
Perfusus rubuit.

Isidorum, origg. xix. 28. libet castigare: "Conchylia autem sunt maris; quæ, circumcisa ferro, lacrymas purpurei *emittunt* coloris: his collectis color purpureus temperatur: et *ostrum* exinde appellatum dicunt, quod ex *testâ humor* elicitur." Et error hic, *aurum* vice *ostrum*, ortus fortasse sit ex consimili sono syllabarum *au* et *o*, quum librarius ab aliquo dictante versus exciperet. Utcunque demum hoc sit, verissima est nostra emendatio.

Ver. 829. *pœniceus*: V. ed. *pœnitens*; P. Vind. *Phœniceus*; Δ. *fœnigeus*.—*multo*: P. *omni*; M. in margine, *ultro*; pro verâ fortassis lectione, *ullo*.

Ver. 830. *distractus est*, vel *distractust*: sic mihi videbatur Lucretii scriptura per minimam codicibus vim illatam probabiliter posse restitui. Dant V. ed. B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *distractum est*; vel, breviter scriptum, *distractust*: quod lectioni nostræ nihil discrepat: Vind. *distractum*; Π. *distractim*; P. *distrahitur*.—*disperditur*: V. ed. *dispenditur*; Π. *disperditus*; cui etiam *omnis* deest.

Ver. 831. *ecflare*. Hoc translato vocabulo noster ideo usus est, quia fingat colores *aurâ* luminis, corporibus reflexâ, generari: vide nos ad v. 176.

Ver. 832. *discedant*: sic Δ. sed V. ed. B. *descendunt*; P. *descendant*; Vind. O. Π. Σ. *distendunt*; L. *discedunt*; M. Q. *disceduant*; Ω. *discendunt*. Verum puto, *discedunt*. In ver. 834. V. ed. *concedas*.

Ver. 839. *animum*; Δ. *animi*; eleganter; i. e. sagacem animi: sed vix ad Lucretii consuetudinem. Silius Italicus, ii. 344.

Fibrarum, et *pennæ*, divinarumque *sagacem*
Flammarum, misit dives Callæcia pubem.

Ver. 840. Nihil mihi antiquius habui, quam ut Lucretii contextum emendationibus ex conjecturâ satis ad libitum contaminare parcerem: sed subinde loci observantur, ad quos emaculandos, vel saltem turpissimis mendis liberandos, ob codicum vitia vel discrepantias, acuminis

Scire licet, quædam tam constare orba colore,
Quam sine odore ullo quædam, sonituque remota:
Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem,
Quam quæ sunt aliis rebus privata notarum.
Sed, ne forte putes, solo spoliata colore
Corpora prima manere; etiam secreta teporis
Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis;
Et sonitu sterila, et suco jejuna, feruntur;
Nec jaciunt ullum proprium de corpore odorem.

critici confugium omnino necessarium videbatur. Inter hujuscemodi locos iste, cum quo nobis nunc est res, nomen suum profitetur. Id profecto, quod imprimendum curaverim, *notarum* scilicet, fetus est conjecturæ propriæ. Non deterius fuisset forsitan, nec a veri similitudine remotius, *notaï*. *Privata* autem *notarum*, haud invenuste: ut mox, ver. 832. *secreta teporis*. Omnes libri consentiunt in *notaque;* nisi quod O. habeat *nataque*, ex merâ calami aberratione: et collator membranarum Vind. Q. silentio transcurrat, quasi hæc exemplaria vulgo editum *notisque* habuerint: quod nullus crediderim. Quid autem sibi velit hoc dicendi genus, *aliis rebus privata notisque*, neque declaravit aliquis in hunc usque diem; neque, uti auguror, ex nostris ossibus ille exorietur,

Ες τ' αν ὑδωρ τε ῥεῃ, και δενδρεα μακρα τεθηλῃ,

qui in explicito daturus est. Hoc sane facienti nos omnium primi libentissime assurgemus. Interea, pro genuinâ poëtæ scripturâ meam lectionem non amplector; et sinceriora exemplaria exspectanda putem. Quid autem? quum *rebu* et *sēsu* non intervallo longo distent, an dicemus reponendum?

Quam quæ sunt aliis *sensu* privata, *notâque:*

i. e. "quam esse partes aliarum rerum, "quæ per notam aliquam sentiri, et at-"tingi nequeant." Sagax lector expergiscatur, et huic nodo ingenii cuneum admoveat.

Ver. 843. *omnino:* Π. *omni.—vaporis:* V. ed. Π. *vapores.*

Ibid. *calidi vaporis.* Hoc ad antiquioris orationis simplicitatem dictum est, et similiter ad iii. 127. ut multa alia in Lucretio; simul ut aliquid *tepore* intentius indicetur. Ex hoc genere sunt *μελιτι γλυκερῳ*, Hom. Od. Υ. 69. *γαλα λευκον* (observante id etiam Lambino) ejusdem, Il. Δ. 434. et mille similia Græcorum. Hinc autem, ut ingenuos agamus, nonnihil infirmatur lectio "*validos* æstus;" quam vulgatiori nos prætulimus, "*calidos* æstus" nempe, nec tamen immerito fortassis, ad i. 301.

Ver. 844. *sterila:* P. *sterilia;* nec male; ut mox *similia*, ver. 908. Π. *sterili:* liber prior *ac* inter voces *suco* et *jejuna* ponit.—*jejuna:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π, Σ. *et una.*

Ibid. *sterila*, ut *sublima*, i. 341. Faber.

Ver. 845. *ullum:* Δ. *ulla.—proprium:* Vind. O. Q. Π. Ω. *proprio;* nihil aliud utique quam *propriō*, i. e. *propriom:* quam formam si sæpius ausus essem restituere, idonei judices fortasse consilium meum non improbassent.

Ibid. *jaciunt odorem:* i. e. *particulas* odoras jaculantur. Pulchram hanc locutionem Virgilius non præteriit, geo. ii. 132.

Et, si non alium late *jactaret odorem*,
Laurus erat.

Ver. 846. *amaracini:* Π. *amara ci.—blandum:* V. ed. *blandumque.—stacæque:* Vind. O. Δ. Π. Σ. *est actæque*, Q. *stactaque.—liquorem:* Π. *liquor est.*

Sic ut amaracini blandum stactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halat,
Quom facere instituas; cum primis quærere par est,

Ibid. Dilucidâ profecto ac perelegante comparatione, ad argumentum suum illustrandum, commodissime noster usus est: quam tamen Platoni debuit, in Timæo, p. 535. A. uti Lambinus docuit: Δι' ὁ και παντων εκτος ειδων ειναι χρεων το τα παντα ενδεξομενον εν αυτῳ γενη· καθα περ περι τα αλιμματα, ὁποσα ευωδη, τα δεξομενα ὑγρα τας οσμας. Quasi dixerat Lucretius: "In unguentis, varie compositis et odore suo fragrantissimis, concinnandis, nihil majore diligentiâ debent quærere confectores, quam simplex oleum, maxime inodorum; ut sit unguenti constituendi basis: et, quo simplicius est id olivum et odoris omnis expers, eo purior odoribus evadet, eo exquisitior, tota compositio. Ita se res habet in omnibus omnium rerum elementis: utcunque res ipsæ vel odoribus, vel coloribus, vel qualitatibus demum quibuslibet, præditæ reperiantur, harum omnium qualitatum primordia ipsa, ex quibus res constant utique, prorsus destituuntur." De his autem *commixtis odoribus* atque *unguentis*, si nostram Silv. Crit. sectt. lvii. ccvii. diligenter perlegas, inde fortassis haud indoctior abibis.

Ibid. *amaracini.* Isidorus, iv. 12. "Sunt et quædam *unguenta* ab inventorum nomine, ut *amaracinum.* Nam quidam tradunt, regium quendam puerum, *Amaracum* nomine, quam plura unguentorum genera ferentem, casu prolapsum esse, et majorem ex commixtione odorem creasse. Unde nunc optima unguenta *amaracina* dicuntur: sunt autem ex genere florum." Eadem habet Servius, paucis leviter demutatis, ad Virg. Æn. i. 693.

Ibid. *blandum liquorem.* Propertius, iv. 6. 5.

Costum molle date, et *blandi* mihi *turis* honores:

ubi Broukhusius, me judice, præstantiorem Heinsio interpretem se dedit. Ita Virgilius accipiendus est, ecl. iv. 23.

Ipsa tibi *blandos* fundent cunabula flores:

i. e. suaveolentes, et quales odore suo pueri naribus quasi *blandiantur.* Aliter tamen statuit in commentariis Servius.

Ver. 847. *halat:* sic P. Vind. B. O. Q. Δ. Ω. et re verâ V. ed. Π. qui dant tenue *alat:* reliqui, si collatores credendi sint, *halant,* ut vulgares editi. Denique, pro *naribus halat,* Festus in voce *Nectar,* mendosissime, *floribus habet.*

Ibid. *nardi florem:* ut nempe, vel de *gramine vivo* intelligatur, ad Lucani locum, Phars. x. 164.

Adcipiunt, sertas *nardo florente,* coronas,
Et numquam fugiente *rosâ:*

vel de unguenti *odore;* ut Valerius, Arg. vi. 709.

Et gravidæ maduere comæ, quas *flore Sabæo*
Nutrierat——:

cum Plauto, Curc. i. 2. 1.

Flos veteris *vini* meis *naribus* objectus est:

atque etiam Carus ipse, iii. 222. Huic autem loci præsentis interpretationi, quæ sequuntur, magnopere videntur se opponere:

——————— nectar qui naribus halat:

nam *flos* nardi is est, qui *halatur; odor* utique: undenam igitur *halare* poterit? Sic etiam ανθος Græcorum: et hoc multis veterum locis uberius nullo negotio, si tempus posceret, ostendere quiremus. Restat igitur, ut affirmemus Lucretium dedisse:

Et nardi *rorem,* nectar qui naribus halat.

De quorum nominum confusione, vide sis animadversa in ver. 319. hujusce libri. Ovidius, epist. xv. 76.

Non *Arabo* noster *rore* capillus olet:

ad quem versiculum mihi multum otium doctissimæ collationes Heinsii fecerunt, cum Spanhemio ad Callim, hymn. Apoll. 38. quem laudat Burmannus. Jam vero,

Quoad licet, ac possis reperire, inolentis olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram:
Quam minume ut possit mixtos in corpore odores,

" nardi *rorem*," et " stactæ *liquorem*," optime conveniunt.

Ibid. *nectar naribus halat.* Similiter Prudentius de *odoribus*, perist. ii. 385. cum enormi credulitate, et sibi familiari:

> Quin ipsa *odoris* qualitas—
> His nidor, illis *nectar*, est.

Et ibidem, v. 280.

> *Redolente nectar* carcere.

Ver. 849. *Quoad:* sic Δ. Σ. Ω. et, si vere taceat Havercampus, L. M. Aliter, reliquorum lectionem accepissem, *quod.* In V. ed. hiatus est, *ac* desiderante.—*possis:* Δ. *possit;* quasi voluerit:

> Quoad licet, ac *possit reperiri*—.

Male vulgares editi, libris omnibus, ut putem, repugnantibus, *potis est.*—*inolentis:* Π. *violentis;* per eosdem literarum ductus. In versu sequente, Ω. habet *Natura*, et *emittat.*

Ver. 850. *auram:* i. e. odorem. Virgilius, geo. iv. 417. simili cum venustate:

> ———————— at illi
> Dulcis conpositis spiravit crinibus *aura.*

Hinc intelligas Prudentium, hamart. 297. quem nescio quis voluit corrumpere:

> Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
> Pulvere, femineas spargentem turpiter *auras.*

Confer hymn. ii. 390. Tragicæ fastum orationis, de deorum appropinquantium *odoribus*, irridet Comicus, Ran. 315.

> ———————— εγω γε' και δᾳδων γ' εμε
> ΑΥΡΑ τις εισεπνευσε μυστικωτατη.
> Αλλ' ηρεμα πτηξαντες ακροασωμεθα.

Elegantiam vero dictionis *πτηξαντες*, ut id obiter moneam, non perceperunt editores: de quâ nos videndi ad Eurip. Herc. fur. 976.—Porro, venuste Philo Judæus, ad ii. p. 268. *ἱνα*, ΑΥΡΑ *τινος ωφελιμας επαρθεις, εντος αρχειων ληφθῃς:* cum quo loco committi perquam commode potest Juvenalis, xiv. 204.

> ———————— *lucri* bonus est *odor*, ex re
> Qualibet.

Cæterum, Horatianum illud, quod pauci intellexerunt, od. ii. 8. fin.

> ———————— tua ne retardet
> *Aura* maritos;

quo nihil suavius; ab Achille Tatio pulchre vocatur *ἡ τε καλλους* ΑΠΟΡΡΟΗ· i. 9. ed. Boden. Addas jam dictis notata mihi ad v. 176. vi. 220. et olim ad Virg. geo. iv. 417. Lucretio autem illustrando commodus superveniet, *Plinius* etiam, ad nat. hist. xxxii. 2. de *Torpedine:*—" necesse " habemus fateri hoc exemplo, esse vim " aliquam, quæ *odore* tantum, et quâdam " *aurâ* sui corporis, afficiat membra." Nec paullo diutius pigebit moram traxisse, dum in transcursu moneam, me olim Lucani locum gemellum verissimâ conjecturâ restituisse, et serum ex Burmanno didicisse, quod Heinsio eadem prorsus cogitatio inciderat. Quem velim, versus exstat Phars. x. 166.

> ———————— multumque madenti
> Infudere comæ, *cui* nondum evanuit *aura*,
> Cinnamon, externâ nec perdidit *aëra* terrâ.

Vulgo, *quod*, corruptum a scripturâ *quoi;* ut Burmannus etiam vidit. Animadvertat autem lector, *aëra*, non minus quam *aura*, pro *odore* poni.

Ver. 852. *Concoctos:* P. *Contrectans.*—*contactos:* P. V. ed. *contractus;* O. Ω. *contractos;* Vind. Δ. Π. Σ. *contractas;* fortassis volebant, *contractans:* et hoc, nisi melius esset in manibus, haud contemnendum foret.—*viro:* Σ. *vires.* His varietatibus Nonius accedat, ii. 913. " *Vi-* " *ro* etiam pro *virtute naturali.* Lucre- " tius, ii.

> " *Concocta*sque suo *servare et* perdere, viro."

Concoctosque, suo contactos perdere viro.
Propterea, eâdem debent primordia rerum
Non adhibere suum gignundis rebus odorem,
Nec sonitum; quoniam nihil ab se mittere possunt
Nec simili ratione saporem denique quemquam,
Nec frigus, neque item calidum tepidumque vaporem.
Cætera, quæ quom ita sunt tamen, ut mortalia constent,
Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro,

Sane ab *haud*, fluere potuit *haut—aut—et;* atque grammaticus olim scripsisse:

Concoctosque suo servare, *haud* perdere, viro.

Permittatur enim nobis aliquoties hariolari.

Ibid. *viro:* in bonam partem acceptâ voce, ut in versibus Statii nitidissimis, silv. i. 4. 104.

——jungam ipse manus, atque omne *benignum*
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphrysiaco pastor de gramine, carpsi.

Ad quem locum Marklandus optimus omnino consulendus est. Sed enim in hac re Græca exemplaria de more secuti sunt hi Latini. Insigni sit pro teste Pindarus, Ol. vi. 78.

——— *δυο δε γλαυκωπες αυτον,*
Δαιμονων βουλαισιν, ε-
θρεψαντο δρακοντες, αμεμφει
ΙΩ ΜΕΛΙΣΣΑΝ, *καδομενοι.*

Lucanus, viii. 690. de medicamentis, putrorem arcentibus, quæ solent esse, ut plurimum, suaviter odorata:

——— infuso facies solidata *veneno* est.

Hinc Virgilius, geo. i. 129. " *malum* vi-" rus" distinguendum existimavit: ad quem versum sic opportune Servius: " Bene ad discretionem epitheton addidit, " *malum:* nam virus et *bonum* et *malum* " est, sicut *venenum;* nam idem est. Ve-" nit autem a Græco: nam et illi *φαρμα-*" *κον* medium habent; i. e. et bonum et " malum."

Ver. 853. *eâdem:* i. e. eâdem viâ, vel *similiter;* ut noster compluries. Plautus, Bacch. iii. 4. 26.

Eâdem exorabo, Chrysalo caussâ meâ
Pater ne noceat.

Idem hoc modo sæpius. Charisius: " Ve-" teres *eâdem* soliti sunt dicere, non ad-" dentes *viâ;* ut sit *κατ' ελλειψιν.* Ut " Plautus inquit:

" *Eâdem* biberis, *eâdem* dedero tibi, ubi biberis,
" savium."

Qui locus exstat in Bacch. i. 1. 15. vide Fabrum in Lexico. Jam vero de *eâdem* dissyllabo, vide sis supra, ad ver. 692. Sic autem rescripsi ex levissimâ castigatione: nam nullus dubito, hoc voluisse scripturam codicum L. M. *eandem*, i. e. *eādem*, nisi vel librarii manus, vel collatoris oculus, aberravisset. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *eundem:* vel *eomdem*, *eōdem*, *eodem:* i. e. *eodem modo;* quod non deterius esset. Lectio *tandem*, in P. O. Ω. ex crassâ emendatione est homunculorum e lectioni genuinâ, vel genuinæ proximâ, nihil exsculpere valentium.

Vel sic itinere tamen complanato, et superioribus concessis, hiatus restat, cui supplendo nulla codicibus medela ministratur, neque ex ingenio interpolare convenit. E duabus minor est difficultas eligenda; et edicere præstiterit, convolutam syllabæ *eâ* pronunciationem cum vi cæsuræ conspirantem (vide Virg. geo. ii. 8. 144. Æn. iv. 64. ut in locis pluribus) huic incommodo, ex probissimorum poëtarum usu, idoneum subsidium conferre. Aliter, sinceriores codices exspectandi sunt.

Omnia sint a principiis sejuncta, necesse est;
Inmortalia si volumus subjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur summa salutis:
Ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes.
  Nunc ea, quæ sentire videmus quomque, necesse est,
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare: neque id manifesta refutant,
Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt;

Ver. 856. *simili ratione.* Hoc plenius exprimit vocem *eâdem*, in notâ præcedente declaratam.

Ver. 858. *quæ quom:* Vind. V. ed. Δ. *quæcumque.* Pro *tamen*, editiones exhibent, contra libros, *tandem;* sed vis τ8 *tamen*, quæ correctores latuit, ita potest enarrari: "*Quæ tamen:* i. e. utcunque "se res aliter habeat cum illis;" vel "quo modo cunque demum in aliis affi-"ciantur;—quum sint mortalia—." Et fini versûs præcedentis, pro caudâ scilicet, editores *et* agglutinant, invitis exemplaribus vetustis.

Ver. 859. Res est criseos difficillimæ, de lectionum in hoc versu constituendarum ratione fidenter pronunciare. Viam, per quam lenissime decurrunt omnia, cum editorum numero nobis etiam inivisse placuit, coram lectoribus exhibitam. Hæ sunt autem scripturæ varietates. *Molli:* omnes libri, *Mollia.*—*putri cava:* Π. *putricana;* Vind. V. ed. Σ. Ω. *putricava;* sed an ferri possit nomen hoc modo compositum, necne, dubitanter affirmaverim; et suspicor, secundam syllabam tum brevem futuram esse, ut in *multicavus;* ideoque stationem suam in versu non facile defensuram.—*raro:* P. *rara;* cujus dispositio, licet aliquantulo coactior sit atque horridior receptâ, non multum displicet:

Mollia, lenta, fragosa, putri cava corpore, *rara.*

Re diu solideque mecum pensitatâ, vulgatis equidem omnino acquiescendum putem: sed aliorum etiam libera sit sententia. Certe sic voces singulæ cohærent optime, atque invicem respondent. Nomina *lentus* et *mollis* passim promiscue, ut minime discrepantia, usurpari pro *flexilis*, i. e. curvari facilis, nec tamen frangi; id in plano est, neque exemplis se declarari postulat. De τ8 *cava* insuper cum *raro* convenientiâ nulla lis movebitur: at *fragosa* pro *fragilia* bene stare, probabile facit, quamvis alibi vox non compareat, verbum *fragescere* apud Nonium, ii. 329, pro *frangi* bis Accio adhibitum, et eâdem vi *fragiscere* Pacuvianum: ne dicam *fragosam orationem* Fabii, orat. instt. ix. 4. nihil aliud significare, quam *fractam* orationem, interruptam, subsultantem. Tales sunt etiam *fragosi versus* apud Diomedem grammaticum, lib. iii. p. 449. sed res ipsa longioris disquisitionis non videtur indigere. Verum adsit tamen, coronidis cujusdam loco, Virgilius, Æn. vii. 567.

——— medioque *fragosus*
Dat sonitum saxis, et torto vertice, torrens:

i. e. "torrens, cujus undæ saxis et verti-"cibus, inde exortis, interciduntur ac "rumpuntur." Ea est constructio verborum.

Denique, ita singillatim exponendæ sunt Lucretiani versûs partes, et accipiendæ: "Quæ *lenta* sunt, ob *mollitiem* vi impres-"sæ cedunt, et subire mutationes possunt: "quæ *fragosa* sunt, et fragilia, *putrescen-*"*do* ex vi adhibitâ, vel processu temporis, "corrumpuntur: quæ *cava* sunt, com-"primi possunt et pertundi, ob raritatem. "Jam vero impenetrabilia sint necesse "est, incorrupta, et immutabilia etiam,

Sed magis ipsa manu ducunt, et credere cogunt,
Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet, vivos exsistere vermeis
Stercore de tetro, putorem quom sibi nacta est,
Intempestivis ex imbribus humida, tellus.
Præterea, cunctas itidem res vortere sese:
Vortunt se fluviei in frundeis, et pabula læta
In pecudes; vortunt pecudes in corpora nostra
Naturam; et nostro de corpore sæpe ferarum

" rerum primordia: his ergo qualitatibus " non obnoxia reperiuntur."

Ver. 860. *a* abest M. Et *nihilum* in ver. 863. exhibent Vind. V. ed. Q.

Ver. 864. *quomque:* Δ. O. *cuncta;* male, ob *omnia* in versu statim veniente.

Ver. 865. *insensilibus.* Arnobius, lib. vi. p. 201. " Quæ *insensilia* fuerunt " paullo ante, facit ut sint viva, et spiri- " tali agitatione moveantur?"

Ver. 866. *refutant:* Vind. V. ed. Q. Π. Σ. Ω. *reputant;* O. Δ. *repugnant.*

Ibid. *neque id manifesta refutant.* " Sic " solebat interdum suas sententias suaque " decreta confirmare Epicurus, ea quæ " non facile sensu probari possent: *ταυτα* " *ȣ μαχεται τοις φαινομενοις·* et, *ȣδεν των* " *φαινομενων τȣτοις αντιμαρτυρει.*"

Lambinus.

Ver. 869. *dico:* P. *duco;* sed omnino male.

Ver. 870. Hic locus in oculis erat Arnobio, ad lib. ii. p. 46. quod neque Lambino est inobservatum: " Cur malorum " tanta experiatur examina? Utrumne " illum *tellus,* uliginis alicujus conversa " *putore,* tanquam *vermes,* animaverit?" Qui, ad lib. vii. p. 224. *το stercore tetro* Lucretianum exprimit, nullo modo contra libros demutandus: " Et quid hoc ab " illo differt, cum et ipsa, si nondum, " futura sint *stercora,* et, exigui tempo- " ris contractâ interjectione, *putescant?*" Nonnulli volunt, *putrescant;* sine caussâ.

Ver. 871. *putrorem* exhibent B. L. cujus rei fides alios sit penes: reliqui omnes habent *putorem;* vide ver. 928. ut editio princeps Arnobii.

Ver. 872. *Intempestivis:* i. e. in primario sensu, præter suam tempestatem cadentibus, ideoque pro tempore *magnis;* unde generaliter, *copiosis, abundantibus:* vide dicta ad v. 984.

Ibid. *ex imbribus humida.* Par regimen Virgilio placuit, in ecl. x. 20.

Uvidus hibernâ venit *de glande* Menalcas.

Ver. 873. In argumento poëta pergit, ut ostendat pluribus, sensilia ex insensilibus creari posse. Sed auctoris sensui enarrando supersedendum esse existimo, quoties in aperto conspiciatur, et vel perfunctorie legentibus deprehendi possit. Cæterum, super hoc versu caussa videtur ambigendi de fide eorum, qui codd. Vindobonensium et Leidensium varietates retulere: nam P. V. ed. Δ. Π. Σ. pro *itidem,* legunt *in idem,* quod sonat *ad idem,* vel ad eundem morem: et hoc fortassis a Lucretio est; sed, ut se res habet, aliquid novare periculosum putem.

Ver. 874. *in frundeis:* ut scilicet *teneras frondes,* quibus pecudes vescuntur, pro *pabulo* generaliter adhibeantur: ad quam normam, brevitati studentes, poëtæ sæpissime solent loqui. Huic interpretationi noster consentit supra, ad ver. 596.

Unde etiam fluidas *frundeis,* et *pabula* læta,
Montivago generi possit præbere ferarum.

Sic de *floribus* Columella, x. 101.

Augescunt vires, et corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vortit, et hinc sensus animantum procreat omneis:
Non aliâ longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, et in igneis omnia vorsat.
  Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali sint ordine quæque locata,
Et conmixta quibus dent motus, adcipiantque?
  Tum porro, quid id est, animum quod percutit ipsum,

Tum, quæ pallet humi, quæ *frondes* purpurat auro,
Ponatur *viola*.

Hoc saltem melius, quam contra codices editorum turbam sequi, scribentium:

Vertunt se fluvii, *frundes*, et pabula læta,
In pecudes.

Dixi autem, contra codices, quamvis ita imprimatur in exemplari ad Vindob. exacto, et O. habeat "*et* frondes;" nam hic liber recentior, quam cui per se fides habenda sit, et de priore suspecta est collatoris diligentia. Vulgatis equidem præposuerim, quæ dederim nuper ex ingenio, in Silv. Crit. iv. p. 89. ad quam se lector meus, si velit, et tanti sit, recipiat.

Ver. 876. *nostro de corpore sæpe ferarum Augescunt vires.* De hac re noster conferendus est, ad iii. 835. 893. 901. v. 989.

Ver. 877. *et corpora:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *in corpore;* prisca Pii exemplaria, *et corpore.*

Ver. 879. *Vortit et:* V. ed. Δ. *Verticet;* per usitatissimam facillimamque literarum *t* et *c* commutationem.—*hinc:* Π. *hic:* atque, in præcedente versu, Δ. legit *corpore:* et Π. in ver. 880. *lingua,* pro *ligna;* ut etiam *linguis*, ver. 896.

Ver. 881. *in:* deest V. ed. L. M. Π. Σ.—*vorsat:* Π. *visat.*

Ibid. *Explicat:* scilicet Natura. Lucanus, vii. 201. loco gemello, et elegante:

Dissimilem certe cunctis, quo *explicat*, egit
Thessalicum *Natura diem.*

Neque aliter Valerius Flaccus, viii. 247.

Sed neque se pingues tum candida *flamma* per auras
Explicuit—.

Hinc autem loci depravati in Valerio Maximo probabilis exoritur emendatio, ii. 4. 5.—"contractis levibus, et, quæ fors "obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu "*flammam evolvit:*" i. e. explicuit, *αναπτυξειν, εξελιξει.* Codices præbent, *emovit* et *evomuit*. Certam esse hanc divinationem meam arbitror.

Ver. 885. *id est:* Π. *idem;* atque in ver. 886. præbet etiam *exponere.*

Cæterum, vix digne dici potest, in quantum editores aberraverint in hujusce loci sensu declarando: quorum tamen enarrationes piget recensere. Exposuisse veram sufficiat. "Aliud argumentum, quo "sententia nostra confirmatur, animus "uniuscujusque præbet. Undenam ille "et afficitur, et movetur, et ad varios "sensus promendos cogitur? Huic quæs"tioni responsum dare nunquam valebis, "nisi confiteri velis, sensus rebus sensu "carentibus excitari solere, et procreari: "nam hæ res animum impellunt; et mo"tus ejus atque cogitationes inde enas"cuntur." Hæc est argumenti vis colorque; et simplicis, et perspicacis, et arguti. Jam, si velis errores priorum cognoscere, per me cognoscas licet: invenies autem eorum rationibus nihil magis coactum fingi posse, aut orationi Lucretianæ alienius. Sed rei manifestissimæ pudet immorari.

Quod movet, et varios sensus expromere cogit;
Ex insensilibus ni credas sensile gigni?
Nimirum, lapides, et ligna, et terra, quod unâ
Mixta tamen nequeunt vitalem reddere sensum;
Illud in hiis igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omnino, quæquomque creant res,
Sensile, et ex templo me gigni dicere sensus:
Sed magni referre, ea primum quantula constent,
Sensile quæ faciunt, et quâ sint prædita formâ;
Motibus, ordinibus, posituris denique, quæ sint;
Quarum nihil rerum in lignis, glebisque, videmus:

. Ibid. *animum percutit.* Maro, geo. iv. 357.

Huic, *percussa* novâ *mentem* formidine, mater.

Faber opportune Terentium admovit, And. i. 1. 98. ubi plura contulit Westerhovius:

Percussit illico *animum*—.

Ver. 886. *sensus expromere:* ut *voces expromere*, Virgilius, Æn. ii. 280. et *nomina expromere*, Arnobius, lib. ii. p. 61.

Ver. 887. *insensilibus:* Priscianus, lib. iv. p. 632. *insensibili;* quod, jucundæ varietatis gratiâ, admittendum duxissem, si vel unus codex conspirasset.—*ni:* ita superscribitur in M. cui par *nisi* in Paræi editione, Aldinâ posteriore, et Juntinâ, legitur: et est procul dubio genuina lectio, sine quâ scriptoris argumentum neutiquam processerit. Reliqua exemplaria uno consensu dant *ne*, si excipias Π. qui *nec.*—*gigni:* P. Σ. Priscianus, l. c. *nasci.*

Ver. 888. Occurrit objectioni; et hæc est sententia verborum: "De hoc autem, "nimirum quod lapides, et similia, ut-"cunque commixta, sensile corpus ne-"queant constituere, dum membrorum "humanorum congeries sensum vitalem "exhibet; illud *deinde* fœdus naturæ de-"cebit meminisse, quod in superioribus "animadverti: nempe, magni referre, "quales sint invicem rerum magnitudines, "formæ, motus, ordines mutui, ac posi-"turæ."—Illa scilicet dictionis *igitur* peculiaris vis editores latuit, et a scopo loci dignoscendo, satis eminente, penitus eorum oculos averterat: redeas ad ver. 677. superius.

Ver. 889. *vitalem sensum.* Arnobius, lib. i. p. 18.—"saxa, *sensu* animata *vi-*"*tali*—." Cæterum, pro *Mixta*, in Ω. comparet *Muta.*

Ver. 890. *fœdus:* M. Ω. *sedus;* P. *rebus;* quod miror Bentleio placuisse.—*decebit:* Ω. *decebat.*

Ver. 892. Magna est huic versui varietas lectionum in membranis, et impressis vetustioribus. Exstat sic integer, uti nos edidimus, in L. M. Σ. et Aldinâ priore. Reliquorum diversitates sic se habent; quarum utique recensendarum tædium nobis, invitissimis licet, ut susceptum munus expleatur, necessario devorandum est. *Sensile:* V. ed. *Sensibile;* P. O. Q. Ω. *Sensilia; et omisso.*—*extemplo:* Vind. Δ. Π. *templo.* Ω. *etemplo.*—*me gigni:* Δ. *progigni;* Π. *me gini.*—*sensus:* Ω. *sensu.*

Ver. 894. *Sensile:* V. ed. *Sensibile;* unde liquido patet, pro nihilo habendam esse hanc hujusce libri variationem in ver. 892. Porro, Π. *constet*, in versu statim præeunte.

Ver. 895. Arrisit Bentleio Fabri tentamen *queis sint*, vice *quæ sint:* i. e. crassa

Et tamen hæc, quom sunt quasi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt; quia corpora materiaï,
Antiquis ex ordinibus permota novâ re,
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde, ex sensilibus quom sensile posse creari
Constituunt, porro, ex aliis sentire suëti,
Mollia confaciunt: nam sensus jungitur omnis
Visceribus, nervis, venis, quæquomque videmus
Mollia mortali consistere corpore creta.
Sed tamen esto jam, posse hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut sensum partis habere,

ac vulgaria, præ doctis et elegantibus; futiles et vanæ emendatorum cogitationes præ membranarum fidelium sinceritate.

Ver. 897. *sunt:* P. V. ed. O. *sint.*

Ver. 899. *novâ re:* P. V. ed. Π. *novare;* neque ausim quidem temere rejicere; ut constructio sit: "Conciliantur "ita novare, ut animalia debent gigni." Sed vulgatorum tamen, me saltem judice, ratio simplicior est, et apertior: illis igitur standum puto.

Ver. 901. *Deinde:* O. *Denique.*—*quom:* P. V. ed. Ω. *qui;* non male: Π. Σ. *quod;* etiam non male.—*sensile:* V. ed. *sensibile,* ut bis supra.

Ver. 902. *ex aliis sentire suëti.* Hanc sententiam poëta noster dilatavit, ad v. 1133.

Quandoquidem sapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis.

Quales Horatius damnat, ut

——— addictos jurare in verba magistri.

Havercampus etiam loci mentem perspexit. Cæteri secuti sunt Lambinum, scripturam codicum verissimam ejicientes, et contextum suo *suëtis* fedissime deturpantes. V. ed. *sueci;* pro solitâ nimirum aberratione in elementis *t* et *c.*

Ver. 903. *confaciunt:* omnes libri, *quum,* vel *cum, faciunt;* unde editores non male, *tum faciunt:* sed, ob frequentissimam confusionem *con* et *cum,* mihi veri videtur similior Vossii conjectura, quam exhibendam duxerim: vide me ad ver. 679. et i. 818. ut verbum *confacio* in sensu suo primario accipiatur, pro "uno et eodem tempore faciunt," vel "unâ operâ faciunt." His consentit Festus: "*Confecerunt,* unâ fecerunt." Codicum errores pro suâ parte adjuvit etiam vetustior orthographia, *confaciunt,* loco recentioris *conficiunt,* nisi multum fallor.

Ibid. *Mollia:* at *solidissima* esse jam ostendit, nec vi frangenda, nec tempore dissolvenda, hæc primordia, i. 529—578.

Ver. 904. *Visceribus:* parte scilicet sensili maxime, ac vitali. Hinc Avienus, in Arat. 226. de Hippolyto resuscitato:

——— animæ rursum tepefacta calore,
Viscera mundanas revocat medicator in oras.

Sic etiam Virgilius, Æn. vi. 834.

Neu patriæ validas in *viscera* vertite vires.

Hinc pendent ea, quæ nuper eventilavimus ad Silv. Crit. iv. p. 213.

Ver. 905. *corpore:* Δ. *corpora.*—*creta:* Π. *certa.*

Ver. 908. Editores scribunt *similia;* et ferri poterat: sic enim alibi Lucretius: sed libri vetusti consentiunt omnes in *similis,* vel *similes;* quæ sincerissima est lectio. Nempe, quoties nomina diversi

Aut simileis totis animalibus esse putari.
At, nequeant per se partes sentire, necesse est;
Namque alios sensus membrorum respuit omnis:
Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla
Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Linquitur, ut totis animalibus adsimilentur;
Vitali ut possint consentire undique sensu.

generis præcesserint, ad libitum poëta noster genus adjectivi sui variare solet: quare igitur haud posuerit *simileis*, ut *venas* et *nervos* dictio respiceret, æque bene ac *similia*, quod ad *viscera* referendum foret? Vide nonnulla de hoc genere ad i. 867. 889. In his autem mutationibus pro arbitrio factis editores hercule sibi nimium nimium indulsere.—*putari:* P. *putarim.*

Ver. 909. *At:* P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. *Aut.* Et omnes haud dubie *necesse est;* quo nihil elegantius: nam ex silentio Havercampi de codice L. nihil objiciendum est, quum idem de V. ed. etiam sileat. Audacissimi tamen editores de suo nobis propinavere *nec esse;* securi interea de sermonis grammaticâ proprietate, quam tempus verbi *nequeant* aperte violat. Sic autem temere et nefarie passim actum est cum Lucretio!

Ver. 910. *alios:* Q. M. *alius.*—*omnis:* P. *omneis.* Ecce! iterum nova facinora, atque ea flagitiosissima quidem, criticorum, sermonis Lucretiani colorem nullis oculis adspicientium; qui ex officinâ propriâ sic tandem recoctum nobis versum retulerunt:

Namque *aliûm* sensus membrorum *res petit* omnis.

Ες κορακας cum bellis suis verborum ad gustus proprios conditionibus malefida gens! Versûs, prout nos ad membranarum atque omnium veterum exemplarium fidem exhibuimus, perspicua est constructio; et oratio, si qua alias, ut ita dicam, Lucretianissimum leporem sapit. " Namque omnis *pars* respuit alios sen" sus membrorum:" quod est ipsissimum Cari specimen, pro *aliorum membrorum sensus:* vide nos ad i. 120. et alibi sæpius. —Pro *manus*, in versu sequente, Δ. exhibet *magnus.*

Ver. 912. *Corporis:* V. ed. Π. *Corporum.*—*omnino:* Π. *neque omnis.*—*sensum:* Π. *sensus;* Ω. *sensu.*

Ver. 913. *animalibus:* in Vind. Σ. Ω. scribitur *animantibus.*

Ver. 914. *consentire:* i. e. unâ parte vitali cæteris respondente, ac congruente; ut hinc animal unum et simplex constituatur, omnibus membris suis absolutum.

Ver. 915. *rerum primordia:* quæ necesse est utique *æterna* sint, et leti plagæ non obnoxia: adeas i. 237—250.

Ver. 916. *leti vias.* Horatius, od. i. 28. 15.

——— omnes una manet nox,
Et calcanda semel *via leti.*

Ver. 917. *animalibus:* Ω. *animabus.* —*in:* sic L. Ω. *sint*, P. *id*, O. Δ. sed abest omnino Vind. V. ed. Q. Π. Σ. Sententia hæc est loci: " Atque, dum " animalibus ipsis, eorum congerie for" matis, insunt, ab animalibus integris " nihil discrepant." Quæ plana sunt. *Una* autem in numero multitudinis, ut supra, ver. 667. iii. 617. v. 895. Vide Jaegerum, ad Mamert. gratt. act. Juliano, 9. 4.

Ver. 918. *Quod:* V. ed. *Quid.*—*ab cœtu:* hoc editores ex variis lectionibus extuderunt; et nihil ipse video probabilius. P. *ab coitu;* quod idem est: Δ. *ab eo ortu;* O. Π. *ortu;* V. ed. B. L. M. Σ. *ab eo*

Quî poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias, animalia quom sint,
Atque, animalibus in mortalibus, una eademque?
Quod tamen ut possint, ab cœtu concilioque
Nihil facient præter volgum turbamque animantum;
Scilicet, ut nequeant homines, armenta, feræque,
Inter sese ullam rem gignere conveniundo.

ratu; Ω. *ab cortu;* atque V. ed. apponit etiam, *coitu.*

Cæterum, hoc dicit poëta: "Si primordia "rerum animalia sunt, nihil præter ani- "malia conveniendo procreare poterunt: "undenam igitur inanimatæ res?"

Ibid. *cœtu concilioque.* Ita Cicero, de senect. 23.—"cum ad illud divinum ani- "morum *concilium cœtumque* proficis- "car."

Ver. 919. *animantum:* V. ed. habet *animatum;* facili errore.

Ibid. *volgum,* de *feris* etiam; ut Virgilius, geo. iii. 469. "*incautum vulgus,*" de *ovibus;* et de *cervis,* Æn. i. 190. Sic Ennius, *avium vulgus,* et *hastarum;* ibidem observante Servio: ut priores de rebus vitâ carentibus Græci. Aristophanes, Lysist. 200. *κεραμεων οχλος:* Athenagoras, sub initio Legationis, pervenuste: *κατασκιδαζοντες* ΟΧΛΟΝ *εγκληματων.* Senecam dabo, sicut legendum putem, Hippol. 958.

——— *vulgus* æquoreum cie,
Fluctusque ab *imo* tumidus oceano voca.

Libri habent, *ipso;* quod tamen ferri potest, quamvis tentamen nostrum vero similius videatur.

Ver. 920. *homines, armenta, feræque.* Uberior est Virgilius, geo. iv. 223.

—pecudes, *armenta, viros,* genus omne *ferarum*—.

Ver. 921. *sese:* Δ. *se;* vide ad v. 186.

Ibid. *ullam:* nempe præter sui similem; qui sensus facile suppletur. Nec tamen, ut verum fatear, non malim, et, si favissent codices, statim recepissem:

Inter sese *aliam* rem gignere conveniundo.

De his vocabulis confusis, vide Drakenborchium ad Liv. vii. 33. 17. ix. 29. 2. Vel etiam, quum dictionum duarum similium concurrentium altera sæpissime omittatur, (vide ad verr. 19. 683.) et huic faveat conjecturæ codex Δ.

Inter *se* ullam *aliam* rem gignere conveniundo:

quæ lectoribus judicanda permittimus.

Ver. 922. *Sic itidem quâ:* B. L. M. *Sicuti denique;* quæ lectio non nisi ductu calami simplice distat illi, quam omnes alii libri exhibent, et quam nosmetipsi imprimendam curavimus, mutatâ tantummodo voculâ *que,* vel *quæ,* in *quâ:* ipsâ re non aliud sinente. In Pii codicibus antiquis, pro *sentimus,* comparet *sunt minimis.* Quod fortassis hanc interpretationem haud incommode admittat: "Hac "igitur lege hæ minimorum partes, vel "ex primordiis constitutæ, sentire conce- "di possint; ut pereant utique, et nihil "extra se valeant gignere." Sed vulgatis, et meliorum auctoritate codd. suffultis, acquiescendum puto. Interea sibi habeant versum, ex cerebellis propriis depromptum, critici lepidissimi:

Per Veneris res, extra homines, armenta, ferasque:

qui nuperas omnes editiones occupavit. Hoc autem non est Lucretium edere, sed somnia venditare; nec Jovis somnia, ut Homerus, Longino teste, sed vanissimorum homunculorum.

Ibid. Hic autem est loci sensus: "Sic "igitur, sive hæc primordia fingantur "esse partes animalium, seu per se inte-

Sic itidem, quâ sentimus, sentire necesse est.
Quod, si forte suum dimittunt corpore sensum,
Atque alium capiunt; quid opus fuit adtribui id, quod
Detrahitur? Tum præterea, quo fugimus ante,
Quâ tenus in pullos animaleis vortier ova

" gra animalia, necesse est ea pariter eos- " dem sensus habere, qui nobis contige- " runt: sed, si sensum habeant, eadem " mortalibus patientur, et afficientur eo- " dem modo; nec æterna manere pote- " runt, nec res inanimatas gignere. Ergo " falsa est hæc ratio de naturis primordio- " rum." Et versus integer nihil est aliud, quam generalis conclusio, super duabus objectionibus facta, quæ præiverint.

Ver. 923. *dimittunt:* P. V. ed. Π. Σ. *demittunt;* mendosissime, sed per usitatam admodum commutationem: vide Drakenborchium, ad Liv. vii. 23. 6. de hac re.

Ver. 924. *capiunt:* Π. *rapiunt*, uti passim librarii aberrant.—*id* in solis L. M. comparet; sed, quum facile elabi posset ob præcedentem *i* finalem, ex optimorum exemplarium fide fugitivam voculam in statione suâ reponendam esse duximus: nam Lucretium nihil magis commendat, aut specialius χαρακτηριζει, quam sermonis luculentissima simplicitas.

Ver. 925. *tum:* P. V. ed. *dum.*—*præterea:* P. *præterea est.* Et, quum magis in nullis vocabulis, quam in illis, quæ solent exarari compendiario, scripturæ vitiosæ inveniantur, haud expalluimus in desperatâ re potestatem criticam pudenter exercere, rescribendo *quo*, vice *quod*, omnium librorum lectionis. *Quo fugimus* utique; " ad cujusmodi argumentum, ab " experientiâ petitum illud, supra ad ver. " 870. ut certissimam rationum nostra- " rum propugnationem, nos in effugium " recepimus." Editores ex phrasi *quod fugimus* nihil elicere quivere. Creechius, non sagacissimus vivorum omnium in conjecturis, proposuit *figimus;* quæ dictio, sicut recte Havercampus monuit, Lucretium parum sapit.

Ver. 927. *ecfervere:* L. M. Σ. *offervere:* sed, quo minus optimis exemplaribus obtemperem, reliquis non addicentibus, Virgilii locus, statim proferendus, facit.

Ibid. *ecfervere:* ζειν· Græci: conferas supra dicta, ad ver. 415. et iii. 719. Hinc Virgilius, geo. iv. 556. loco sic accuratius distinguendo; ad normam locorum quorundam sub ver. 799. collatorum:

Heic vero, subitum ac dictu mirabile monstrum!
Adspiciunt liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis *effervere* costis.

Ovidius etiam, fast. i. 379.

——————*fervent* examina *putri*
De bove.

Pausaniam, fede depravatum, emaculabimus: ix. 7.—ȣ μην ȣδε αυτος χαιρων τον βιον κατεστρεψεν· ΕΠΛΗΘΥΤΕ (vel επλησθη) γαρ ὑδρῳ, και απ' αυτȣ ΖΕΟΝΤΟΣ εγενοντο ευλαι: ut Lucianus, Alex. 59. απεθανεν—σκωληκων ΖΕΣΑΣ: et 2 Macc. ix. 9. ὡστε και εκ τȣ σωματος τȣ δυσσεβȣς σκωληκας αναζειν: quæ loca lucem offundunt Lucæ, ad actt. apost. xii. 23. Pulchre, ut semper, Apuleius hanc quoque notionem signatis verbis exornavit, met. viii. p. 566. " Cujus " in ipso carioso stipite inhabitantium for- " micarum nidificia *bulliebant*, et ultro " citroque commeabant multijugâ scatu- " rigine:"—hæc enim est genuina loci istius lectio. Diogenes Laërtius, iv. 4. Πλȣταρχος δε φησιν,—φθειρσιν ΕΚΖΕΣΑΙ αυτον· " pediculis utique *effervescentibus*," ut bene Ambrosius: vide sis etiam ibidem Menagium. Sic alii. Arnobius, lib. i. p. 10. " Si in Asiâ, Syriâ, idcirco *mures* et " *locustæ effervescere* prodigialiter volue- " runt—." Sulpicius Severus, sac. hist

Cernimus alituum, vermeisque ecfervere, terram
Intempestivos quom putor cepit ob imbreis;
Scire licet gigni posse ex non sensibus sensus.
Quod, si forte aliquis dicet, dum taxat oriri
Posse a non sensu sensus, mutabilitate,

i. 27. de mannâ Israëliticâ in deserto loquens: "Sed reposita fœtore diro in *vermes* "*effervescebant.*" Eleganter Marius Victor, in gen. i. 121.

Hinc volucres quoque, molle genus, traxere vigorem;
Nam, liquidas dum format aquas, immissaque pontum
Vita subit, *fervent* multo tumida æquora partu.

Forte, "*muto* partu:" i. e. piscibus: vide ver. 342. hujusce libri. Hæc autem vocabula passim confundi librariis, cum insigni sæpe elegantiæ detrimento, Burmannus docuit, ad Anthol. Lat. vi. p. 651. Exodus, xvi. 20. de *mannâ:*—*και* ΕΞΕΖΕΣΕ ΣΚΩΛΗΚΑΣ, *και επωζεσι.*

Ver. 928. *Intempestivos:* P. Vind. V. ed. L. M. Q. *Intempestivus;* sed obstat res ipsa, et ver. 872.—*quom:* Vind. V. ed. L. M. Π. Σ. *quem;* Ω. *qua;* Q. *quam:* et in hanc emendationem me lectionum varietas manu duxit; nam multum venustatis ex aliâ interpunctione, et usu verbi *effervere* transitivo, quali gaudet Lucretius, versibus accresceret, hoc modo constitutis:

——— vermeisque ecfervere terram,
Intempestivos *quam* putor cepit ob imbreis.

Quæ ratio dudum et Lambino placuit.—*putor:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *putror;* sed omnino mendose, propter verr. 871. 897. nec absurde tamen, si rei ipsius veritatem spectes; quum *putris* terra in vermiculos quasi *resolvi* videatur. Receptæ lectionis tamen notioni locus quidam Virgilii aliquantulum suffragatur, geo. iv. 49.

Aut ubi *odor cœni gravis*—.

Nihil igitur de hac scripturâ pœnitendum puto.—Denique, vice *ob*, Π. *ab.*

Ver. 929. *ex:* Δ. *et.*—*sensibus:* V. ed. *sensibilibus;* Σ. *sensilibus;* P. Δ. Ω. *sensile;* O. *sensibile.*

Ibid. *non sensibus:* ὑφ' ἐν, ut Faber monuit. Hinc capias Arnobium, lib. i. p. 16. ita castigandum tamen:—"cujus volun-"tate et arbitrio, *ut* interire et solvi, *nec*-"*solvi* possunt, nec-interire." Nempe, *ita*, vel *οὕτως*, respondens τῷ *ut*, omittitur in *ἀποδόσει*· quod est constructionis minime infrequentis. Ad hoc saxum critici offenderunt, qui Euripidem tractavere, in Iph. Taur. 15. sic punctis ordinandum:

Δεινης τ' απλοιας, πνευματων τ' ε, τυγχανων:

i. e. *ε πνευματων: nullorum ventorum*, cursui suo ad Trojam idoneorum. Sic alii sæpissime: vide Casaubonum ad D. Hal. antt. Rom. x. 43. fin.

Ver. 930. *dum taxat.* Verbum *taxo* vetustis valebat *finio*, vel *tango:* vide de illo Festum, et Priscianum, lib. xv. p. 1015. im. Glossator antiquus: "*Taxa*-"*mus, ὁριζομεν:*" et, "*Taxo, καθαπτομαι.*" Eodem facit Macrobius, Sat. vi. 7.—"si-"cuti *taxare* pressius crebriusque est quam "tangere." Igitur formula *dum taxat*, vel *duntaxat*, idem est, ac si diceres: *Hoc tantum definito*, posito, adhibito, vel concesso.

Ver. 931. *a:* Π. Σ. *ex;* omnes reliqui, *ea*, sed in M. corrigitur in *a*. Adhæsit utique litera *e* vocabuli præcedentis.—*sensus mutabilitate:* proba Pii exemplaria, *sed sensus mobilitate.*

Ver. 932. *Ante:* sic P. in notis, Δ. Π. neque aliter sinet planissima loci planissimi mens.—*aliquo:* P. *aliqua.*—*tamquam:* Pii codices, *tangi.*—*partu:* P. Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. *partum.* —*quam:* sic L. M. sed reliqui, *quod.*—

Ante, aliquo tamquam partu, quam proditur extra;
Huic satis illud erit, planum facere, atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio ante coacto;
Nec quidquam conmutari sine conciliatu
Principiôm; nequeunt ullius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam animantis:
Nimirum, quia materies disjecta tenetur
Aëre, fluminibus, terris, terrâque creatis;
Nec, congressa modo, vitaleis convenienteis

proditur: sic P. O. Δ. Ω. alii omnes, *proditum.*

Ibid. *aliquo tamquam partu:* i. e. ut tum demum vivere et sentire incipiat, in ipso partûs articulo et puerperio quasi suo; quamvis antea fuerit mera brutæ telluris portio.

Ibid. *proditur:* i. e. *porro datur*, vel progreditur; in primario, et maxime proprio, verbi significatu. Sic alibi noster: vide ad ver. 903.

Ver. 933. *planum facere atque probare.* Arnobius similiter locutus est, lib. ii. p. 83. "Potestis, interrogati, *planum facere*, "scientissimeque *monstrare*, quid nivem "in plumeas subaperiat crustulas?"—Cæterum, Ω. *Hinc*, pro *Huic*.

Ver. 934. *nisi:* Vind. V. ed. Π. Σ. *nec.*

Ver. 935. *quidquam conmutari:* voces transpositæ leguntur in Vind. Q. B. L. M. cujus rei fides penes collatores esto.—*conmutari:* Π. *conuitari.*

Ver. 936. *Principiôm.* Hoc germanæ vetustatis specimen haud dubie latet in omnium exemplarium, tam MSS. quam editorum antiquorum, lectione; nempe, *Principio.* Vel alias librariis in *m* finali familiarissima est aberratio, et in hoc loco formula rarior vecordibus homunculis insuper imposuit. Turpissimam generis hujusce maculam me ex Achilleïdos corpore sustulisse gaudebunt Papiniani manes. Ea profecto ver. 561. lib. i. dehonestat:

At, procul occultum falsi sub imagine sexûs,
Æaciden furto jam noverat una *latente*
Deïdamia virum.

Vulgo, *latentem;* virum nempe *occultum latentem.*

Bellissima certe, et Apollinari laureâ donanda!

Porro, editiones interponunt *ut* ante *nequeunt*, libris universis repugnantibus. Lucretius nimirum, quasi ex tripode, et professoriâ quadam gravitate, sententias singulas, sine copulis, et verborum ponderibus conglobatas, argumento imponens coronidem, rotundius profatur. Et nihil est, vel ad intellectum loci, vel ad orationis structuram, spectans, quod lectores lepidos et nasutos, sic saltem monitos, remorabitur.

Ver. 937. *Sensus:* V. ed. *Sensum;* L. M. *Sensu.*—*ipsam:* V. ed. L. M. *læsam;* Vind. Δ. Π. Σ. *lesam.* Aliquid latet, cui eruendo non sum; et ad sagaciores conjecturarum Lucretius meus provocat. Interea, vulgatis, quæ codices alii suppeditant, et fortassis ad primæ scripturæ sinceritatem, necessario acquiescendum. —*animantis:* P. V. ed. *animantum.*

Ver. 938. *materies disjecta:* Δ. *materia disjecte.*

Ver. 939. *terrâ:* P. *flammâ:* et sic editiones communes; sed, opinor, ne unius quidem codicis auctoritate nixæ: nec credi potest τὸ *flammâ* membranarum fidelium librarios ullos in *terrâ* mutaturos fuisse.—*creatis:* B. M. *creata.*

Ibid. *terrâ creatis:* nempe, lapidibus, arboribus, et mille aliis de gremio omni-

Contulit inter se motus, quibus omne tuentes
Adcensei sensus animantum quamque tuentur.
Præterea, quam vis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente adfligit, et omneis
Corporis atque animi pergit confundere sensus:
Dissoluuntur enim positurae principiorum,
Et penitus motus vitales inpediuntur;
Donec materies, omneis concussa per artus,
Vitaleis animæ nodos e corpore solvit,

parentis terræ procrescentibus. Lectio *flammâ* hec incommodo premitur, quod *ignis* in *aëre* etiam et *terrestribus*, (lignis puta, ver. 881. et silicibus) non minus quam in flammantibus cœli plagis contineatur: atque hinc etiam Lucretius in eorum partes transire videretur, qui res omnes quatuor elementis procreari voluere; ab ipso superius, in i. 716. et sequentibus, acerrime quidem ὑπαντιαζομένων, ac depugnatorum.

Ver. 940. *congressa modo:* i. e. "si mo-"do sit congressa;" si hoc etiam eveniat: nam voce *modo* hanc, aut geminissimam quandam potestatem, percipiendam melius, quam paribus verbis declarandam, obtineri, quis contra locos veterum, se passim ingerentes, audebit denegare? Et tamen critici tanto opere inconsultos egerunt, ut, invitis libris, *convenienti* rescriptum iverint. Sic autem noster adhibuit *mótus convenienteis*, ad i. 1029. ii. 711. v. 446. adeo ut temeritatis omnino inexcusabilis esse videatur, ex voluntate contextum Lucretii tam industrie violavisse.

Ver. 941. *omne tuentes.* Sic nostri ad unum: vulgo, *omnituentes:* parum refert; sed libri audiendi sunt. Fluctuant itidem libri ad Valerium Flaccum, v. 248. hoc nomen *Soli* tribuentem:

Hæc tibi, fatorum, genitor, tutela meorum,
Omne tuens.

Ver. 942. *animantum:* sic P. V. ed. et placet, varietatis inspergendæ gratiâ: reliqui, *animantem.*—*quam vis:* P. B. *quemvis:* hoc etiam non omnino male.

Ver. 945. *pergit confundere:* conferas i. 931.

Ibid. *confundere sensus:* "eis nempe "ita perturbate *commiscendis*, ut singula-"tim officio suo sincere fungi nequeant." Translatio fit a *liquorum* diversorum mixturâ derivata; ut in aperto est. De voce, sed explicate minus, Oudendorpius disputavit ad Sueton. i. 7. Magis equidem edentulus sum, quam velim; sed extra in hac saltem nuce nihil duri reperio.

Ver. 948. *concussa:* Π. *confusa;* vitiose.

Ver. 949. *nodos e:* M. Q. Ω. *nodos a;* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *nodoso.* Ex hoc autem Cari versu illa Virgiliana, Æn. iv. 695. 703. pulchre illustrabuntur:

Tum Juno omnipotens, longum miserata dolorem,
Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam *nexos*que *resolveret artus*——.
—————— Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero; teque isto *corpore solvo.*

Vides Maronem huc oculos intendisse: videbis etiam, Cerdam atque Heynium ad locum de sermonis rationibus non probe statuisse.

Ibid. *nodos e corpore.* Hinc Arnobius, lib. ii. p. 61.—"valeat manere quamvis "annis vivus innumeris, et nunquam *no-*"*dis corporeis* eximatur." Et p. 66. "Vos, cum primum *soluti membrorum* "abieritis *e nodis*, alas vobis affuturas

Disparsamque foras per caulas eïcit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere, ac dissolvere, quæque?
  Fit quoque, utei soleant, minus oblato acriter ictu,
Reliquiæ motûs vitalis vincere sæpe;
Vincere, et ingenteis plagæ sedare tumultus,
Inque suos quidquid rursus revocare meatus;
Et quasi jam leti dominantem in corpore motum

"putatis, quibus—ad sidera volare possi-"tis." Hos autem *nodos* poëta noster nuncupat *nexus*, ad iii. 218.

Ibid. *solvit.* Hinc Aurelius Victor pulchre, de vir. illust. iii. 3. hanc animæ respiciens et corporis disjunctionem: "Morbo *solutus*, in Janiculo (Numa) sepultus "est."

Ver. 950. *Disparsam:* ita Δ. vide ad i. 310. Ω. *Aspersam.—caulas:* V. ed. L. Π. *cavas;* Vind. Σ. Ω. *cavias;* Q. *quævias.* —Vulgo, *ejicit:* O. *deicit:* vide ad iv. 1040. Hæ autem varietates, *cavas* nempe, et *cavias*, i. e. *caveas*, ex glossemate forsitan; nam Festus dicit: "*Caulæ*, a *cavo* "dictæ." Ad Servii contra mentem, in Virg. Æn. ix. 60. "*caula* Græcum no-"men est, *c* detracto;" et Græcis αυλος est παν στενον: hæc autem notio cum *meatibus* et *foraminibus* membrorum tenuissimis, quæ vult Lucretius, quadrat commodissime. Ea Arnobius *tramites* nuncupavit, lib. i. p. 30. de Christi discipulis loquens, hydropicos medentibus:—"famuli ejus hoc modo statuerunt errantes "aquas, et a pernicie corporum suos labi "jussere per *tramites.*" Unde miror librarios Lucretio non in *calles* aberravisse. Committas nostrum, ad iii. 586. 587. Opportunus est insuper, ut qui maxime, Lucani locus, Phars. iii. 640. et interpretis officio in Lucretium feliciter defungi potest:

> *Discursus*que *animæ, diversa in membra meantis,*
> Interceptus aquis.

Ver. 952. *ac:* Ω. *et;* atque, in versu sequente, cum Vind. O. Q. Δ. Π. Σ. *oblata*, pro *oblato:* qui referendus error est, ut exputem, ad primam vocabuli venientis literam.

Ver. 954. *Reliquiæ:* O. *Reliquias;* V. ed. *Relique;* Vind. B. Q. L. *Reliqui:* et, opinor, vere; ut ita demum versus exaretur:

> *Reliqui* motus *vitales* vincere sæpe:

vide nos ad i. 561. de hac re dicentes.

Ibid. *vincere sæpe; Vincere.* Παλιλογια. Sic Tullius in Arato:

> Et matutinis Acredula *vocibus instat;*
> *Vocibus instat*, et adsiduas jacit ore querelas.

Et Virgilius, Æn. ix. 412.

> ———— et amicum *Cretea* Musis:
> *Cretea*, Musarum comitem.

Horatius, epod. xvi. 64.

> Ut inquinavit *ære* tempus aureum;
> *Ære*, dehinc ferro duravit secula:

ut ibid. xi. 2. 3. noster iterum, iii. 12. 13. v. 299. 300. Lambinus.

Ver. 955. *ingenteis tumultus.* Quemadmodum Maro, Æn. xi. 897.

> ——— juveni *ingentem* fert Acca *tumultum.*

Pro *ingenteis* autem, M. *ingenitos.*

Ver. 956. *quidquid:* P. V. ed. habent *quicquam.*

Ibid. *rursus revocare.* Has sermonis redundantias antiqui affectabant. Ita Virgilius, Æn. v. 166. exempli gratiâ:

> Quo diversus abis? *iterum*, Pete saxa, Menoete;
> Cum clamore Gyas *revocabat.*

Discutere, ac pene amissos adcendere sensus.
Nam, quâ re potius leti jam limine ab ipso
Ad vitam possint, conjectâ mente, revorti;
Quam, quo decursum prope jam siet, ire et abire?
  Præterea, quoniam dolor est, ubi materiaï
Corpora, vi quadam per viscera viva, per artus,
Solicitata, suis trepidant in sedibus intus;
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:

Non aliter iste locus concipiendus est. Vulgarem rationem nimis argutam dixerim. *Diversus* autem est, *te divertens*, ad mediæ vocis potestatem. Hinc omnino verissima est Heinsiana divinatio, Bentleii etiam judicio comprobata et acumine excogitata, ad Horatium, od. i. 34. 4.

——— nunc retrorsum
Velâ dare, atque *iterare* cursus
Cogor *relictos*.

Ubi tamen pro lectione suâ, gnaviter licet, neque optime illi viri præstantissimi propugnaverunt, et vicissim censurarum omnino falsi sunt atque ἀντιποιοῦνται, qui oppugnant, Klotzius ac Janus. Virgilii locus quidam is erit pulvis, quo tanti motus criticorum sedabuntur. Legitur autem in Æn. iii. 690.

Talia monstrabat, *relegens* errata *retrorsum*
Litora, Achæmenides, comes infelicis Ulissi.

Ibid. *meatus:* i. e. vias, tramites, *caulas;* uti nuper vidimus in ver. 950.

Ver. 957. *leti dominantem motum.* Similiter Paulus, ad Rom. vi. 9. locutus est: ΘΑΝΑΤΟΣ *αὐτοῦ οὐκ ἔτι* ΚΥΡΙΕΥΕΙ. Cæterum, locus hic Lucretii eximiâ sermonis proprietate, simplicitate, atque elegantiâ, mihi videtur elaboratus.

Ver. 959. *limine:* V. ed. Ω. *lumine:* et in his vocibus sæpissime scribæ turbant, ut optime norunt omnes.

Ver. 960. *conjectâ mente:* i. e. "*se* "*conjiciente* in locos maxime vitales:" et vox est eâ potestate, quæ trepidantis, et formidine turbati, actionem denotat. Virgilius, Æn. x. 657.

Huc *sese trepida* Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras.

Si sensus vitalis ictu possit *ejici*, ver. 950. quid impedit, quo minus idem dicatur se *conjicere?* Conferas iii. 941. et Hyginum, p. 455. im. ed. Staveren. Editores tamen de suo nobis obtrudunt communem locutionem *conlectâ;* quasi nefas sit Lucretio doctissimo, nisi cum plebeiis, subinde loqui. Π. *convectâ;* Q. *conecta*, quæ germanissima est sinceræ vetustatis orthographia: vide sis, quæ in transcursu diximus ad i. 752. Poteram sane Nonium Marcellum mihi in auxilium suscitasse, ad iv. 89. dicentem, "*Conjicere, colligere,* "*certare:*" sed in morbo cubat, et sanandus est hoc pacto: "Conjicere, *confligere, certare.*"

Ver. 961. *decursum:* V. ed. *discursum;* minus eleganter: Σ. *decursu.*—*siet:* V. ed. *si et;* O. Δ. *sinet;* Π. *sciret.*—Et de phrasi *ire et abire*, redeas ad dicta in 1. 681.

Ver. 963. *vi:* Ω. *in.*—*quadam per:* Π. *quædam ubi:* et, in versu sequente, *sensibus*, pro *sedibus.*

Ver. 964. *trepident intus.* Maro, Æn. ix. 538.

Turbati, *trepidare intus*—.

Ver. 965. *remigrant:* V. ed. *remigrat.*

Ver. 968. *ullis:* P. Π. *illis.* Hic autem locus prave enarratur in Havercampi interpretatione; neque ulli editores, sicut

Scire licet, nullo primordia posse dolore
Tentari; nullamque voluptatem capere ex se:
Quandoquidem non sunt ex illis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent,
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ:
Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.
  Denique, utei possunt sentire animalia quæque,
Principiis si jam est sensus tribuendus eorum;
Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est,
Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant,

arbitror, genuinam verborum constructionem perspectam habuerunt. Idem prorsus sunt, quod eos latuit, *primordia* et *principia*, uti centum locis evincitur. Hæc est igitur orationis series: "Quandoqui-" "dem, principiorum (corpora) non sunt" "ex ullis corporibus, quorum motus la-" "borent (i. e. soleant dolorem pati) aut" "capiant fructum dulcedinis (ex) novi-" "tate:" quâ scilicet in novam posituram migrant. Malim tamen, cum quibusdam libris, simpliciorem lectionem *illis*, pro *ullis*, quam intulit, opinor, falsum judicium de poëtæ sensu. Atque ita demum editum voluimus. Nomen substantivum repetere Lucretius pepercit: quo genere sermonis quid usitatius?

Ver. 969. *laborent:* i. e. tententur, violentius afficiantur. Virgilius, geo. iii. 193.

Sitque *laboranti* similis:

quæ ex Theocriti fonticulis diligentissimus vates hausit, idyll. i. 41.

—— ΚΑΜΝΟΝΤΙ το καρτερον ανδρι ΕΟΙΚΩΣ.

Ver. 971. *Haud:* V. ed. O. Π. *Aut:* et hic, *capient*, ver. 970. O. etiam *debet*.

Ver. 972. *possint:* P. V. ed. Σ. Ω. *possunt;* et verissime: aliter, non valet argumentum, quod statim enucleatum dabimus.

Ver. 973. *si jam.* Facessant perfricatæ frontis editores cum suo *si etiam*, contra libros: vide sis autem ver. 1018.

Ver. 974. *propritim:* Vind. Q. *propratim;* V. ed. Δ. Π. *proprium;* O. *propriam;* Σ. *propter res.*—*auctum:* Vind. *actum*, ut Nonius, xi. 18. in voce *propritim;* editores *aptum;* ausi scilicet, libris omnibus Religionem invocantibus contra profanos emendatores, dictionem, Lucretio lubentissime frequentatam, contextu emovere; et fetus proprios, per audaciam odiosissimam atque perditissimam, infercire:

'Ως αργαλεον πραγμ' εστιν, ω Ζευ, και θεοι!

Interea, vix ambigi queat, an Arnobius sit ad Lucretii sui regulam exigendus, lib. iii. p. 125. "Usque adeo res exigit *pro-*" "*pritim* deos scire—." Libri, *propriatim:* sed passim nostrum exprimit. Cæterum, interpres non probe et explicate declaravit poëtæ mentem ac tenorem argumenti, sic se habentes: "Denique, si sensus est ita" "principiis tribuendus, uti eo animalia" "potiuntur; quid dicendum erit de illis" "principiis, quibus homo constat? Nempe," "necesse est, ea omne faciant, quod ho-" "mines; ut cachinnent, fleant, et (quod" "longe festivissimum est) sic disputent, ut" "nos nunc jam, de variis rerum per ipsorum" "cœtum factis constitutionibus, et de pro-" "priâ etiam eorum naturâ. En! tibi pri-" "mordia Democritulos, Heraclitulos, et in" "gravissimis philosophorum facta! At" "qualem demum, boni! absurditatem!"

Ver. 975. *et:* Δ. *ut.* Jam legimus autem hæc supra, in i. 918.

Et lacrumis spargunt rorantibus ora, genasque;
Multaque de rerum mixturâ dicere callent,
Et, sibi proporro quæ sint primordia, quærunt:
Quandoquidem totis mortalibus adsimilata,
Ipsa quoque ex aliis debent constare elementis;
Inde alia ex aliis, nusquam consistere ut ausis.
Quippe sequar, quodquomque loqui ridereque dices,
Et sapere, ex aliis eadem hæc facientibus, ut sit.
Quod, si delira hæc furiosaque cernimus esse,
Et ridere potest non ex ridentibus auctus,

Ver. 976. *spargunt rorantibus.* Similiter Virgilius, Æn. viii. 645.

——— *sparsi rorabant* sanguine vepres.

Et est imago sane perquam speciosa; lacrymis instar *roris* destillantibus: aliter epitheton defrixisset. Naso, met. xiv. 708.

Interdum, madidas *lacrymarum rore*, coronas
Postibus intendit—.

Sabinus, epist. i. 73.

Vidi; nec lacrymas oculi tenuere *cadentes*.

Insulse. Recte dixeris, "lacrymas ex "oculis *cadere*:" oculos autem non *tenuisse lacrymas cadentes*, quis venustior tandem feret? Rescribe:

——— nec lacrymas oculi tenuere *calentes*:

i. e. copiosas, de novo semper decidentes. Scilicet Homerum exprimit, Il. Π. 3.

ΔΑΚΡΥΑ ΘΕΡΜΑ χέων.

Me videas ad Soph. Trachin. 847. Non inficior alibi in poëtis legi *lacrymæ cadentes*, sed loci esse diversarum rationum invenientur. Suavissime Propertius, iv. 7. 28.

Denique, quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis *lacrymis incaluisse* togam?

Ver. 977. *mixturâ:* Gassendus, *naturâ;* et idem, ut in proclivi stabat, mihi etiam in mentem inciderat: sed minime necessarium; vide ver. 989. nec facile indices, quibus modis vox obvia et notissima in rariorem sic abierit.

Ver. 978. *sibi:* Π. *si.*—*proporro:* V. ed. *propono.*—*sint:* M. Δ. *sunt.* In versu præcedente, Π. *calent.*

Ver. 981. *alia:* M. *ali;* O. Δ. Π. Σ. *alii;* sed nec video, quid hæc sibi velint, neque non integra ex omni parte vulgata nobis videntur.—*nusquam:* Π. *nunquam.*

Ver. 982. *sequar:* Δ. *siquaret.*—*dices:* P. *duces;* V. ed. *deces*, et, in margine, *disces.* In sequente versu, P. V. ed. *fit*, pro *sit.*

Ver. 984. *Quod si delira:* Δ. *Deteriora;* L. M. Π. Σ. *Quod si det ira;* V. ed. *Quod si dedita;* O. *Quod si debita.*

Ver. 985. *non ex:* ita P. V. ed. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. ut mox, in ver. 987. omnes; ast editores ordinem transponunt, quibus suffragantur Vind. L. Q. si sinceros egerint harum membranarum collatores. Nos certioribus inniti rationibus satius habuimus. Δ. *et*, pro *ex;* ut vicissim, in sequente. Porro, vulgares editi iterum *aptus*, loco *auctus;* librorum fide temeratâ criticis, ad suum ἐξέραμα teterrimum reversis.

Ver. 990. *cælesti semine oriundi.* Virgilius dignus est, qui committatur, ad Æn. vi. 730.

Igneus est ollis vigor, et *cælestis origo,*
Seminibus—.

Est ad numeros in pedibus *semine oriundi* quidam offenderunt: sed immerito, quum hoc sit Lucretiani moris, sicut nobis plus semel observare contigit. Hinc hi *stirpe*, pro *semine*, repositum volebant, contra

Et sapere, et doctis rationem reddere dictis,
Non ex seminibus sapientibus, atque disertis:
Quî minus esse queant ea, quæ sentire videmus,
Seminibus permixta carentibus undique sensu?
Denique, cœlesti sumus omnes semine oriundi;
Omnibus ille idem pater est; unde alma liquenteis
Humoris guttas mater quom Terra recepit,

libros et Lactantii exemplaria, vi. 10. Cæterum, ad hujusce loci sententiam illustrandam, quod sufficere videtur nobis, supra contulimus, ad i. 251.

Ver. 991. *ille pater—mater Terra.* Tertullianus, apolog. cap. x. "Quis enim "non *cælum* et *terram*, *matrem* ac *patrem*, "venerationis et honoris gratiâ appellet?" BENTLEIUS.

Et Boëtius, lib. iii. met. 6. huc respexit:

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu:
Unus enim rerum *pater* est.

Alma vero *terra* Lucretii vult adumbrare χθονα πουλυβοτειραν duumvirorum in poëtis Græcis antiquissimorum: vide nos ad i. 2. nolumus enim repetitionibus libri molem adaugere.

Ibid. *liquenteis guttas:* i. e. *puras* humoris *albi* (vide ad ver. 390.) guttas: nam, pro puritate suâ, humor facillimo lapsu guttatim cadit, vel liquitur: vide sis Servium ad Virg. Æn. i. 432. Et fuerit fortasse Virgilius hujusce loci memor, ibid. iii. 28.

——huic atro *liquuntur* sanguine *guttæ*.

Ver. 992. *Humoris:* ita Vind. L. M. O. Q. Δ. Σ. Ω. et placet præ vulgato, *Humorum:* malim etiam *liquentis* equidem, in casu secundo numeri unitatis. Mantuanus huc facit, geo. i. 43.

Vere novo, gelidus canis quum montibus *humor*
Liquitur—.

Ibid. *mater Terra.* Arnobius, lib. ii. p. 79.—"videmus alios ex sapientibus di- "cere, *Tellurem* esse *hominum matrem*."

Ver. 994. Ante *parit*, Vind. Q. male ponunt *et*, nervos atque stabilitatem versûs imminuentes.

Ibid. *ferarum.* Usu rariori, sed ex poëticâ brevitate, continet in se hoc vocabulum animalia etiam omnia mansueta, *pecudes* et *armenta:* neque aliter Virgilius, geo. iii. 242. sicut nos istos versus rectissime concinnavimus:

Omne adeo genus in terris hominumque, *ferarumque*,
Et, genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres—.

Neque aliter mox, ver. 1075. noster iterum. Hoc nisi liquidissime constaret, et locus ita dispositus se undequaque inculpatissimum haberet, hoc modo reformandum censuissem:

Feta parit nitidas fruges, *armenta*que læta,
Et genus humanum; parit omnia secla ferarum:

ut hinc animalia starent mitia, illinc autem immansueta; nam scriptores librarios in nominibus *armenta* et *arbusta* alibi turbavisse, jam innotuit ex hujusce libri verr. 343. 361. 698.

Ver. 995. *corpora pascunt.* Uno verbo extulisset, si per Musas licuisset, *pascuntur* nempe ponendo: quam proprietatem ad Græcorum morem Latini quoque sanctissime observant. Hinc error interpretum quorundam crassissimus, atque in illis vel Heynii elegantissimi, notandus est, ad Virgilii geo. iii. 143.

Saltibus in vacuis *pascant*, et plena secundum
Flumina.

Non, matres, vel juvencæ, *pascant*, i. e. cibum capiant; quod longe sordidissimam

Feta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum; parit omnia secla ferarum;
Pabula quom præbet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant:
Quapropter merito maternum nomen adepta est.
Cedit item retro, de terrâ quod fuit ante,
In terras; et, quod missum est ex ætheris oris,

corruptæ Latinitatis maculam poëtæ nitidissimo adspergeret; sed *agricolæ* pascant, vel armentarii; quos dictio *quisquam*, in ver. 140. comprehendit. Scytha merus a venustis hominibus habebitur, qui, semel monitus, huic interpretationi obgannire poterit. Hinc cuivis in promptu est Tibullum donare maxime indubitatâ emendatione, ad ii. 5. 25.

Sed tunc *pascebant* herbosa Palatia *vaccas*,
Et stabant humiles in Jovis arce casæ:

nam librorum lectionem, *vaccæ*, nec dii, nec homines, mihi crede, tolerabunt. Eodem modo, uti nunc legitur, necesse est Columella intelligatur, ad vii. 6. fin. "Capellæ, dum *dumeta pascunt*, capris cedunt:" i. e. "dum dumeta eis pastum præbent:" aliter mendosus est, et emendationis indiget, ille scriptor.

Ver. 996. *dulcem vitam:* *μελιηδεα θυμον*, Homerus, Il. K. 495. *μελιφρονα θυμον*, Hesiodus, scut. Herc. 428. Hinc Virgilius, Æn. vi. 428. *dulcis vitæ*, et geo. iii. 495. *dulces animas.*

Ibid. *ducunt vitam;* i. e. quasi *hauriunt* ex *fluidis* (vide ver. 596.) terræ pabulis, vel *animam hauriunt:* i. e. pergunt vivere: unde capias speciosissimam Papinii locutionem, Theb. v. 48.

Dulce loqui miseris, veteresque *reducere questus:*

i. e. de præcordiis, per suspiria iterum efflata, questus promere.

Ver. 997. *adepta:* Vind. Q. *adempta est.*—abest Π. codici.

Ibid. *maternum nomen:* i. e. Δημητηρ, vel Γη *μητηρ:* *Terra omniparens* Maronis: vide collata nuper in ver. 598.

Ver. 998. Lactantius hos versus numeris magnificentioribus extulit, ad div. instt. vii. 12. sed memoriæ, ut putem, fidens nimium:

Cedit item retro, de terrâ quod fuit ante,
In *terram; sed*, quod missum est ex ætheris oris,
Id *rursus* cœli *fulgentia* templa receptant.

Hæc autem, ut notissimum est, ex Euripidis mulieribus supplicibus, ver. 532. translata sunt; quos versus insigniter depravatos nemo in hunc diem usque probe quivit emendare: nam conatus Toupianus, *εις το* ΖΗΝ *αφικετο*, quamvis laudes virorum doctissimorum meruerit, in Musarum castitatem peccat. Porsonus etiam, ut est rei metricæ longe callentissimus, iambi leges inde violatas verissime pronunciavit; in hoc tamen agens minus doctum, qui de locutionis ipsius probitate dubitationem injicere sustinuerit. Nos, vicissim, facillimâ et usitatâ librariorum aberratione in recto positâ, conjecturam allaturi sumus, quæ, nî nimium parenti suo blandiatur, omne punctum cordatiorum feret:

Εασατ' ηδη γη καλυφθηναι νεκρους,
'Οθεν δ' ἑκαστον εις το ΣΩΜ' αφικετο,
Ενταυθ' απελθειν' πνευμα μεν προς αιθερα,
Το ΠΤΩΜΑ δ' εις γην.

Σωμα est *mortale corpus*, seu vivum hominem; (notam inspicias, ad ver. 599. supra) *πτωμα* autem, *corpus exanime*, seu cadaver. Prior Epicharmus, quem Lambinus laudat:

Id rursum coeli relatum templa receptant:
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora confaciat, sed cœtum dissupat ollis:
Inde aliis aliud conjungit; et ecficit, omnes
Res ita convortant formas, mutentque colores,
Et capiant sensus, et puncto tempore reddant;
Ut noscas referre, eadem primordia rerum,
Cum quibus, et quali positurâ, contineantur,
Et quos inter se dent motus, adcipiantque:
Neve putes æterna parum residere potesse
Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus, et interdum nasci, subitoque perire.

Συνεκριθη, και διεκριθη, κἀπηνθεν ὅθεν ηνθε, παλιν· Γα μεν ες γαν, πνευμα δ' ανω. Τι τωνδε χαλεπον; ουδε εν.

Ver. 999. *quod:* Δ. *quos.—missum est:* Vind. Q. Π. Σ. *missus;* amisso utique τῳ *t* ex *missust.*

Ver. 1000. *rursum relatum receptant.* De his abundantiis sermonis nuper egimus, ad ver. 956.

Ver. 1001. *res ut:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. *ut res.* Si quid lateat, nequeo illuc penetrare: conferas autem i. 217.

Ver. 1002. *confaciat:* Ω. *conficiant.—cœtum:* V. ed. O. Δ. *coctum;* Π. *totum.*

Ver. 1003. *conjungit;* P. *contingit.—ecficit:* Δ. *efficis.*—Sed forte an illud *contingit* Pii innuat lectio *conpingit:* vide ver. 446. v. 917.

Ver. 1004. *ita:* sic elegantissime omnia exemplaria, quibus innitimur, tam MSS. quam typis impressa, præter Pium, qui habet *ut,* stolidissime arreptum editoribus. Nos de hac sermonis formulâ, vel puerulis pervagatâ, jam diximus, ad i. 30.

Ver. 1006. *eadem:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. *earum;* quod esse genuinum arbitror; vide ad ver. 853.

Ver. 1009. *putes:* V. ed. *putas.—parum:* sic prisca Pii exemplaria; omnia alia, *penes:* quod impense displicet, tam ob sensûs inde effecti incommoditatem, quam novitatem vocis, Lucretianis scriptis ignoratæ. Creechius, non improbante Havercampo, hos tres versus ver. 958. subjunctos voluit; et, pro *æterna penes,* legendum proposuit, *interna minus:* sed hæc sunt nimis pro imperio. *Residere* autem *manere,* vel *esse;* ut iii. 399. v. 1424. Et fortassis haud inepte, neque omnino intempestive, dum rerum mutationes ac conversiones tractat, monitionem subinde primariâ de doctrinâ Epicureorum istam Lucretius noster interponit.

Ver. 1010. *fluitare:* Π. *fluvitare.*

Ver. 1011. V. ed. Π. Σ. inserunt *subito* repetitum inter *interdum* et *nasci;* nec injucunde repetitum, nisi versus εκκυμαινει. Dare poterat noster, et dedisset utinam!

Rebus, et *e subito* nasci, subitoque perire.

Ver. 1112. *Quin:* V. ed. B. Π. *Quando;* ut sæpe alias variatum est.

Ver. 1014. *eadem:* nempe *elementa* eadem, vel literas.

Ver. 1016. *maxuma pars est Consimilis:* i. e. literæ eædem, plures paucioresve, in verbis longe pluribus inveniuntur; et sensus diversos efficiunt ex diversis tantummodo posituris. Elementa sunt consimilia; sed, varie concinnata, faciunt, ut

Quin etiam refert, nostris in versibus ipsis,
Cum quibus, et quali sint ordine quæque locata.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem,
Significant; eadem fruges, arbusta, animanteis.
Si non omnia sint, at multo maxuma pars est
Consimilis; verum positurâ discrepitant res:
Sic ipsis in rebus item jam materiaï
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ
Quom permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem:
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis

ipsæ res inde significatæ multum discrepitent.

Ver. 1017. Pro *res* omnium librorum, nobis *hæc* obtrusit editorum impudentia, recte Bentleio etiam improbante: ut ver. 1021. In versu sequente, V. ed. *ita*, pro *item*.

Ver. 1019. *viæ plagæ:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. *vias plagas;* sed pro certo vitiose.

Ver. 1022. *adhibe veram:* Π. *adhibueram.*

Ver. 1023. *vehementer:* Vind. V. ed. Δ. Π. Ω. *vehementes.*

Ibid. *vehementer.* Syllabas similiter colliquefactas alibi noster extulit. Non aliter disertissimus togatorum, in Arato, ver. 119.:

——— clinata est ungula *vehemens*
Fortis equi propter pennati corporis alam.

Quos Horatius secutus est; uti Lambinus prior monuit, epist. ii. 2. 120.

Vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni.

Ver. 1024. *Adcidere:* Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Accedere;* sed haud dubie mendosissimâ aberratione, et Lucretii librariis usitatâ: vide mox, ad ver. 1076. Hanc confusionem Ruhnkenius tetigit ad Rutil. Lup. i. 1. in omnibus ad istum locum non temere audiendus.

Ibid. *Adcidere ad aureis.* Q. Curtius, iv. 4. 6.—"classem litori, e quo fremitus *acciderat*, admovit." Utrumque suo loco probum est, *accedere*, et *accidere*, ad aures; nisi veræ sint rationes Ruhnkenii ad Rutilium Lupum, i. 17. sed de vocum permutatione, et ipsâ phrasi, in concilium adhibendus est Drakenborchius, ad Liv. x. 41. 7. plura cupientibus. Conferas insuper sibi Lucretium, ad iv. 572. 880.—Cæterum, argumenti sui illustratione eâ, quæ sequitur, nihil aptius et excellentius desiderari potest. Αφελειᾳ quadam nativâ, et lepore vere Lucretiano, ad consummationem venustatis, usque adeo naturæ hic interpres fidelissimus condivit.

Ver. 1025. *ulla* deest Π.—*quin:* V. ed. Π. *quando.*

Ver. 1026. *constet:* V. ed. *crescet.* Et, in versu sequente, *nec* Vind. Q. Π. pro *neque.*

Ver. 1028. Non minuas iterum mirari, lector, editorum nostrorum perditissimam temeritatem; qui suâ incude sic reformatos versus, contra fidelium exemplarium unanime edictum, orbi literato exhibere non erubuerint:

——— nec tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim; ut cœli—.

Adcidere, et nova se species obtendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credundum constet; itemque
Nihil adeo magnum, neque tam mirabile quidquam,
Quod non paullatim minuant mirarier omnes.
  Principio, cœli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,

Demiror egomet profecto, de Manibus Lucretii, quum sint haud dubie in magnâ apud inferum Jovem et inferam Junonem laude gratiâque, eos haud extimuisse; ne fortassis utique, ex ipsius poëtæ enixissimo rogatu,

> Αυτοις Γοργειην κεφαλην δεινοιο πελωρου
> Εξ Αιδος πεμψειεν αγαυη Περσεφονεια.

Pro *mirarier*, V. ed. *minarier*.

Ver. 1029. *Principio:* i. e. *primum* sit exemplum purus nitor cœli; *deinde*, sidera; *tum*, luna; et *postremo*, quod maximum est, et omnium magnificentissimum, solis fulgor. *Clarum* est cœlum; *præclarus* autem sol: videas me ad v. 121.

Ver. 1030. *Quemque:* L. O. Ω. *Quæque.* Ibid. *cohibent:* pro simplice *habent*, vel continent: vide supra, ad ver. 677. Non aliter Ausonius, idyll. i. 3.

> At nos, æternum *cohibentes* pectore *cultum*,
> Intemeratorum vim continuamus honorum.

Ibid. *palantia sidera*. Marò, Æn. ix. 21.

> *Palantis*que polo *stellas*—.

Ver. 1031. *Lunamque:* sic P. V. ed. B. Π. Σ. Ω. sed Vind. L. M. Q. *Lunæque*, si collatoribus auscultandum sit: Δ. *Et lunaï;* O. *Lunaï:* et sic profecto malim. —*præclarâ:* Δ. *præclare;* Ω. *præclaram;* unde emendatio venustissima sponte nobis exoritur:

> ——— et solis, *præclarum* luce, nitorem.

Ver. 1032. *nunc si essent:* vulgares editi, libris repugnantibus, exhibent, *si nunc adsint;* excepto Vind. qui *si nunc;* O. qui *non si;* et Δ. denique, qui *adsint*.

Ver. 1033. Hunc versum pro elegante prioris epexegesi capio: nam *τε ceu*, quod in editionibus comparet, P. solus dedit nostrorum, et, si credere sit dignum, L. M. Viam autem, quam ingressus sim, tutiorem habui, reponendo *si* codd. plurium.

Ver. 1034. *Quid:* Π. *Quod.*—*mirabile:* O. *mutabile.*

Ver. 1035. *ante:* Π. *an.*—*quod auderent:* V. ed. Δ. Π. Ω. *quo clauderent;* errore facili indoctis ob similitudinem τῶν *cl* et *d*, in parvis scripturæ characteribus. Exemplum corruptelæ, hac literarum admixtione primo natum, ex Prisciani periegesi dabimus, ad ver. 807.

> Has supra, mediis habitant telluris in arvis,
> Ad partes ortûs, gens *clara* Lycaonis armis.

Libri, *dura:* nempe, postquàm, *cl* in *d* coaluissent, nihil supererat librario, nisi ut ex nihili vocabulo, *dara* scilicet, *dura* diffingeretur. Nostræ profecto divinationi Dionysius ipse adstipulabitur, ad ver. 857.

> Των δε προς αντολιην, μεσατην χθονα ναιεταουσιν,
> ΙΔΡΙΕΣ ευ παλαμαισι, Λυκαονες αγκυλοτοξοι.

Unde virum elegantissimum, Shakespeari nostri sospitatorem, et mihi amicissimum, mirari soleo, ad partem ii. Henrici IV. iii. 1. vulgata, insulsorum omnium longe insulsissima, defendentem; postquam vere Warburtonus emendaverat, quod et ipse seorsim perspexeram, ad hunc modum:

> ——————Then, happy *lowlie clown!*
> Uneasy lies the head that wears a crown:

Lunamque, et solis præclarâ luce nitorem:
Omnia quæ nunc si primum mortalibus essent,
Ex inproviso si sint objecta repente;
Quid magis hiis rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nihil ut opinor; ita hæc species miranda fuisset:
Quam, tibi jam nemo, fessus satiate videndi,

ubi similis literarum *cl* adhæsio lectionem vitiosissimam, *low lie down*, pepererat; quam futuram esse exspectavisses tam lepido ingenio terriculum.

Ibid. *gentes:* i. e. *humanum genus.* Ita Virgilius, Æn. i. 17.

——— hoc regnum dea *gentibus esse*,
Si quâ fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.

In proximo versu, P. *Nulli*, pro *Nihil.*

Ver. 1037. *Quam:* i. e. "secundum "*quam* speciem;" vel "quod ad hanc "speciem attinet:" ut *hoc* et *quod* centies in his libris adhibentur; inspicias dudum dicta ad i. 222. Quænam est igitur hæc inscitia atque insulsitas editorum, ut suum *Quom* nobis ingerant, membranis reclamantibus, et Nonio, ii. 791. in voce *satias?*

Ibid. *satiate:* ut v. 40. 1390. Dictys Cretensis, iv. 7. "Neque prius finis fac"tus, quam Græcos *satias*, et ad postre"mum fatigatio, incessit:" ut etiam v. 13. Silius Italicus, iv. 110.

Nec finis, *satiasve*, fuit ——:

ad quem locum consulas interpretes, qui nobis omnia præripuere.

Ver. 1038. *Subspicere in cœli templa.* Non aliter Virgilius, Æn. x. 898. quem idcirco tamen potissimum admovebo, ut certâ interpretatione locum determinem; quum super eâ editores fluctuantes videam, licet Servius cordate moneat:

——— Contra Tyrrhenus; ut, *auras Subspiciens*, hausit cœlum, mentemque recepit.

Ita puncta sunt ordinanda. Recte quidem *auras haurire* dixeris pro *auras ducere:* sed hæc constructio jam nunc ambiguitate impendio illepidâ versum degravaret. Stet igitur *hausit cœlum:* i. e. "ocu"lis cœlum bibit, et arripuit;" ut idem, pari elegantiâ, in geo. ii. 340.

Quum primæ *lucem* pecudes *hausere*—:

ad quem locum, ex varietate lectionis, *primum*, conjecturam dudum excogitaveram, codice Cantabrigiensi confirmatam, unde, nî fallor, versus expolitior evadit, et aptior contextui:

Quum *primam* lucem pecudes hausere—:

i. e. modo enascentem: quod videtur orientium pecudum poëtica magis et exquisita declaratio. Potes etiam *cœlum* per *aërem* interpretari: ut per phrasin uberiorem Quintilianus, declam. xiii. 8. "Ex "eodem *cœlo spiritum trahunt.*" Etiam Q. Curtius, v. 5. 19. "Quin illi ex hoc "carcere erumperent; alium domi esse "*cœli haustum*, alium lucis adspectum." Cæterum, nostram de loco Virgiliano sententiam Juvenalis roborat, et extra dubii limites ponit, in sat. iii. 84.

Usque adeo nihil est, quod nostra infantia *cœlum Hausit Aventinum*, baccâ nutrita Sabinâ?

Editi vulgares, *Aventini;* sed sequor optimum codicem Cantabrigiensem MS. nobis usu tritum, et alibi laudatum. Maro rursus appositissime, Æn. iii. 600.

——— hoc *cœli spirabile lumen.*

Præterea, pari argumento, in diversâ tamen materie, Juvenalis ille usus est, sat. xiii. 162—174.

Ver. 1039. *ipsâ:* i. e. merâ novitate,

Subspicere in cœli dignatur lucida templa.
Desine quapropter, novitate exterritus ipsâ,
Exspuere ex animo rationem; sed magis acri
Judicio perpende: et, si tibi vera videntur,
Dede manus; aut, si falsum est, adcingere contra.

nullis ex philosophiâ petitis rationibus contra dicentibus. Fateor tamen propriam divinationem mihi plurimum arridere:

Desine quapropter novitate exterritus *ipse*.

" Tu saltem, Memmi! rebus omnibus or-" natissime! quem opiniones ineptientium " homunculorum præjudicatæ a sobriâ " atque intrepidâ veritatis contemplatione " non debent absterrere." Cæterum, hanc suspicionem codicis Π. auctoritate roboratam postidem inveni; nec ausus sum tamen admittere in textum.

Ibid. *novitate exterritus*. Phrasim, quod adsolet, Arnobius involavit, cujus periodum, insigni vitio scripturæ depravatum, puriorem præstabo, lib. i. p. 32. De Christo loquitur. " Exutus at corpore, " quod in exiguâ sui circumferebat parte, " postquam videri se passus est, cujus " esset *et* (vulgo, *aut*) magnitudinis sciri, " *novitate* rerum *exterrita*, *universi* (edi-" tur, *universa*) mundi sunt elementa " turbata, tellus *tota* (libri *mota*) contre-" muit, mare funditus refusum est, aër " globis involutus est tenebrarum, ig-" neus orbis solis *stupefacto* (vulgo, *tepe-" facto*) ardore diriguit." De cæteris cum contumace non equidem contenderim: illud autem *stupefacto* a me nemo facili conatu extorquebit; nam egregia est et certissima emendatio. De *Subspicere*, vide ad iv. 750.

Ver. 1040. *Exspuere ex animo rationem*. Hac signatorum verborum locutione Terentius prior erat usus, Eun. iii. 1. 16.

Quasi ubi illam *exspueret miseriam ex animo*.

Ubi sic Donatus: " *Exspuere* est cum " fastidio aliquid rejicere, et expellere. " Nam exspuere, est *extra pus* mittere, " id est, foras. Nam *pus* est omnis hu-" mor corpori onerosus." Tu autem, lector! grammatici deliramenta, si me satis audias, vicissim rideas et exspuas: nam etymon ejus nihil est nisi merum pus. Quasi vero Latinum *exspuo* non sit Græcum ἐκπτύω, ad indolem variantem linguæ literis paullulum tantummodo emollitis!

Ver. 1041. *perpende:* Π. *perinde.*—*videntur:* P. Δ. *videtur;* quod placuit editoribus, suavia variatæ constructionis condimenta summam per industriam a Lucretio inconsultissime amolientibus.

Ibid. Sane *perpendere judicio* acceptissima est phrasis, et ab omni parte probabilis atque absoluta: suspicio tamen mihi in mentem inciderat, Lucretium, qui locutiones ex oculorum officio translatas adamat, scripsisse forsitan:

——————— sed magis acri
Judicio *pertende:*

hoc enim elegantissimum foret, et ejus usui verborum absolutorum aptissime conveniret. Has autem dictiones permutatas ex Ciceronis orat. pro Cor. Balbo, sect. 5. potes cognoscere; et *acer* de oculis sæpissime adhibetur. Plinius, nat. hist. viii. 38. unus adducatur, de crocodilo disserens: " Hebetes oculos hoc animal " dicitur habere in aquâ; extra, *acerri-" mi visûs*." Et, in utriusque vocabuli illustrationem, Prudentius, contra Symm. ii. 99. Locus est eximius, et, partim ad cod. Oxon. fidem, sic legendus:

Quippe minor natura *aciem* si *intendere tentet*
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi:
Quis dubitet victo fragilem lassescere *visum*,

Quærit enim rationem animus, quom summa loci sit
Infinita foris, hæc extra mœnia mundi,
Quid sit ibei porro, quo prospicere usque valet mens;
Atque animi jactus liber sit, quo velit ipse.
Principio, nobis in cunctas undique parteis,

> Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
> Turbari, *validis*que hebetem succumbere curis?

Vulgo, *invalidis;* contra perspicuam mentem scriptoris. Nempe *i* adhæserat ex vocabulo præcedente, *ivalidis.* Finiat Propertius, ne in merâ conjecturâ, neque eâ sane necessariâ, laboriosius asserendâ, tempus profundam, ii. 12. 17.

> Quod si, *pertendens animo,* vestita cubâris,
> Scissâ veste meas experiere manus.

Ver. 1042. *falsum:* P. Π. *falsa;* quod communes editiones habent, varietatis gratias odio infensissimo proscribentes: Δ. Σ. *falsu;* i. e. haud dubie, *falsū,* vel *falsum.*—Π. non agnoscit *est.*

Ver. 1043. *rationem:* Δ. Π. Σ. *ratione,* ut i. 369. sed aliud hic arrisit nostro; et melioribus libris præstiterit obtemperare.

Ver. 1044. *extra:* P. *extera;* sed, in quantum liceat ex notis colligere, operarum vitio: quo modo se rem habere non raro alibi in istâ editione deprehendimus.

Ver. 1045. *sit ibei:* V. ed. P. *sit ubi;* Σ. *si tibi;* O. Δ. *tibi si,* inversione factâ literarum.—*prospicere:* Vind. *prospere,* elapsâ syllabâ; ita tamen, ut quæ supersint, legitimam dictionem efficiant, qualiter sæpe est scribis peccatum: vide me ad Silv. Crit. sect. lxi. Liceat ex Lactantio hujusce depravationis singulare specimen protulisse, quum sit auctor candidissimus atque disertissimus, div. instt. i. 4. "*Prophetæ,* qui fuerunt admodum *multi,* "unum Deum prædicant, unum loquuntur; quippe qui, unius Dei spiritu pleni, quæ futura essent, pari et consonâ voce prædixerunt. At enim veritatis expertes non putant his esse credendum. *Illas* enim non divinas, sed humanas, voces *fuisse* aiunt. Videlicet, quia de uno Deo præconium faciunt, aut *insani,* aut fallaces, fuerunt." Vides, opinor, nomen idem per omnem locum dominari, *prophetas* scilicet. Quid ergo facias cum *illas?* Lege: "*Illos* enim non divinas, sed humanas, voces *fudisse.*"

Ibid. *valet.* Hoc est ex meis divinationibus, pro librorum omnium lectione, *velit:* audacior profecto, quam pro meâ consuetudine in Lucretium; sed sequentis versûs constitutio tibi, ni fallor, satis probabit hanc castigationem omnino necessariam fuisse, nisi summum poëtam invenustissimum esse omnium poëtam dixeris.

Ver. 1046. Non est in toto Lucretio versus, de cujus lectionibus magis lubricum sit, atque arduum, pronunciare. Librorum varietates recensere pergam.—*jactus:* Π. et ita Gronovius emendaverat feliciter, in aliis multum falsus, adducto Ciceronis loco, valde opportuno, quem jam contulimus, ad ver. 739. bene monens etiam "hos animi *jactus*" Epicuro, in epistolâ ad Herodotum apud Diog. Laërt. x. vocitari φανταστικην επιβολην, et simpliciter επιβολας: ut etiam επιβολας της διανοιας, sect. 51. Facilis est, atque admodum probabilis, hæc conjectura; quia optimi libri, et antiquissimi, plures etiam numero, nempe Vind. V. ed. B. L. M. O. Q. Π. Σ. Ω. dant *tactus,* literulâ unâ discrepantem: P. *tractus;* qui in notis ait, legi *injectus,* in quibusdam exemplaribus; glossemate, ut videtur, ex ver. 739. arcessito.—*liber:* Vind. V. ed. Q. Π. Σ. *libero.*—*sit quo velit ipse.* Hæc mihi visa est maxime simplex et obvia castigatio, diversitates scripturæ in exemplaribus, et loci scopum, contemplanti. Postea intellexi, non aliter ad verbum scribi in Pii exemplaribus. L. O. *sit quo*

Et latere ex utroque, infraque, superque, per omne
Nulla est finis, utei docui, res ipsaque per se
Vociferatur, et elucet natura profundi.
Nullo jam pacto veri simile esse putandum est,
Undique quom vorsum spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero, summâque profundâ,
Multimodis volitent, æterno percita motu;

volet ipse; quod non deterius foret, a *volo, velle;* et ita Vind. Π. Σ. omisso *sit*; V. ed. *quo velit ipse*, etiam sine *sit;* Ω. *sit quo velet ipse;* Q. Δ. *quo pervolet ipse;* atque ita vulgares editi: sed videndum est in hac lectione, an decore satis caudam trahat illud *ipse:* quod incommodum sensit Havercampus; ideoque conjectavit, *usque:* inscite, quum ea vox statim præiverit. Aliter *τι pervolet* Plautus munivisset, mil. glor. i. 1. 40. Douzâ perperam solicitatus:

Py. Facete advortis *animum* tuum ad animum meum.
Ar. Novisse mores me tuos meditate decet,
Curamque adhibere, ut *prævolet* mihi quo tu velis.

P. denique, *quoquo velit ire.* Gronovii tentamen, *quo pervolitare*, laudis destituitur, et vix dignum est, quod editori commemoretur.

Ibid. *animi jactus: νου βολη·* per metaphoram ab *oculo* derivatam. Homerus, Od. Δ. 150.

ΟΦΘΑΛΜΩΝ τε ΒΟΛΑΙ, κεφαλη τ', εφυπερθε τε
χαιται:

βολαι· τα βλεμματα: scholiastes. Lego: τα ΒΛΗΜΑΤΑ. Apuleius, de mundo, p. 741. ed. Delph. "Torquebitur cervix, "nutabit caput, *oculi vibrabunt.*" De hac autem re nos uberius egimus ad Silv. Crit. sect. cxxx. ubi se conferat his elegantiis delinitus lector: consulat etiam, quæ nuper dedimus ad Moschum, ii. 107. Optimi quidam versus leguntur, sed nonnihil vitiati, apud Homeri hymn. in Merc. 45. qui et huic loco illustrando, et iis insuper, quæ noster disputat inferius, iii. 182—187. operam egregiam navabunt:

'Ως δ' όποτ' ωκυ νοημα δια στερνοιο ΠΕΡΗΣΗ
Ανερος, όντε θαμειαι επιστρωφωσι μεριμναι·
Η ότε ΔΙΣΚΗΘΩΣΙΝ απ' οφθαλμων αμαρυγαι·
'Ως άμ' επος τε και εργον εμηδετο κυδιμος 'Ερμης.

Vulgo scribitur, *περησει*, et *δινηθωσιν.* Similiter ibid. ver. 279.

'Ως αρ εφη' και, πυκνον απο βλεφαρων αμαρυσσων
Οφρυσι 'ΡΙΠΤΑΖΕΣΚΕΝ, όρωμενος ενθα και ενθα.

Arnobius, lib. ii. p. 78. "Quid est autem "suspicio, nisi opinatio rerum incerta, et "in nil expositum *jaculatio mentis illatæ?*" i. e. se inferentis. Sic legendum: vulgo, *illata.* Idem mox, p. 86.—"in res "eas quæ sint a nostrâ procul cognitione "dimotæ, infructuosas *immittere* cogitationes?" Paullo aliter Boëtius, lib. v. met. 2. de Deo:

Quæ sint, quæ fuerint, veniantque,
Uno *mentis* cernit in *ictu:*

ut ille alibi plus semel. De affinitate autem verborum *jactus* et *ictus*, te docebunt notæ ad iv. 1266. commissæ cum Silv. Crit. sect. clii. Mamertinus, in geneth. Maxim. sect. 8. "Et enim, cum *nihil* "*sit animo velocius*, vos, quorum *igneæ* "immortalesque mentes minime sentiunt "corporis moras, pervecti estis ad vos "mutuâ desiderii celeritate."

Ver. 1048. *infraque superque.* Vulgares editiones, *infra superaque:* quæ an cum judicio mutaverim in plenius quiddam atque signatius, ex variarum lectionum perpensatione lectores edicant. Vox *infra* deest V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω.—*supe-*

Hunc unum terrarum orbem, cœlumque, creatum:
Nihil agere illa foris tot corpora materiaï;
Quom præsertim hic sit naturâ factus, et ipsa,
Sponte suâ, forte obfensando semina rerum
Multimodis, temere, in cassum, frustraque, coacta,
Tandem coaluerint ea, quæ, conjecta repente,
Magnarum rerum fierent exordia semper,

ra: Vind. V. ed. O. Q. Δ. Σ. Ω. *super.*—*per* abest Q. ut *que* V. ed. in sequente versu.

Ibid. *infra super.* Dum his verbis utitur, se ad vulgi sensus et opiniones accommodat; nam ita bene magister Epicurus apud Diog. Laërt. x. 60. *Και μην κατα τυ απυρυ, ὡς μεν ανωτατω η κατωτατω, υ δει κατηγορειν το ανω η κατω· κτλ.*

Ver. 1049. *utei docui:* ad i. 957. Lambinus.

Ver. 1050. *vociferatur.* Pari oratione Achilles Tatius, v. 17. ΚΕΚΡΑΓΕ *γαρ συ και εν κακοισιν ἡ μορφη την ευγενειαν.*

Ibid. *profundi:* ut hac voce non in *imum* sola altitudo demonstretur, sed etiam *summum*, uti apud Virgilium, geo. iv. 222.

Terrasque, tractusque maris, *cælumque profundum.*

Ver. 1052. *vorsum:* Δ. *vorsus.*—*vacet:* Π. *patet*, ex glossâ; cui libro deest etiam in ver. 1051. vocula *est.*

Ver. 1053. *Seminaque:* Π. *Denique:* Δ. Σ. Ω. *Semique.*—*numero* abest Δ.—*profunda:* M. *profudit.*

Ibid. *innumero numero:* ut epigramma in mortem Plauti apud Gellium, i. 24.

Et *numeri innumeri* simul omnes conlacrumarunt.

Quod simpliciter equidem interpreter, de Romanorum populo, qui risum suum et ludos, poëtâ mortuo, amiserant.

Ver. 1054. *volitent:* V. ed. *volitant.*

Ver. 1055. De hac mundorum pluralitate, quam Epicurei, post Democritum, (Cic. nat. deor. i. 24.) tenuerunt, videas ad v. 529. Epicurus, in Diog. Laërt. x. 45. *κοσμοι απειροι εισιν.*

Ver. 1059. *frustraque coacta:* P. O. *frustra quoque jacta:* V. ed. Vind. Δ. Π. Σ. Q. Ω. *frustraque jacta;* antiqua Pii exemplaria, *jactataque frustra;* non male.

Ibid. *coacta;* i. e. collecta, coagmentata: dicta videas ad i. 762. Prudentius, peristeph. iii. 92.

Divide membra, *coacta* luto.

Ver. 1060. *coaluerint.* Hanc lectionem præferendam duxi, (vide ver. 1129.) quum concludere liceat, non multo aliam comparere in codicibus L. M. vetustissimis, quamvis magnæ librorum discrepantiæ mihi suspicionem moveant, et in hoc loco cum illis membranis Havercampo minus fideliter actum esse. V. ed. *coartant;* cæteri, *coierunt*, *coierint*, *coarctarint*, *colarunt*, *colarint*, *colærint*, *colerent*, *cælarunt;* et *concrerint*, Gronovius ex conjecturâ. Verum esse arbitror, quod imprimendum voluerim.—*Coaluerint* autem, *unâ creverint;* de pluribus, ut de nationibus, verbi gratiâ, *unâ crescentibus* florentibusque. Justinus, xxxvi. 2. 16. de Judæorum regibus:—"quorum justitiâ religione permixtâ incredibile quantum "*coaluere:*" qui locus quam immerito passus est virorum doctorum castigationes. Forte tamen dedit historicus, "justitiâ *ac* "religione;" ne structuræ nimis inconditæ sit oratio.

Ver. 1061. *fierent:* M. *fluerent.*—*exordia:* V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ex ordine;* quod tamen quo pacto verum esse possit, nullus video: et erat facilis aberratio.

Ver. 1062. *Terraï:* V. ed. Π. Σ. *Terra;* vide ad i. 952.—*maris:* Π. *magis.*

Ver. 1065. *est* in Δ. O. non legitur.—

Terraï, maris, et cœli, generisque animantum.
Quâ re etiam atque etiam taleis fateare necesse est
Esse alios alibei congressus materiaï.
Qualis hic est; avido conplexu quem tenet æther.
Præterea, quom materies est multa parata,
Quom locus est præsto, nec res, nec caussa moratur
Ulla; geri debent nimirum, et confieri, res.
Nunc, et seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis;
Visque eadem, et natura, manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione

quem: V. ed. *cum;* i. e. *quum;* obvio prolapsu.

Ibid. *avido:* i. e. largo, patulo, multa comprehendente; conferas v. 202. atque ibi commentata. Hilarius haud illepide, genes. 40.

Ac primum cœli passus liber, omnia mundi
Complectens spatio, celso suspenditur orbe.

Ibid. *quem:* i. e. quem *congressum* materiæ; hanc terram scilicet. Dormitabat utique bonus Homerus ille, nobis commendans prorsus nullo fructu, *quam*, in diatrib. Eurip. p. 48. ad indoctam magis et vulgarem rationem.

Ver. 1068. *confieri:* Π. *confiteri;* et mox, *quanta.*

Ibid. *geri et confieri:* i. e. ita *se gerere*, vel ita administrari, ut *confiant:* i. e. ut congrediantur et congressu mundos gignant, atque omnem unâ mundorum apparatum.

Ver. 1071. *Vis:* Π. *Vix.—que et* desunt V. ed. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. unde nullus profecto dubitem sic Lucretium scripsisse, per mutationem literæ tantummodo singularis:

Vique eâdem natura manet:

redi ad ver. 661.—*manet:* P. V. ed. Π. *movet.* Nempe, *manet* abierat in *monet;* unde *movet* tandem factum est.

Ver. 1072. *quæque:* V. ed. Π. Σ. *que;* error concursu syllabarum consimilium genitus: vide ad i. 1100.—*queat:* Π. *queant.*

Ver. 1073. *sunt:* V. ed. *finit;* paribus utrobique literarum ductibus: revertaris ad ver. 664.

Ver. 1075. *secla*, vel *sæcla:* V. ed. in margine *fæda*, coalitis utique *c* et *l* literis: vide ver. 1085.

Ver. 1076. *adcedit:* Π. *accidit;* inspicias ver. 1128.—*uti:* ita ex conjecturâ prius usitatam formulam Lucretii reposueram, quam invenerim in P. reliqui omnes, *ut;* a quo sequens dictio sane finale elementum abstraxerat.

Ibid. *Huc adcedit.* Hac formulâ Justinus usus est, ii. 10. 6. Plenior Q. Curtius, x. 3. 8. "Sed ad illa hoc quoque "accessit—." Alii etiam aliter locuti sunt.

Ver. 1077. *gignatur:* Vind. V. ed. O. Q. *gignantur.*—*crescat:* O. Π. *crescant.*

Ver. 1078. *Quin:* V. ed. Π. *Quando.* —*aliquoius siet:* ita rescribendum esse verissime Gronovius censuit; L. *aliquoivis sient;* M. *aliquoivis siet;* Vind. *alio quouussiet;* V. ed. *cujus si et;* O. *alio cuivis sit;* Q. *aliquo versi et;* Δ. *alio cohibisse et;* Π. *aliquo quovis si et;* Σ. *alio quovis si et;* Ω. *alio quovis sit;* P. denique, *cujusque sient.*—*permulta:* Ω. *multa.*

Ibid. *aliquoius:* i. e. "quin et aliquo "demum seculo nascantur, et sint suo

Atque huc sunt conjecta; necesse est, confiteare
Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis,
Et varias hominum genteis, et secla ferarum.
  Huc adcedit, uti in summâ res nulla sit una,
Unica quæ gignatur, et unica solaque crescat;
Quin aliquoius siet secli, permultaque eodem
Sint genere: in primis animalibus indice mente
Invenies sic montivagum genus esse ferarum,
Sic hominum geminam prolem, sic denique mutas
Squamigerûm pecudes, et corpora cuncta volantum.
Quapropter, cœlum simili ratione, fatendum est,

" genere numerosa:" confer a ver. 532. ad ver. 541.

Ver. 1079. *indice mente:* i. e. indicio mentis; si rationis mentisque monstrationes attendas. In hac lectione libri conspirant omnes; neque satis esse caussæ videtur, ut ex arbitrio eorum auctoritatem, divinationibus ingeniosorum hominum anteponendis, conculcemus. Aliter Lipsii tentamen, *injice mentem*, arrisisset: vide quæ diximus ad ver. 1046. et Gronovii etiam conjectura magnam habet veri similitudinem, *inclite Memmi:* nam *cl* sæpissime migrant in *d*, et *t* cum *c* passim commutatur; errores etiam in propriis nominibus sunt longe usitatissimi, uti monuimus in superioribus plus semel. Nihil tamen hoc tempore novare tutius ac consultius arbitramur.

Ver. 1080. *Invenies:* Vind. V. ed. Π. Σ. *Invenisse.*—*esse:* Π. *omne.*

Ver. 1081. *geminam:* P. L. Δ. Π. Σ. *genitam.* Sed vera est lectio recepta nobis; nec minus ad alia exempla, *feras* nempe, *pisces*, et *volucres*, pertinet, quam ad *homines:* ut poëta significet, non tantummodo multa esse cujusque generis animalia, sed in quovis etiam genere multa utriusque sexûs. Adeo nihil est in rerum naturâ, quod sit unicum et *αὐτογενής*.

Ibid. *geminam prolem.* Virgilius paullo aliter phrasim posuit, Æn. i. 274.

——— *geminam* partu dabit Ilia *prolem.*

Ver. 1085. *unica:* in codicibus Nonii depravatis, ii. 480. legitur *una.*—In versu præeunte, Π. *terrarum.*—Mox, V. ed. *termanus*, pro *terminus.*

Ver. 1086. *depactus:* i. e. *defixus:* unde, quod Virgilio, geo. iv. 115. est "plantas *figere*," rei rusticæ scriptoribus, aliisque, est *pangere.* Glossarium vetus: " *Depango*, *καταπήγνυμι.*" Columella, iii. 16. 1. " malleolum *depangere;*" sed Plinius, in nat. hist. xxi. 79. maluit *defigere.*

Ver. 1087. Hicce versus in editis vulgaribus ad hanc normam legitur:

Tam manet *his*, et tam nativo *hæc* corpore constant.

Nos, codicum scripturæ pressius adhærentes, suavius aliquid concinnare conati sumus: nam nihil contra libros novatum est, si excipias *et tam*, pro *etiam.* Cum phrasi autem, *terminus manet hæc*, non inopportune committi possit hoc Virgilianum, geo. iv. 206.

——— *ipsas* quamvis angusti *terminus* ævi
Excipiat—.

Ver. 1088. *generatim:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *generat in.* Nempe, scriptum erat in membranis, *generat I*, vocis partibus nimium distantibus.—*abundans:* M. *abun-*

Terramque, et solem, lunam, mare, cætera, quæ sunt,
Non esse unica, sed numero magis innumerali;
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet hæc, et tam nativo corpore constant,
Quam genus omne, quod hiis generatim rebus abundans.
  Quæ bene cognita si teneas, Natura videtur

dant; Δ. *abundat*, ut communes editiones: sed prudentius videtur ita exhibere, ut verbum substantivum pro solito subintelligatur, quam contumaciter libris optimis et pluribus nolle morem gerere.

Ibid. Hæc est sententia: "Nam illa "non minus initia habuere, et habitura "sunt finem, quam genus omne anima-"lium, quæ sunt, unumquodque in suo "genere, tam innumerali numero." Rectum fuisset, "Quam genus omne *harum* "*rerum*, quod abundat generatim." Hæc autem non erant omittenda, ob pravam interpretationem, Fabro commentam scilicet.

Ver. 1089. *videtur:* V. ed. *modetur:* quæ scriptura, (si liber quilibet alius, in ver. 1091. *agit*, pro *agere*, dedisset,) parcâ mutatione in *movetur* detorta, multum elegantiæ in locum importavisset.

Ver. 1091. Voces *suâ per* desunt V. ed.—*omnia:* Π. *omne a.*

Ibid. *dominis superbis.* Maro, Æn. xii. 236.

Nos, patriâ amissâ, *dominis* parere *superbis*
Cogemur—.

Ver. 1092. *tranquillâ:* Π. Ω. *tranquillaque.*

Ver. 1093. *placidum ævom:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. *placido ævo;* i. e. per facilem mutationem, *placidom ævom:* vide ver. 652.—*multum serenum:* sic Pii codices quidam, et Ω. sed Vind. V. ed. L. M. Q. Π. Σ. *multam serenam;* P. O. Δ. *vitam serenam:* ex recentiorum, ut puto, emendatione. Elegans est locutio, *multum serenum;* nec debuerat solicitari. Sic Horatius, od. i. 25. 5.

Quæ prius *multum facilis* movebat
Cardines:

ubi videndus est Bentleius noster. Nec non Plautus, Capt. ii. 2. 22.

——— quamquam non *multum* fuit *molesta*
servitus:

ut etiam Aul. ii. 1. 5. *multum loquaces:* et alibi similiter. Hinc, ad Virgilii Æn. xi. 49. suavissimos versus:

Et nunc ille quidem, spe *multum* captus *inani*,
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis:

malim equidem *multum* cum *inani* jungere, quam cum *captus.*

Ver. 1094. *regere:* Π. *gerere:* uti sæpe solent hæc vocabula confundi. Hinc in editione meâ elegantiorem ad codicis lectionem reformavi Virgilianum versum, Æn. xii. 206.

——— dextrâ sceptrum nam forte *regebat.*

Vulgo, *gerebat:* sed illud longe doctius et exquisitius, ad normam Pindari, Ol. i. 18.

Θεμιστεῖον ὃς ΑΜΦΕΠΕΙ
ΣΚΑΠΤΟΝ ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ.

Hanc varietatem, codice addicente, non debuerant editores Ovidio invidere, ad fast. iv. 594.

Quam nunc, te cœli sceptra *regente*, tuli?

Plures libri, *tenente;* ex glossâ. Et demiror Heinsium non arripuisse consummatam venustatem lectionis, quam meliores libri cum editione primâ suppeditabant, ad ejusdem amor. iii. 1. 13. loco *tenebat;* quod itidem est ex glossemate:

Læva manus *sceptrum* late regale *movebat:*

nempe, *νεῦμα*, *ἔπαλλε*· cum facilitate et majestate quadam manûs, quasi plenissi-

Libera continuo, dominis privata superbis,
Ipsa suâ per se sponte omnia diis agere expers.
Nam, pro sancta deûm tranquillâ pectora pace
Quæ placidum degunt ævom, multumque serenum!
Quis regere inmensi summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis est moderanter habenas?

mam potestatem exercentis: me videas ad Sophoclis Philoct. 1125. Hinc hominem lepidissimum Nonnus egit, in Dionys. xxv. 449.

——— γλυκυ νεκταρ Ολυμπω
Βουκολος αντιπεριφεροντος εφνοχοει Γανυμηδης,
ΠΑΛΛΩΝ χειρι ΚΥΠΕΛΛΑ, τα περ λαχε παρθενος Ἡβη.

Emendabo in transcursu epig. 72. 126. lib. 1. Anthol. Lat. Burmanni:

——— pro *luci it fronte* Cupido,
Martis tela *regens*.

Vulgo, *lucis forte*.

Ibid. *inmensi profundi.* Justinus, xli. 1. 11. "Fines—in tantum protulere, ut "non *immensa* tantum ac *profunda* camporum, verum etiam prærupta collium "montiumque ardua occupaverint."

Ver. 1095. *moderanter:* V. ed. Δ. *moderantur*. Ipse cogitaveram de *moderator;* sed recepta scriptura longe longeque anteferenda est.

Ibid. *Indu manu.* Sic Ennius, apud Gellium, xii. 4. *indu foro;* et apud Macrobium, vi. 2. *Indu mari.* Sæpe scribitur *endo*, quod Græco ενδον propius est; ideoque antiquiorem orthographiam, atque in solitario usu veriorem, eam equidem facile crediderim. Vide notas ad i. 83.

Ibid. *habere moderanter;* εχειν ευθυντικως, vel αρχικως· ad formulam scriptoribus linguæ utriusque, et præsertim Græcis, tritam. Plautus, Asin. i. 1. 63.

Quamquam illum mater *arte contenteque habet*,
Patres ut consueverunt, ego mitto hæc omnia.

Ver. 1096. *cælos:* Π. *cælum*, depravatione progressâ per medium *cælom.*—*convortere et:* Vind. V. ed. Π. Σ. *converteret.* —*omneis* abest Π. Apud Nonium, voce *cælum*, qui ex Ennio et Varrone masculini *cælus* exempla protulit, ita vitiose versus hi leguntur, ad iii. 44.

Quis pariter cœlos *amnis converterit* omnis
Ignibus ætheriis terras *sufferre* feraceis?

Sergius, in corpore grammaticorum Putschii, p. 1842. hunc locum memoriter, nec emendatum, laudat: "Cœlum in "numero singulari generis neutri est, in "numero autem plurali generis masculini: habemus enim in Lucretio,

"Quis *totidem vertit* cœlos?"

Ibid. *cælos convortere.* Maro, Æn. iv. 269.

——— *cælum* et *terras* qui numine *torquet*.

Hinc traxit magnificam translationem poëta summus ad Æn. xii. 180.

Cuncta tuo qui *bella*, pater, sub numine *torques:*

quem locum Servius indicavit. Neque aliunde petitorum ornamentorum decore versus egregios ibid. vii. 101. idem convestivit:

——— quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, quâ sol utrumque recurrens
Adspicit oceanum, *verti*que regique videbunt:

ut Joves utique totidem in cœli solio sedentes, et suum imperium despectantes. Cicero, de nat. deor. ii. 38.—"quum autem *impetum cœli* cum admirabili celeritate moveri *vertique* videamus." Qui locus explicabitur infra, ad v. 201.—Porro, hinc pendet phrasis ειλισσομενος αιων, in Euripidis Herc. fur. 673. et magna messis consimilium in Græcis poëtis La-

Quis pariter cœlos omneis convortere, et omneis
Ignibus ætheriis terras subfire feraceis;
Omnibus inve locis esse omni tempore præsto,
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, et ædeis

tinisque; quia ex corporum cœlestium circumactione scilicet *temporis* mensura petitur.

Ver. 1097. *terras:* Vind. Π. *terra.*—*subfire:* Π. *sufficere;* V. ed. *suffice;* volens fortasse, *suffisse:* quod arrisisset; similis enim temporum variatio Maroni in primis placuit.

Ibid. *subfire:* i. e. vaporare, uti per aptissimam omnium vocem Lambinus interpretatus est: nam, exemplo novo hujusce dictionis, ad secundariam significationem noster provexit, ut *lucem* denotaret; quum *fumus*, ut plurimum, in *lucem* exeat.

Ibid. *terras feraceis:* i. e. almas, frugiferentes, ut olim ad i. 3.

Ver. 1098. *inve:* Π. *nive;* Vind. Q. Δ. *inque*, ut communes editiones: nos meliorum et plurium librorum auctoritatem nullo pacto deque susque habendam esse existimavimus.—In sequente, P. O. dant *et*, pro *ut*.

Ver. 1099. *Nubibus ut tenebras faciat:* i. e. ut sit ille Homereus *νεφεληγερετα Ζευς*, Il. A. 511. coactor aëris in nubem, ut Virgilius, Æn. v. 20.

Ibid. *cœli serena.* Hæc non sunt acerbius exigenda, quasi poëta de fulmine portentoso loqueretur, quod cœlo nubium puro aliquoties fit: accipies potius *το serena*, ut epitheton perpetuum, ad Homeri *ουρανον αστεροεντα:* nam *cœlum* semper est *serenum* et *stellatum* per se; sed hominibus nec *serenum* nec *stellatum*, si nubibus obductis ab oculorum intuitu sit interceptum.

Ibid. *cœli serena Concutiat sonitu.* Similiter Terentius, Eun. iii. 5. 42. quem Faber occupavit:

> At quem deum? qui *templa cœli* summa *sonitu concutit.*

Ver. 1100. *tum:* P. O. *cum*, vel *quum;* quod ex conjecturâ reponendum esse animo meo dixeram.—*fulmina:* O. Π. *flumina;* uti passim in his vocibus librarii turbant.

Ver. 1101. *Ipse:* hanc lectionem, ad usitatissimam Latinis poëtis formulam et elegantem, ex Lactantio restitui, qui laudat hos versus ad div. instt. iii. 17. vice *τυ Sæpe* omnium librorum, huic loco neque multum apti, atque admodum frigentis. Non aliter M. Tullius, in ejus versibus ibidem citatis, ac dignis profecto, qui cum Lucretii, vel Virgilii, quibusvis comparentur; at paullo secus apud ipsum Ciceronem, de div. i. 12. ii. 20. lectis:

> Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo,
> *Ipse suas* arceis atque incluta templa petivit,
> Et Capitolinis injecit sedibus igneis.

Porro, *suas:* Π. *suos.*—*in* abest Vind. Q. Δ. Π. Σ.—*recedens:* Vind. Q. Δ. Π. *decedens.*

Ibid. *in deserta.* Dictum est per oppositionem præcedenti *ædeis:* nunc in *urbibus*, nunc in *sylvis*, promiscue et nullâ cum providentiâ, exercens telum. Hinc Persius, ii. 24.

> ———————— cum *tonat*, ocyus *ilex*
> Sulfure discutitur sacro, quam tuque, *domus*que:

et Horatius, od. i. 12. fine:

> Tu, parum castis inimica *lucis*,
> *Fulmina* mittes.

Etiam Ovidius apposite, amor. iii. 3. 35.

> Jupiter *igne* suo *lucos jaculatur*, et *arces.*

Ver. 1102. *quod:* P. V. ed. *quo;* ad meum gustum elegantius.—*nocenteis* deest Π.

Ibid. *telum:* ut Virgilius de *fulmine*, geo. i. 332.

Ipse suas disturbet; et, in deserta recedens
Sæviat, exercens telum; quod sæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque, post mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris, et terræ, solisque, coortum,

———————— Ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia, *telo*
Dejicit:

et Germanicus, ver. 432. Arateorum, Virgilium imitatus, in loco insignibus erroribus deturpato:

Ægoceros imbres, et, crebro *fulmine* ruptos,
Nubibus elidet sonitus, tremuloque nitore
Flagrantis teli mortalia *lumina vincet.*

Vulgo, *lumine, numina vincent.* De permutatis *numen* et *lumen*, inspice notas ad ver. 740. Et *vincere lumina* elegans est locutio, pro "præstringere violenter oculorum aciem." Epigramma 6. lib. i. Anthol. Lat. Burm.

Quænam hæc forma? Dei. Cur versa est? Fulgura lucis
Divinæ non fert debilis hæc acies.

Cæterum, colore orationis Lucretianæ pulchros quosdam versus penitius imbuit Claudianus, de laud. Stil. ii. 26.

Ætherii patris exemplo; qui, cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula defert
In scopulos, et monstra maris; nostrique cruoris
Parcus, in Oetæis *exercet fulmina sylvis.*

Pro *sonoro*, libri quidam *sereno;* quod fortasse verum: si vero, ad illud nostri, vi. 246. capiendum foret cum nonnullis interpretibus in Horatii locum, od. i. 34. 8. et Maronis, geo. i. 487. Vice *Cyclopum*, Heinsius voluit *Cyclopia:* infelicissime, ob sequentes *sp.* De quo plura, ad iv. 77.

Ver. 1103. *Præterit:* P. *Perterit.*—*exanimat:* Π. Ω. *examinat:* qui solennis, literis transpositis enatus, error. Exemplum est in Ionis Chii versibus apud Athenæum, ii. 1. de *vino* loquentis:

Ἡδιστον προπολον βαρυγδουπων ΕΡΩΤΩΝ:

Corrige, ἙΟΡΤΩΝ· *epularum.* Eâdem apothecâ medela Plutarchi, i. p. 228. A. videtur depromenda: Εγινετο δε τοιουτον ουδεν· αλλα, δια του στρατοπεδου των πολεμιων αχθεντες, ενετυγχανον αυτῳ μετ' ΟΧΛΟΥ καθεζομενῳ, και βαρυτητος ουκ ανεκτης. Lego, μετα ΧΟΛΟΥ: nam χολου και βαρυτητος idem est cum βαρυν θυμον, vel βαρειαν οργην, Theocriti, i. 96. Apollonius Rhodius, iv. 585.

Φθογγην τε, Ζηνος τε ΒΑΡΥΝ ΧΟΛΟΝ—.

Ita, denique, persanandum putem Silii versum, criticorum conjecturis vexatissimum, viii. 550.

Ille viris pila, et ferro circumdare pectus,
Addiderat: leviora *modo*, de more parentum,
Gestabant tela, ambustas sine cuspide cornus:

modo: i. e. antea, dudum, vel antiquitus. Libri exhibent, *domo.*

Ver. 1104. *tempus genitale:* i. e. horam natalem. Ovidius, iii. 13. 17.

Libaque dem pro me, *genitale* notantia *tempus.*

Inversio poëtica verborum Silio placuit, ad Pun. xiii. 528.

——— primo *mundi genitalis* ab *ævo.*

Ver. 1105. *coortum:* V. ed. *cohetum;* volens, *cohortum:* uti passim cum aspiratione librarii mediæ ætatis scribunt; et hic in Ω. scripserunt.

Ibid. *Primigenum.* Glossarium vetus: "*Primigenus*, πρωτοτοκος." Avienus in limine Arateorum, eleganti carmine:

Flos et flamma animæ; qui, discurrente meatu,
Mentis *primigenæ* penetralia dura resolvens,
Implevit largo venas operatus amore.

Sed quorsum illud *dura?* Equidem parum concoquo. Si diffindas illud *d* in partes ejus *cl*, habebis *clura;* unde nullo negotio genuina vox enascitur:

Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne:
Unde mare et terræ possent augescere; et unde
Adpareret spatium cœli domus, altaque tecta
Tolleret a terris procul; et consurgeret aër.
Nam, sua quoique, locis ex omnibus, omnia plagis
Corpora distribuuntur, et ad sua secla recedunt:

Mentis primigenæ penetralia *clusa* resolvens:

vide ad ver. 1035. Et ordo est in Lucretio: "Post diem primigenum coortum "maris, et terræ, solisque:" atque ita locutus est, quia dies his omnibus prima inceperit *unâ cum exorto* sole.

Ver. 1107. *contulit:* P. *contudit;* inepte.—*Omne:* O. *orbe;* non male, sed ex interpretatione tantum, ni fallor.

Ver. 1109. *Adpareret:* P. *Aptaret;* V. ed. O. Δ. Π. *Apparet;* ad genus idem aberrationis, quod indicavimus supra, ad verr. 855. 1045.

Ibid. *cœli domus.* Ennius in Ausonio:

——— Divôm *domus*, altisonum *cœl.*

Ad eundem modum Mantuanus, Æn. x. 1.

Panditur interea *domus* omnipotentis *Olympi.*

Addam Propertium, iii. 3. 48.

Quis deus hanc *mundi* temperet arte *domum?*

Post Græcos utique. Pindarus, Nem. x. 165.

——— ΟΥΡΑΝΟΥ ἐν χρυσέοις ΔΟΜΟΙΣΙΝ.

Porro, scripsit Lucretius, aut ego multum fallor:

——— cœli domus, altaque *templa:*

ut sæpe alias; id, quod tibi satis ostendent indices: et similiter Ennius locutus est in fragmentis, saltem quater, ut cuivis notum est: videas Hesselium ad Enn. fragm. p. 35. Varronem, de ling. Lat. vi. 2. et quæ diximus supra, ad ver. 28. Manilius, i. 448.

Queis innixa manent *cœli* fulgentia *templa:*

ut alibi plus semel. Denique, ipsius loci dignitas luculento testi sit Lucretium non aliter loqui potuisse. Humilius fuisset in hoc sublimiore versu τὸ librorum *tecta.*

Ver. 1110. *a terris:* Δ. *alternis;* O. *a tectis.*—*consurgeret:* Δ. *surgeret.* In versu priore, Π. *recta*, pro *tecta:* et mox, loco *Nam quoique*, idem habet, *Tam conque.*

Ver. 1112. *distribuuntur et ad sua secla:* Π. *distribuunt et adversa.*—*secla recedunt:* nonnulli, sed sine libris MSS. *semina cedunt:* longe ineptissime. Nihil mutandum est. Vocem *secla* scilicet, γενεας, γενη, *genera*, sæpe ad *animalia* noster transtulit: in hoc autem loco latius abutitur, de rebus omnibus intelligendam volens, mundum constituentibus. Aliæ sunt doctorum virorum conjecturæ, quas vitiosâ nuce lautus lector non emat, sed silentio transcursas malit; et libris et Minervâ pariter invitis excogitatas.

Ver. 1114. *procudunt:* P. *producunt;* solenni librariorum lapsu, uti ad Horatium, art. poët. 59.—*æthera:* O. Δ. Σ. *æthera.*—*que* abest V. ed. Δ. et *æther* etiam, Vind. O. Q. Π. Σ.

Ver. 1115. *Denique:* i. e. *jam tandem;* post auctum scilicet rerum, pedetentim ac gradatim, temporis decursu, factum, omnia suam maturitatem attigere. Sic, exceptis Δ, Ω. nostri libri ad unum, cum Nonio, ii. 698. editores autem *Donicum;* et de Leidensibus membranis Havercampus tacet, sed nullus dubito, quin hæ reliquis consentiant: ut illud *Donicum* sit merus arbitrii fetus, Lucretio pro more non legitime obtrusus.—*perfica:* Q. *perficia;* reliqui omnes, et Nonius l. c. *per-*

Humor ad humorem, terreno corpore terra,
Crescit; et ignem ignes procudunt, ætheraque æther:
Denique, ad extremum crescundi perfica finem
Omnia perduxit rerum Natura creatrix;
Ut fit, ubei nihilo jam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit.
Omnibus hiis ætas debet consistere rebus;

fice; quamvis nihil de scripturâ in L. M. sit relatum: procul dubio mendose. *Perfica* nomen est inhonesti numinis apud Arnobium, lib. iv. pp. 131. 133. "quæ "obscœnas illas et luteas voluptates *Ve-* "*neris ad exitum perficit:*" et Lucretius videtur, nec inscite nec incommode, ad bonos exitus rerum naturalium dictionem jam usu tritam deduxisse. *Perfica* igitur non aliud sonat generaliter quam *perfectrix*, sive sit in munere suo Venus, sive in suo sit Natura.

Ibid. *extremum finem.* Virgilius, geo. iv. 116.

——— *extremo* sub *fine* laborum.

Et hæc locutio ob hanc caussam videtur invaluisse, quod eventorum omnium, ut lineæ cujuslibet, *duo* sint *fines*, vel extremitates; hæc, quâ incipiunt; illa autem, quâ terminantur.

Ver. 1116. *perduxit:* P. Δ. Π. Σ. *produxit;* non male, si modo sincera sit nonnullorum codicum lectio ad Virgilii ecl. i. 73.

——— en! quo discordia civis
Produxit miseros!

Sed ibi malim equidem *Perduxit;* nec mihi vel Heinsius, vel alius quivis, persuaserit τo *producere* ferri posse in tali sensu, aut locos, qui ad hoc evincendum solent admoveri, non vitiatos circumferri. Qui *producit* aliquem, quodam tenus eum comitatur; qui *perducit*, ad finem usque itineris unâ pergit. Hæc, si accurate constituimus, in illâ varietate harum dictionum, quæ passim obtinet per scripta Romanorum, dijudicandâ multum adjuvabunt.

Ver. 1118. *fluit:* Π. *fluvit;* qui codex alibi hanc literam interposuit.

Ibid. *venas.* Hic latiorem significationem dictio sibi vindicat, pro meatibus omnibus, vel *caulis*, totius corporis: vide ad ver. 950. notata. Appositissime in hanc rem Isidorus, xi. 1. "*Venæ*,—rivi "per corpus omne divisi; quibus universa "membra irrigantur."

Ver. 1119. *consistere:* i. e. "*unâ* stare;" eo quod *multæ* sint. Hæc est verbi compositi potestas. Sensum loci, paullo abstrusiorem, sic in aperto contempleris: "Necesse est, ut ætas, vel vita, vel condi- "tio denique, harum rerum omnium, "maris utique, telluris, solis, ætheris, "atque animalium, suam maturitatem "attingentium, progredi desinat, et per- "maneat stativa; naturâ jam tandem suas "vires refrenante."

Ver. 1120. *Heic*, vel *Hic:* ita P. V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. reliqui, *His;* ut vulgares editiones.—*auctum:* V. ed. Π. *auctam.*

Ver. 1121. *hilare:* ita mihi tutius visum est rescribere, varietates codicum perpendenti. P. V. ed. *hilari;* Vind. *hilaro;* L. M. Q. Σ. *hilar;* O. Δ. *hilarem;* prisci codd. Pii, et Ω. *hilum;* Π. *illas.*—*ad auctum:* sic Vind. V. ed. B. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. sed P. Q. L. *adauctu.* Adi S. Charis. p. 180.

Ver. 1124. *Dum:* Δ. *Tum.*—*inditur:* P. Π. *diditur*, ut vulgares editi, tritiorem dictionem rariori præponentes. Non ali-

Heic, Natura suis refrenat viribus auctum.
Nam, quæquomque vides hilare grandescere ad auctum,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ,
Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt;
Dum facile in venas cibus omneis inditur, et dum
Non ita sunt late disparsa, ut multa remittant,
Et plus dispendii faciant, quam vescitur ætas.

ter, ac noster, tamen Plautus, Cas. ii. 3. 31.

——————— Dii me et te infelicitent,
Si ego *in os* meum hodie vini guttam *indidi.*

Belle, ut omnia, Avienus, orb. desc. 716.

Lesbus item et Tenedus per aperti marmora ponti
Expediunt arces, et culmina nubibus *indunt.*

Sic etiam Ovid. met. vii. 788. et alii. Liceat poëtæ nostro varietate sermonis conspersum carmen suum dare. Et apposite Aurelius Victor, de vir. illust. xviii. 3. referens Agrippæ fabulam celeberrimam: "Cum eo pacto et ipsi deficerent, intel-"lexerunt ventrem acceptos *cibos per om-*"*nia membra disserere.*" Confer etiam Livii locum, interpretibus Aurelii laudatum.

Ver. 1125. *late:* Π. *læte.*—*ut:* V. ed. *et.*

Ver. 1126. In hoc versu plane aliquid est, quod contra poëtæ mentem faciat. Constat quippe hæc verba, *quam vescitur,* opposita illis esse, *plus dispendii faciant:* itaque *τι vesci* significaret *acquirere, parare:* cui rei linguæ Latinæ usus reclamat. Faber. Hoc ignoravit scilicet, *vesci* aliquando active sumi; quod tamen Phædrus suus eum docere potuisset:

Illæ credentes sese tradunt milvio,
Qui regnum adeptus cœpit *vesci singulas.*

Similiter Tibullus quoque, ad eleg. ii. 5. 63.

——— sic usque sacras innoxia *lauros*
Vescar.

Et alii bene multi. Bentleius.

Ver. 1127. *atque recedere:* L. M. *ac decedere;* si dignum est Havercampo credere.

Ibid. *fluere corpora rebus.* Sic Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 48. *Και γαρ ῥευσις απο της των σωματων επιπολης συνεχης συμβαινει, ουκ επιδηλος αισθησει δια την ανταναπληρωσιν,* ΣΩΖΟΥΣΑΝ *την επι τω στερεμνιω θεσιν, και ταξιν, των ατομων, επι πολυν χρονον· ει και ενιοτε συγχεομενη ὑπαρχει.* Ita castigandum: vulgo, *σωζουσα.*

Ibid. *recedere rebus.* Regimine parum pervulgato Plautus usus est, Amphit. i. 1. 85.

Nec *recedit loco,* quin statim rem gerat.

Statius etiam, Theb. ii. 540.

——— *audenti* deus, et Fortuna, *recessit.*

Ver. 1128. *manus:* V. ed. *minus.*—*adcedere:* Π. *accidere.*—*debent:* Vind. *debet.*—Et *dandum manus,* ut *timendum pœnas,* i. 112. Varro, de re rust. i. 11. 12. "*Dandum operam,* uti potissimum—;" qui frequentat hanc formulam. Vide sis ibi Gesnerum.

Ver. 1129. *Donec:* Δ. *Donicum;* omnes alii, ni fallor, tam MSS. quam impressi, prout edidimus: nisi quod Nonius in voce *adolere* habeat, *Dumque.*—*alescundi:* Nonius l. c. *adolescendi;* et ita fortasse tutius fuisset locum constitutum reliquisse:

Dumque adolescundi summum tetigere cacumen.

Vel hac enim lege constructio satis inoffensum pedem ducit: "Sed plura debent "accedere; atque *id quidem,* dum suam "maturitatem perveniant." Sed Nonius memoriâ labi poterat, et libris tot consentientibus tutissimum, hac saltem occasione,

Nam certe fluere atque recedere corpora rebus
Multa, manus dandum est; sed plura adcedere debent,
Donec alescundi summum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis et robur adultum
Frangit, et in partem pejorem liquitur, ætas.
Quippe et enim, quanto est res amplior, augmine adempto,
Et, quo latior est, in cunctas undique parteis

videtur obtemperare. Jam vero *alescendi* valet *crescendi*, alimentorum ope procedendi. Varro, de re rust. i. 2. 5. "Illic "in semestri die, aut nocte, quemadmo-"dum quidquam seri, aut *alescere*, aut "meti, possit?" Idem, ibid. 44. 4. "Quæ "nata sunt, inquit, in fundo *alescunt*, *a-*"*dulta* concipiunt—." *Adulta* autem est *adalta*; mutatâ tantum, ut fit, literâ per compositionem. Huc referas, me auctore, *aboleo* et *adolesco*, cum cognatis; nam fidens affirmaverim dictionem *olesco*, quam Lucretio editores obtruserunt, nihili esse, et vero Latio ignotam. Festi glossa, hujusce verbi parens, ad hanc sententiam ut sit concinnanda, nullus dubitem: "Su-"boles ab *alescendo*, id est crescendo, "*dicta*; ut *adolescentes* quoque, et *adul-*"*tæ*, et *indoles*, dicitur." Libri, *olescendo* et *dictæ*. Eadem sane cantilena nobis occinitur in *Adolescit:* sed, si librarii sana omnia reliquerint, quis ambigat ipsum grammaticum erravisse, quum in promptu sit fons Græcus, unde vocabulum emanaverit, ἀλδεῖν vel ἀλδήσκειν? Iterum Varro, ii. 4. 19.—"mater neque potest sufferre "lac, neque congenerati *alescendo* robo-"rari." His tamen glossarium vetus adversatur: "*Olesco*, αὔξομαι:" et, "*Olesco*, "αὐξάνομαι." Dijudicet eruditus lector, et has lites componat.

Ver. 1130. *minutatim*. Mantuanus ille, geo. iii. 485. vocem præstat:

> Ossa, *minutatim* morbo conlabsa—.

Arnobius, lib. iv. p. 136.—"ne longum "videamur, et nimium *minutatim*, velle "capita ire per singula—."

Ver. 1131. *in* abest Δ.—*liquitur:* O. Δ. *linquitur*.

Ibid. *Frangit—liquitur ætas:* i. e. tabescit. Arnobius, lib. ii. p. 54.—"mor-"borum incommoditatibus *frangimur*, et "*senectutis* destruimur *tabe*." Cæterum, ex loci totius indole multum Virgilius hausit, ad Æn. ii. 169.

> Ex illo *fluere*, ac, retro sublapsa, referri,
> Spes Danaûm; *fractæ vires*, aversa deæ mens.

Ibid. *in partem pejorem liquitur ætas:* i. e. in senectutem; quemadmodum et Ausonius, Mosell. 95. de *barbo* pisce:

> Tu melior *pejore ævo:* tibi contigit, omni
> Spirantum ex numero, non inlaudata *senectus*.

Ver. 1132. *et enim* absunt O. Δ.—*est res* vocabula iisdem transposita leguntur: unde fortassis *est* recte deest Ω.—*amplior:* P. Vind. V. ed. Q. Π. Ω. *amplius*.—*augmine:* Π. *agmine*.—*adempto:* Vind. Q. Δ. *dempto*, ut editi plures.

Ibid. *adempto*. Ita scribimus, Prisciano morem gerentes, qui, ad p. 897. lib. x. sic edicit: "Emi vero *emptum* facit; "quod ideo assumpsit *p*, quia non potest "*m* ante *t* sine *p* inveniri, euphoniæ "caussâ; ut sumptus, promptus, comp-"tus."

Ver. 1134. *Plura modo*. Ordo est, et constructio: "Et, quo *modo* latior est, *eo* "modo plura dispargit;" pronomine ex alterâ parte subaudito, et ex alterâ substantivo: et his quid frequentius? Editores tamen, singularem per audaciam, inquieti semper, donec Lucretii stellis nebulas proprias adsperserint, nobis procudere, *Pluria eo*, vice *Plura modo*.—*dispargit:* ita Δ.

Plura modo dispargit, et a se corpora mittit;
Nec facile in venas cibus omnis diditur ei;
Nec satis est, pro quam largos exæstuat æstus,
Unde queant tantum suboriri, ac subpeditare.
Jure igitur pereunt, quom rarefacta fluundo
Sunt; et, quom externis subcumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit;

cæteri, *dispergit.—et a se:* Vind. V. ed. Δ. Π. *etas et*, portentosâ ratione commixtis literis; de quo fonte vitiorum, videas ad ver. 185.

Ver. 1135. *venas:* Π. *veras.—diditur:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. *deditur;* vitiose: confer iii. 703.

Ver. 1136. *pro quam:* V. ed. *pre quam;* O. *pro qua;* Δ. *per quam;* uti volebat, opinor, V. ed.—*pro quam largos:* P. *cum prælatos;* et in notis, *quæ per latos: sitis* etiam, pro *satis.* Has autem diversitates peperit, procul omni dubio, exquisitius dicendi genus, sic evolvendum atque impletâ constructione declarandum: "Nec "satis est supplementi, pro *æstibus eis* "quam (i. e. *in quantum*, ut sæpe;) exæs-"tuat largos æstus." Alii aliter versum viri docti tentavere: sed vanos conatus et intempestivos criticorum, sagacitate suâ abutentium, pudet pigetque molestam per diligentiam recensere. Si quid a vulgari orationis formâ remotius in poëtâ doctissimo subinde oriatur, ad conjecturas non est impetu temerario statim recurrendum. Confer iii. 200. et vi. 816. Nam in voce *æstus* metaphora videtur delitescere, ex *maris* fluxu et refluxu, vel aquâ fervente, (quod eodem redit) derivata; ebulliente quasi corpore, et circumcæsuram ejus superfuso, ita ut suci per caulas et meatus varios tenui evaporatione, vel halitu, dilabantur. Adeas ver. 562. hujusce libri; et compares Virg. geo. ii. 350. Æn. vi. 240. cum nostro, iii. 1025. vi. 830.

Ver. 1137. *queant:* nempe *corpora;* ver. 1134. Ordo est: "Nec satis est *re-*"*rum,* unde *corpora* queant *in* tantum "suboriri ac suppeditare, in quantum res "exæstuat largos æstus:" nam Δ. Π. Σ. *queat.* Sic autem absolute ponitur verbum *suppedito,* i. 548. et alibi.—Sequitur in P. Δ. Π. Σ. versus, quem reliqui meliores libri non agnoscunt, et nos ideo expungendum duximus:

Quantum opes est, et, quod satis et, natura
novare.

Nempe, putidum est atque supervacaneum, ex margine ingressum, cujusdam glossatoris additamentum. Eadem censura Bentleii judicio placuit. Mox idem fere versus opportunior ostenditur.

Ver. 1140. *defit:* Π. *desit.* Mox Ω. *Otruditantia.*

Ver. 1141. *tuditantia.* Translatio est a fabrili officinâ derivata. Paullus, qui Lucretii versum laudat: "*Tuditantes* "significat—*tundentes.*" Et statim: "*Tu-*"*dites,* mallei; a *tundendo* dicti:" uti glossarium vetus, si modo recte scribatur: "*Tudites,* σφυραι." Vulgo: *Tudices.* Lexica locum proferunt ex Ætnâ Lucilii, ver. 557. sic ad mentem utique Scaligeri emendatum:

——————— ut cum
Fabriles *operæ tudibus contundere massas*
Festinant.

Sed, ut omittamus invenustam locutionem, *tudibus contundere,* an et illud etiam condonandum, *tudibus* ex aribitrio, vice *tuditibus?* Sane *operæ,* pro *operas,* proba est emendatio; cætera ad fidem codicum se purissime habent, et elegantissime:

——————— ut cum
Fabriles operæ *rudibus contendere massis*
Festinant.

Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora confacere, et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem, putreisque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando,
Et fulcire cibus; cibus omnia subtentare.
Nequidquam; quoniam nec venæ perpetiuntur

Sic Horatius, sat. ii. 7. ult.

——— accedes *opera* agro *nona* Sabino.

Laboriosissimas autem fabrorum cum massis ingentibus luctationes nihil magis ad vivum poterat depingere, quam vox *contendere:* sed omnia tenebricosa, subtilia, tortuosa, Scaligero placebant.

Ver. 1142. *et domare:* Π. *ex donare.*—Post hunc versum, thema sequentis disputationis, cum varietate quâdam lectionis, vix tanti ut digna sit recenseri, in ordinem carminis digestum comparet in V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω.

Jamque senem mundum, et pusillius omnia nasci.

Recte scribitur in Σ. ut titulus.

Ver. 1144. *dabunt ruinas.* Maro, Æn. ii. 310.

——— Jam Deïphobi *dedit* ampla *ruinam*,
Volcano superante, domus.

Ibid. *labem.* De hac voce Davisium consulas, ad Ciceronis de nat. deor. ii. 5. Sed nec tamen non apponam ipse locum inter primos tempestivum, qui viri doctissimi diligentiam videtur effugisse, ex Justino, xxx. 4. 3. "In Asiâ quoque "eâdem die idem motus terræ Rhodum, "multasque alias civitates, *ruinarum labe* "concussit, quasdam solidas absorbuit:" ut mox, vi. 544.

Terra superne tremit, magnis *concussa ruinis*.

Atque, ut *dabunt labem* Lucretius, simplici voce Statius, Theb. i. 632.

Labuntur dulces animæ.—

Denique, hoc Epicureorum dogma, de mundi corruptione, Seneca luculenter exposuit in Œdipo suo, ver. 382.

Quidquid sol oriens, quidquid et occidens,
Novit; cæruleis oceanus fretis
Quidquid, vel veniens, vel fugiens, lavat;
Ætas Pegaseo corripiet gradu.

Ver. 1145. *integrare novando:* vocibus vitiose dispartitis, V. ed. Π. Σ. *integra renovando.*

Ibid. *integrare.* De hoc vocabulo, vide sis Nonium Marcellum, ii. 455. cum Donato ad Terent. And. iv. 2. 5. Redeas etiam ad i. 1031.

Ver. 1146. *cibus cibus:* Vind. V. ed. Q. Δ. Π. Ω. *cibus et;* O. *cibos et;* P. *cibis ac.* De hoc genere erroris, qui repetitione dictionis generatur, inspicias dicta ad i. 835.

Ibid. *fulcire cibus.* Horatius, sat. ii. 3. 153. ubi Bentleius docte phrasin illustrat, Lucretii nostri non oblitus:

Deficient inopem venæ te, ni *cibus*, atque
Ingens accedat stomacho *fultura* ruenti.

Ibid. *cibus subtentare.* Cæsar, de bell. Gall. vii. 17. 3.—"ut milites frumento "caruerint, et *pecore*, e longinquioribus "vicis adacto, extremam *famem susten-* "*tarent.*" Augustinus, de mor. eccles. cath. cap. 33. apud Fabrum in lexico: "Viliore victu vivere placet, minimeque "sumptuoso corporis *sustentaculo* ætatem "tranquillissimam ducere." Et scribi rectius puto *substentare;* sed nihil tanti est, ut plures forsitan existimabunt, hæc λεπτολογια: inspice notas ad iv. 954.

Ver. 1147. *Nequidquam:* V. ed. Σ. Ω. *Nec quicquam;* sincerissime, opinor, quod ad *Nec* attinet, et verborum disjunctionem; Π. *Nec quoquam.*—*perpetiuntur:* V. ed. *perpeciuntur;* Π. *perspiciuntur;* qui, in versu sequente, omittit secundum *est.*

Quod satis est, neque, quantum opus est, natura ministrat.
Jamque adeo fracta est ætas; ecfetaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud, ut opinor, enim mortalia secla superne
Aurea de cœlo demisit funis in arva;
Nec mare, nec fluctus, plangentes saxa, crearunt;
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.

Ver. 1149. *fracta:* O. Δ. Π. Σ. Ω. *facta;* lapsu maxime proclivi. Legitur in exemplari codicum Vindobonensium, *affecta;* satis eleganter: sed recentiorum castigationibus eam lectionem equidem adscripserim.—*ecfeta:* Δ. Σ. *effecta;* forte pro isto *affecta*. Sic ad Statii Theb. vi. 873. codex MS. mihi collatus, seculi xii. habet *effectus*, pro *effetus*.

Ibid. *fracta ætas.* Seneca, Œd. 775.

Quæ spatia moriens Laïus vitæ tulit?
Primone in *ævo* viridis, an *fracto*, occidit?

Atque Silius Italicus, vi. 474.

——— tot bellis, totque annis, *fregimus ævum*.

Ibid. *ecfeta tellus.* Virgilius, geo. i. 81.

Effetos cinerem inmundum jactare per *agros:*

per metaphoram, ut quivis videt, a muliere, frequentibus puerperiis delassatâ, ductam. Columellam dicam in hos versus oculos conjecisse, præfat. operis de re rust. —"quod existiment, ubertate nimiâ prio-"ris ævi defatigatum et effetum solum "nequire pristinâ benignitate præbere "mortalibus alimenta." Qui, ad ii. 1. 2. sic proprie et apertius:—"qui falso cre-"didit, parentem omnium Terram, sicut "muliebrem sexum, ætate anili jam con-"fectam, progenerandis esse fetibus in-"habilem."

Ver. 1151. *ferarum ingentia corpora.* Non aliter Mantuanus, Æn. i. 192.

Nec prius absistit, quam septem *ingentia* victor
Corpora fundat humi.

Cæterum, Lucretiani versûs hi enormes numerí magnitudinem rei ipsius peritissime repræsentant. Nec minus feliciter hoc assecutus est Ovidius, met. i. 117.

Perque hyemes, æstusque, et *inæquales autumnos*,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.

Ibid. *dedit partu.* Idem Maro, ibid. 274.

——— geminam *partu dabit* Ilia prolem.

Ver. 1152. *enim mortalia:* V. ed. Δ. Π. *immortalia;* P. O. Ω. *et immortalia;* Σ. *in mortalia;* quæ subnatæ sunt ex breviore scripturâ corruptelæ.

Ver. 1153. *demisit:* P. V. ed. Δ: *dimisit.*—*funis:* Π. *finis.*

Ibid. *Aurea de cœlo funis:* quæ, verbum verbo, reddunt Homeri versum, Il. Θ. 19. nam ad istam fabulam Lucretio allusum esse, vel pueri statim intelligent:

Σειρην χρυσειην εξ ουρανοθεν κρεμασαντες:

ubi scholiastes scite monet, epitheton *auream* ex ornatu tantum poëtico apponi.

Ver. 1155. *genuit:* Π. *gemit;* consimilibus elementorum ductibus.—*nunc:* Δ. *nil.* Et *nec* secundum deest Δ. in ver. 1154. Tangit autem Lucretius, ut opinor, in versu præcedente, Thaletis sententiam, qui ex aquâ censuit omnia constare; non immemor interea (quæ est elegantissima Lambini cogitatio) commentorum poëticorum, quæ fingunt ferociores et immaniores homines, quales recens tellus produxerit, fluctibus marinis, agitatis vehementiori tempestate, generari. Homerus, Il. Π. 34.

——— γλαυκη δε σε τικτε θαλασσα,
Πετραι τ' ηλιβατοι.

Præterea, nitidas fruges, vinetaque læta,
Sponte suâ primum mortalibus ipsa creavit;
Ipsa dedit dulceis fetus per pabula læta:
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore;
Conterimusque boves, et vireis agricolarum
Confacimus, seris vix arvis subpeditatei:
Usque adeo pereunt fetus, augentque labore!
Jamque, caput quassans, grandis subspirat arator

Ad quem locum probe percipiendum Lucretio interprete utamur; et *scopulos* maris, fluctibus verberatos, per *petras* illas intelligamus: quamvis aliud suadeat Virgilius, Æn. iv. 366. Consule Gellium, xv. 21. et interpretes. Dubito tamen, an verba *Nec mare nec fluctus* per hendyaden capienda sint pro *maris*, vel marini, *fluctus;* an conversio sermonis, acceptissima poëtis, librarios ad lectionem immutandam incitaverit; et re verâ scripserit Lucretius:

Nec mare, nec, fluctus *plangentia*, saxa crearunt:

cui suspicioni Mæonides multum favet.

Ibid. *genuit tellus.* Homerus, Il. B. 548. Atheniensibus *αυτοχθοσι* præconium illustre tribuens, sic cecinit:

Δημον Ερεχθηος μεγαλητορος, ὁν ποτ' Αθηνη
Θρεψε, Διος θυγατηρ· ΤΕΚΕ δε ζειδωρος ΑΡΟΥΡΑ.

Ovidius etiam parem virtutem adscribit recenti terræ, dum dubitat, an primum hominem pepererit, ad met. i. 80.

Sive *recens tellus*, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.

Ver. 1157. *primum:* i. e. per auream ætatem. In re tritissimâ, singulare Nasonis testimonium sufficiat, met. i. 101.

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Ver. 1158. *per:* ita solus Π. verissime; reliqui, *et*, *ανευ Χαριτων*· tautologum prorsus et frigidum nobis Lucretium propinantes. Nempe, *dulces fetus* sunt *pecudes;* quarum mentio integritati sensûs omnino necessaria est: hinc autem locus fit numeris omnibus absolutissimus. Ipse Carus, in operis exordio, ver. 14.

——— *pecudes persaltant pabula læta.*

Et Flaccus bene committetur, od. iii. 23. 7.

——— aut *dulces alumni*
Pomifero grave tempus anno.

Pulchre scilicet affectus rusticorum commendat Venusinus noster; quibus utique teneri fetus pecudum sint instar liberorum dulces. Qui aliter locum capiunt, falluntur. Confer Juvenal. xi. 155.

Ver. 1159. *Quæ:* L. M. *Qua.*—*aucta:* Π. *cuncta;* non absurde prorsus.

Ver. 1160. *vireis:* sic P. L. M. Q. reliqui omnes, *viribus;* mendose.

Ver. 1161. *seris:* ita P. solus; V. ed. Π. *feris;* cæteri, *ferrum.* Jam vero phrasis ista *seris arvis*, pro "tarde proven- "tum reddentibus," sine interprete proprietatem suam vociferatur.—*arvis:* V. ed. *arius;* formarum lineis nihil demutatis.

Ver. 1162. *pereunt:* sic Vind. O. Q. Σ. et Pii codices antiqui; V. ed. *pareunt;* B. L. M. *parcunt;* P. Δ. Π. Ω. *pariunt.* Sed enim noster scripsit, ni fallor, aliam vocem, voci *augent* convenientissime ex opposito jacentem:

Usque adeo *marcent* fetus, augentque labore.

—*labore:* sic Vind. V. ed. B. M. O. Q. Δ. Π. Σ. et, opinor, L. quamvis Havercampus taceat. Utcunque autem hæc se res habeat, unice sincera est lectio, quam restituimus, licet P. Ω. dent *laborem;* et licenter ab editoribus obtrudatur *labores.* Hicce nimirum versus est omnium, qui præiverint, quasi *επιφωνημα* quoddam et corollarium generale. Dicit poëta, mirabundus atque indolescens: "In tantum "scilicet non modo *suâ sponte* (ver. 1157.) "fetus non *grandescunt*, (ver. 1159.) sed

Crebrius in cassum magnum cecidisse labores:
Et, quom tempora temporibus præsentia confert

" etiam minuuntur contabescentes; ne-" que adaugeri possunt, ac tolerabilem " saltem maturitatem pervenire, (verr. " 1159. 1160.) nisi ex assiduis improbis-" que laboribus tam boum, quam agrico-" larum." Hac interpretatione nihil expeditius, aut speciosius, lector lepidus desideret: et subinde mirari soleo, Lucretianos editores, pravâ emendandi libidine abreptos, et vano ingenii ostentandi studio obcæcatos, ad sensus auctoris sui vel apertissimos penetrare non raro nequivisse.

Ver. 1163. *caput quassans.* Usus est phrasi Virgilius, Æn. vii. 292.

Tum, *quassans caput*, hæc effundit pectore dicta.

Ibid. *grandis arator.* Ille querulus *grandævus* scilicet; cui omnia præsentia semper sordere et contemni solent: ille utique,

——— laudator temporis acti
Se puero.

Ad eundem modum Terentius, Adelph. iv. 5. 39.

——— An sedere oportuit
Domi *virginem* tam *grandem?*

" *Grandem*, ad *ætatem* veteres retulerunt, " non ad *corpus:*" Donatus in locum. Plene nuper Carus dixit, ad ver. 1140. *grandi ævo;* cui contrarium est Nasonianum illud, ad Liv. 285.

Quam *parvo* numeros implevit principis *ævo!*

Ver. 1164. *Crebrius:* O. II. *Sæpius;* ex interpretatione.—*magnum:* Vossius, indole sermonis nihil intellectâ, haud inscite tamen emendabat, rescribendo *manuum.* Eâdem de caussâ, nempe, quia ad veras loci rationes cæcutirent, dederunt editores ex arbitrio, libris omnibus contra stantibus, *laborem*, vice *labores.* Nimirum, sic se res habet. Versus est utique rariore formâ orationis, et structurâ multum difficili; nec possum non magnopere gratulari poëtæ, veram mentem, sine ullâ sincerarum lectionum mutatione, mihi certissime esse deprehensam: nam diu me frustra exercitatum habuit. *Cassum* scilicet hic loci significat *inane spatium*, vel *barathrum;* et phrasis *cadere in cassum* non valde discrepat τῷ *subsedere pessum* nostri, vi. 588. ubi animadversiones meæ perlegendæ sunt. Nonius Marcellus, i. 217. " *Cassum* veteres " *inane* posuerunt; et arbitrandum est, " ejus verbi proprietatem magis ab ara-" nearum cassibus dictam, quod sint le-" ves, ac nullius ponderis—." Nec multum discordat Servius ad Æn. vii. 421.

Turne, tot *in cassum* fusos patiere labores?

Nam Lucretianis, *cadere labores in cassum*, quid exactius responderit quam ista, *labores fundi in cassum*, vel inane vacuum, ita ut evanescant et perdantur? Jam vero grammaticus honoratus audiendus est: " *In cassum* autem tractum est " a *cassibus*, id est, retibus." *Ob hanc* tamen caussam potius dixerim, et confidenter quidem, nomen a *cassibus* derivari; quod id spatii, cui sinus retis circumjiciatur, pro vacuo bene deputari possit, propter texturam subtilium filorum tenuem et apertam. Phrasem igitur *magnum cassum* aliter ad hunc modum ipse Lucretius extulerat superius, in i. 1017.

Nam, dispulsa suo de cœtu, materiaï
Copia ferretur *magnum* per *inane* soluta.

Cæterum, verba semper sunt disjungenda, et vox composita *incassum* veræ Latinitati non est nota, atque in ultimam barbariem releganda. Plautus huic rei advocetur, Pœn. i. 2. 147.

Bene promittis multa; ex multis omnia in *cassum cadunt:*

uti loquuntur in primariâ etiam notione. Testis sit Ovidius, art. am. ii. 2.

Decidit in casses præda petita meos.

Iterum Virgilius, Æn. viii. 378.

——— nec te, carissime conjunx,
In *cassum*ve tuos volui exercere *labores:*

" ut esses nempe *εἰς ἀέρα κενὸν πονεῖν.*"

Præteritis, laudat fortunas sæpe parentis.
Tristis item vetulæ vitis sator, [acta peragrans]

Hinc intelligendus Apuleius, apol. p. 107. ed. Pricæi: "Verum, ut dii voluere, "quasi cæca bestia, *in cassum* hiavit:" i. e. loco prædæ, nihil præter aëra vacuum morsu complexus est: qualem conatum irritum Manilius sic vivide descripsit, et eleganter, in v. 601.

——— sævit *in auras*
Morsibus, et vani crepitant sine vulnere dentes.

Eleganter etiam Dictys Cretensis, ad iv. 19. de *sagittâ* aberrante, et aëra solum feriente: "Igitur primus Alexander *in* "*cassum* sagittam contendit." Ac similiter ad iii. 18. Hinc Livius, x. 29. 2.—"vana *in cassum* jactare tela:" i. e. in inanem aëra. Valerius Flaccus, ii. 54.

——— quantâ quoties et Palladis arte
In cassum decimæ *cecidit* tumor arduus undæ!

i. e. "in *inane* pelagi hiantis *barathrum*, "navi *solidæ* non offendens." Denique, Columella, iv. 3. 5.—"quod nisi fecerimus, omnis impensa *in cassum recidat*:"—nam dies me deficeret singula laborantem persequi; finis igitur faciendus est: sed multum fallor, si jam animadversa nobis loco veterum unicuique, in quo voces *in cassum* reperiuntur, non multum lucis afferent: saltem, si quis ad hunc usque diem verum hujusce phraseos ingenium perspexerit, me parum conscio perspexit, oculos quoque per omnia diligenter jaculante.

Ver. 1165. *tempora:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. præbent *tempore*.

Ver. 1166. *Præteritis:* O. Δ. Π. Σ. *Præteriti;* et sane referri poterat hæc lectio ad *parentis*, sed parum tamen venuste.

Ibid. *laudat fortunas parentis.* Ita Terentius locutus est, And. i. 1. 70.

——— tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et *laudare fortunas* meas—.

Ver. 1167. Hic et, qui sequitur, versus editoribus prætermitti solent: quum vero, depravati quamvis, in libris melioribus compareant, et præ se ferant eam simplicitatem sermonis et lacteam ubertatem, quibus Lucretii carmen insigniter efflorescit, operam dedimus eos expolire; in unum tantummodo verbum, quod egregie vitiatum nemo denegaverit, audacioris conjecturæ licentiam exercentes. Æquum est, opinor, si *fruges nitidas* ejus (ver. 1156.) *agricolæ* detur lamentari; ut *vitisatori* non minus liceat *vinetorum lætorum* (ibid.) conditionem deflorescentem complorare.—Jam vero scripturarum varietates singulatim dispungamus.—*vetulæ:* V. ed. *vitilæ*.—*vitis sator:* V. ed. Δ. *viti sator;* Π. Σ. *vitisator*.—*acta peragrans:* P. *æqua fatigat;* Vind. *adque fatigat;* omnes alii, *atque fatigat:* unde manifestissimum est ideo scribam aberravisse, quia in finem versûs sequentis oculum conjecerit; nihil igitur subsidii conjecturis relinquitur in characterum ductibus: unde, positâ phrasi, nec loci scopo, nec orationis Lucretianæ colori, dissentaneâ, et uncinis inclusâ, ne pro genuinis temeriter insulseque venditare videamur, quæ supersunt persequentes, lectoris deprecemur indulgentiam, et membranas sinceriores exspectemus: aliter enim de hoc ulcere persanando desperandum esse existimamus.

Ibid. *vetulæ vitis:* i. e. *effetæ*, ver. 1149. assiduis partubus exhaustæ. Cicero, de finn. v. 14.—"et vivere *vitem*, et "mori, dicimus; *arboremque* et novellam "et *vetulam*, et vigere et senescere." Ita locus distinguendus est, quum constructio sit: "Arboremque et novellam et ve-"tulam dicimus; et vigere *dicimus*, et "senescere." Seneca, epist. xii. init. "Ap-"paret, inquam, has *platanos* negligi: "nullas habent frondes.—Jurat,—se om-"nia facere;—sed illas *vetulas* esse."

Ibid. *acta peragrans Temporis:* i. e. oculis animi per spatium vitæ præteritum remissis. Noster, ad eundem modum, i. 75.

Atque omne inmensum *peragravit mente*, animoque.

Temporis, incusat numen, cœlumque fatigat;
Et crepat, antiquum genus ut, pietate repletum,
Perfacile angustis tolerarit finibus ævom,

Et superius in hoc libro, ver. 675.

> Cætera consimili *mentis ratione peragrans*—.

Proba est insuper et venusta locutio, *acta temporis*. Sic Ovidius, fast i. 104.

> Adspice, quam longi *temporis acta* canam.

Ver. 1168. Versus integer abest libris V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. et *numen cœlumque* ex propriis sunt divinationibus pro *nomen seclumque* librorum omnium, qui agnoscunt versum; nempe P. L. M. Q. Ω. nisi quod Vind. habeat, *in sæculumque*. Faciles autem sunt emendationes, et simillimæ, ni fallor, veri. *Nomen* et *numen* plus millies librariis scriptoribus permutari, quis adeo hospes est in veterum Latinorum monimentis, ut doceri postulet? Jam vero inter *celum* et *seclum*, quemadmodum nomina in exemplaribus scriptis exarata reperiuntur, non tantum dissimilitudinis intercedit, quin valde probabilis sit illorum permutatio.

Ibid. *incusat numen*. Ita Maro, Æn. ii. 745.

> *Quem* non *incusavi* amens hominumque, *deorum*que?

Ibid. *cœlumque fatigat*. Noster, iv. 1232.

> Nequidquam *divôm numen*, sorteisque, *fatigant*.

Ibi nos videndi. Horatius, od. i. 2. 26.

> ——— prece quâ *fatigent*
> Virgines sanctæ minus audientem
> Carmina *Vestam*?

Adeas etiam Sil. It. vi. 573. Stat. Theb. ii. 244. cum utrobique enarratoribus; Tacitoque, hist. i. 29. init. Cæterum, ingenui est hominis officium lectores admonere, N. Heinsium, virum in emendandis Latinorum poëtarum libris omnium, quotquot fuere, meritissimum, et post nullos sagacem conjecturarum, hoc pacto distichon, quod jam nunc tractamus, constituisse in ejus adversariis, lib. iii. cap. 8.

> Tristis item vetulæ vitis sator atque *vietæ*
> Temporis incusat nomen, seclumque fatigat.

Critici sagacissimi rationes, quibus hæc asserit illustratque, apud ipsum melius leguntur.

Ver. 1169. *crepat*. Ut strepitantem balbutientis vetuli garrulitatem felicissime verbum hoc depingit! Apposite Horatius, epist. i. 7. 84.

> Sulcos et vineta *crepat* mera:

i. e. "assidue, et incontinenter, de illis "garrit." Venustatem verbi scholiastæ et interpretes minus accurate tenuere. Alcimus Avitus, v. 569. similiter de *humanâ voce:*

> Ultima namque dies defixa est crastina genti,
> Quæ nunc, bella *crepans*, sumptis confidit in armis:

Venusinum quidem secutus, quem hinc probe interpreteris, in od. i. 18. 5.

> Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem, *crepat*?

i. e. "quis vocat vel militiam, vel pau-"periem, gravem?" Quis de miseriis suis loquitur? Addam denique Sedulium, carm. v. 13.

> ——————————— pars esse ferebat
> Hoc tonitrum; pars, *angelicam crepuisse loquelam*.

Porro, vice *ut pietate*, M. habet *suppletate;* sed superscriptum, *ubertate*. Vulgatum Nonius agnoscit, ad iv. 65. in voce *crepare*.

Ibid. *antiquum genus:* i. e. aureæ ætatis homines; qui, teste Ovidio post alios, met. i. 90.

> Sponte suâ, sine lege, fidem rectumque colebant.

Ver. 1170. *angustis:* Π. *augustis;* et solent in his nominibus libri veteres turbare: sic ad Virg. geo. iv. 228. Liv. v. 41. 2.—*tolerarit:* V. ed. P. *toleraret;* sed antiqui codices Pii vulgatam lectionem habuere.

Ibid. *tolerarit ævom:* i. e. vitam sustentaverit. Hinc Virgilius, Æn. viii. 409.

> ——— *tolerare* colo *vitam*, tenuique Minervâ.

Ver. 1171. *multo modus:* Vind. V. ed. *multimodos;* P. *multimodus;* Π. *multimos.*

Quom minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire
Ad capulum, spatio ætatis defessa vetusto.

—*viritim:* Ω. *diritim;* sed illud in margine.

Ibid. *minor agri modus.* Horatius, sat. ii. 6. 1.

——— *modus agri* non ita magnus.

Ver. 1172. *Nec:* O. *Hec;* P. *Et:* ad quam lectionem ejus interpretatio procedere conatur, sed gressu misere claudicante.

Ibid. *Nec tenet.* Nonius Marcellus, iv. 462. "*Tenet*, intelligit, dicit Terentius "Andriâ, (ii. 2. 12.) Rem *tenes.*" Ita noster iterum inferius, iii. 649.

Ibid. *tabescere:* i. e. liqui, fluere; vide ver. 1131. Orosius, hist. ii. 10. de Xerxis reditu verba faciens, scriptorem egit impendio venustum: "Pedestres quoque "copiæ—labore, fame, ac metu—*dista*-"*buerunt.*" Opportunus est etiam Plautus, Capt. i. 2. 31.

Macesco, *consenesco*, et *tabesco*, miser.

Nec minus in Stich. v. 1. 8.

——— quasi *senex*, *tabescit* dies.

Elegantissime, ut omnia, vates Sulmonensis, ex Pont. iv. 8. 49.

Tabida consumit ferrum, lapidemque, *vetustas.*

Arnobius insuper, lib. ii. p. 54.—"morborum incommoditatibus frangimur, et "*senectutis* destruimur *tabe.*"

Ver. 1173. *scopulum* habent omnes libri, exceptis L. M. qui dant *copulum:* unde librarii facilius efficerent dictionem pervagatam *scopulum*, quam rariorem et longe elegantissimam, *capulum* dico; quæ est Havercampi ingeniosissima, ac dignissima pretii quantivis, emendatio. Re intentius meditatâ, hanc conjecturam omnino esse in Lucretii contextum admittendam pro certo vidimus. Metaphora *navis*, ad scopulum appropinquantis, et fracturam subituræ, eleganti utcunque ingenio per se conveniat, minus congruit indoli sermonis, quo locus integer constantissime coloratus est. Vocabula scilicet, *paullatim tabescere*, *spatio vetusto*, *defessa*, *ætatis*, cum notione vetuli, ita gradatim marcentis et senescentis, ut indies faucibus sepulcri immergendus ire videatur, amicissime conspirant. Nonius, ad i. 13. in voce *capulum:* "Sarcophagum, "id est *sepulcrum*, *capulum* veteres dici "volunt, quod corpora capiat:" ubi plura exempla ex priscis scriptoribus protulit, quæ apud ipsum perlegas; et in concilium communes adhibe lexicographos: nam in procinctu positis quid profuerit immorari? Glossarium vetus: "*Capulus*, "φέρετρον:" vide Servium, ad Virg. Æn. xi. 64. et Festum in voce. Tertullianus, de resur. carn. 32. "Et utique triduo "concoquendæ carni viscera ceti tam suf-"fecissent, quam *capulum*, quam *sepul*-"*chrum*, quam senium requietæ atque "reconditæ alicujus sepulturæ." Idem mox, ib. cap. 38. "Post dicta Domini, "facta etiam ejus quid sapere credamus, "de *capulis*, de *sepulcris*, mortuos resus-"citantis?" Denique, in tractatu suo de pudicitiâ, cap. 14.—"per mortem hanc "quoque communem et propriam carnis "ipsius, quæ jam cadaver, quæ *capulum* "esset, immunditiâ irrecuperabili *tabio*-"*sum:*" quorum postrema multum confirmant lectionem Lucretio redonatam. *Capulum* igitur proprie *loculus* erat, in quo cadaver obserabatur, ut reconderetur in sepulcro.

Ibid. *spatio ætatis.* Virgilius, Æn. ix. 275.

Te vero, mea quem *spatiis* propioribus *ætas*
Insequitur, venerande puer—.

Ibid. *spatio vetusto:* i. e. "spatium, "per quod jam diu mundi res cucurre-"rint." Et est locutio ad poëticum schema conformata; nam rectum fuisset, ad hanc demum normam scilicet, dicendi genus:

——— spatio *ætatis* defessa *vetustæ.*

ADDENDA QUÆDAM.

LIB. I.

VER. 7. *tellus submittit flores.* Cum elegantissimâ locutione bene contendet Ovidii consimilis, in met. xv. 81.

> Prodiga *divitias* alimentaque mitia *tellus*
> Suggerit—;

i. e. ὑποφυει, vel ὑποϐαλλει, ut glossæ veteres.

Ver. 13. *perculsæ corda.* Quæ notavimus de hac phrasi, Servius ad Virg. Æn. ii. 559. luculenter illustrabit.

Ver. 14. *feræ pecudes.* Locus Ovidii est, in quo nomen *fera* de *brutis omnibus animalibus* pari modo accipitur, met. xv. 83.

> Carne *feræ* sedant jejunia: nec tamen *omnes;*
> Quippe *equus*, et *pecudes*, *armenta*que, gramine vivunt.

Ver. 30. *mœnera militiaï sopita.* Ammianus Marcellinus, xxxi. 4.—"illis trac-"tibus non nisi peracta, aut *sopita*, au-"diri procul agentibus consueverant *bel-"la.*"

Ver. 35. *tereti cervice repostâ.* Forte an respexerit noster Mæoniden, Od. I. 372.

> Κυτ', αποδεχμαισας παχυν αὐχενα—.

Ver. 69. *neque fana deûm, nec compressit cælum.* Similiter Sophocles, Œd. Tyr. 886.

> Δικας αφοϐητος, ὐδε
> ΔΑΙΜΟΝΩΝ ʽΕΔΗ ΣΕΒΩΝ.

Ibid. *fana deûm.* Isocrates, Nicoc. sub init. pulchre comparetur:—ὡςτε τυς τολμωντας βλασφημειν περι των παιδευοντων και φιλοσοφυντων ὁμοιως αξιον μισειν, ὡς περ τυς εις τα ΘΕΩΝ ʽΕΔΗ εξαμαρτανοντας.

Ver. 71. *ecfringere portarum claustra.* Florus, iv. 2. 21. "*Ærarium* quoque "sanctum—jussit *effringi.*" Vulgata versio Gen. xix. 9.—"jamque prope erat, "ut *effringerent fores.*" Et Exod. xxii. 2. "Si *effringens* fur domum—fuerit inven-"tus—."

Ibid. *ecfringere claustra.* Arnobius, lib. ii. p. 72. im.—"*domos* ut *effrin-"gerent* noctibus—." Ibi videas insuper Elmenhorstium.

Ver. 91. *ferrum celerare.* Hæc scriptura melius convenit Euripidi, in Iph. Aul. 1566. et Musgravii dubitationem tollit.

Ver. 93. *genibus submissa.* Vulgatum teneam, si modo sic interpreteris: "Se "ad genua *patris* demittens." Ita luculenter scilicet Euripides, in Iph. Taur. 363.

> ʼΟσας γενυυ χειρας εξηκοντισα,
> ΓΟΝΑΤΩΝ ΓΕ τυ ΤΕΚΟΝΤΟΣ εξαρτωμενη·
> Λεγυσα τοιαδ'—.

Ita rescribendum, pro Γονατων τε· quum aliter sententia constructione cum inoffensâ non procedat: et vim propriam γε particula nanciscitur.

Ver. 133. *vigilantibus obvia somnoque sepultis.* Hæc locus Celsi, in Orig. cont. Cels. lib. ii. p. 97. multum illustrabit, atque vicissim explicabitur: Ειτα, ὡς δυνα-

μονον τουτου συμβηναι, λεγω δη του φαντασιαν την γινεσθαι περι του τεθνηκοτος ὡς ζωντος, επιφερει, ὡς ΕΠΙΚΟΥΡΕΙΟΣ, και λεγει· Κατα τινα διαθεσιν ΟΝΕΙΡΩΞΑΝΤΑ τινα, η κατα την αὐτου βουλησιν δοξη πεπλανημενη ΠΕΦΑΝΤΑΣΙΩΣΘΑΙ (*vigili* nimirum) το τοιουτον, απηγγελκεναι. Quam distinctionem doctissimus editor non videtur perspexisse.

Ver. 165. *Incerto partu:* adi Burmannum, ad Sueton. ii. 5. 6. nobiscum facientem.

Ver. 188. *E terrâ arbusta salirent.* Notis meis commode apponetur venustissimus locus Pindari, Nem. viii. 69.

> Αυξεται δ' αρετα, χλω-
> -ραις εερσαις ὡς ὁτε δενδρεον ΑΪΣ-
> -ΣΕΙ, σοφοις ανδρων αερθεις εν δικαιοις
> τε, προς ὑγρον αιθερα.

Similiter Etymologicum magnum: Αιγυρος—η παρα το ΕΚ ΤΗΣ ΕΡΑΣ ΑΪΣΣΕΙΝ—.

Ver. 200. *homines natura parare Non potuit.* Receptam lectionem Tertullianus tuetur, de jud. Dom. 28.

> Qui lucem, maria, et cœlum, terramque, *paravit;*
> Ornavitque novum variato sidere mundum.

Ver. 231. Non opus est, ut Æschyli locus, in Pers. 615. solicitetur: et ornatæ phraseos in ver. 228. *animale genus in lumina vitæ reducit*, jam dederat exemplum Pindarus, Nem. i. 54.

> —— σπλαγχνων ὑπο ματερος αυ-
> τικα ΘΑΗΤΟΝ ΕΣ ΑΙΓΛΑΝ
> παις Διος, ωδινα φευγων, διδυμῳ
> συν κασιγνητῳ μολεν.

Ver. 263. Committas etiam cum hoc loco Plut. plac. phil. v. 19. et Ovid. met. xv. 165.

Ver. 327. *mare quæ inpendent sale saxa peresa.* Ita Ælianus, de ann. ii. 22.—ειν δ' αν αἱ κολπωδεις ΠΕΤΡΑΙ, ΒΡΩΘΕΙΣΑΙ τε 'ΥΠΟ ΤΩΝ ΚΥΜΑΤΩΝ τῳ χρονῳ, και κοιλαι γεγενημεναι. Vulgo scribitur in editis, πετραι βρωθεισαι· per mirum ac turpissimum errorem.

Ver. 374. *liquidas vias.* Emiror me Mæonidis oblitum, ad Od. Γ. 71.

> —— πεδον πλωθ' 'ΥΓΡΑ ΚΕΛΕΥΘΑ;

Ver. 405. *montivagæ feraï.* Accedat Priscianus, perieg. 124.

> —— veluti *draco*, flectitur undis,
> Qui juga *montivagus* vastat, sylvasque fatigat.

Ver. 412. *de plano.* In Gruteri inscriptt. p. 408.—" ut et ipsi sint cum " quibus munera decurionatûs, ut paucis " jam onerosa, honeste *de plano* compar- " tiamur—."

☞ Ver. 644. *quæ belle tangere possunt Aureis.* Quibus hæc Maximi Tyrii sunt contraria, diss. xxxi. 3. Απειρου κλαγξαντες, η λεοντες βρυχησαμενοι, γνωρισαι αν τις ΤΩ ΑΤΠΗΡῼ ΤΗΣ ΑΚΟΗΣ την ῥωμην τε φθεγγομενου.——Paullo infra scribendum: γλωττα διελη, και ῳδη ΕΦΙΜΕΡΟΣ. Vulgo, εφημερος. Cognatam vocem non minus certâ emendatione Bioni redonavimus, idyll. vi. 10.

Ver. 650. *super ignis.* Nonnulli capiunt pro *superus*, vel cœlestis; quibus ægre tamen egomet assenserim. *Sic antiquiores* sane; ut Cato, de re rust. cap. 149.—" *super* inferque vicinus—."

Ver. 738. *Ex adyto cordis;* quod æquali cum magnificentiâ dictionis *templa mentis* nominat, in v. 104. Prior Æschylus, Agam. 992. similiter:

> ΦΡΕΝΟΣ φιλον ΘΡΟΝΟΝ—.

Ver. 830. *Anaxagoræ* ὁμοιομερειαι. Cicero, in Acad. ii. 37. quem Lambinus apposuit: " Anaxagoras, materiam infini- " tam; sed ex eâ particulas similes inter " se minutas: eas primum confusas, pos- " tea in ordinem adductas mente divi- " nâ." Ibi consulenda est erudita nota Davisii, Lucretium non negligentis.

Ver. 1032. *gens animantum.* Sic et Sedulius, iv. 118.

> Simon paret ovans, et *aquosis gentibus* instans
> Linea claustra jacit:

post Græcos scilicet; ut Homerus, Il. Β. 87.

> Ηΰτε ΕΘΝΕΑ εισι ΜΕΛΙΣΣΑΩΝ αδιναων—.

LIB. II.

VERR. 24, 25. *juvenum simulacra, Lampadas manibus retinentia dextris.* Locum Eustathius, de amor. Ismen. et Ism. lib. iii. init. pulchre illustrabit:—ἱερω γαρ, περι το δωματιον, ευιον πληθος ουκ ευαριθμητον, οχλον συμμικτον, ανδρων, γυναικων, νεανισκων, παρθενων· λαμπαδηφοροι παντες την δεξιαν· την γαρ τοι λαιαν περι το στηθος ειχον δουλοπρεπως.

Ver. 28. Emendationem Claudiani stabilit Apuleius, met. v. init. "Nam summa laquearia, citro et ebore curiose cavata, *subeunt* aureæ *columnæ.*"

Ver. 51. *vestis splendorem purpureaï:* quali nempe *reges*, (ver. 49. i. e. βασιλικοι, S. Joan. iv. 46.) vel Romani nobiles, (confer Horat. ep. i. 10. 33. Pers. iii. 17.) induebantur. Magnifice Ammianus Marcellinus, xv. 8.—"Cæsaremque admiratione dignâ suspiciebant, imperatorii *muricis fulgore flagrantem.*"

Ver. 163. *solis fulgura:* ad Euripideum illud, in Hec. 68. ω ΣΤΕΡΟΠΑ Διος· i. e. ω ἡμερα, ἡ δικην αστραπης λαμπουσα· uti probe nos docuit etiam scholiastes.

Ver. 195. *sanguis cruorem spargit;* ut Homerus φονον αἱματος· Il. Π. 162.

Ver. 196. Ad hanc notionem dictionis *pulcher* interpreter equidem Virgilium, geo. ii. 137.

Nec *pulcher* Ganges, atque auro turbidus Hermus:

i. e. *validus* ac *vastus;* ut alii quoque passim de hoc flumine poëtæ.

Ver. 209. *cadere sidera.* Julius Obsequens, de prodigg. cxvi. "In eundem locum *sidus* ingens *cœlo demissum.*"

Ver. 210. *Sol lumine conserit arva.* Similiter Heliodorus apud Galenum, ii. p. 445.

Ου μα τον ἐν Τρικκῃ πρηΰν θεον, ου μα τον ὑψι
ΗΕΛΙΟΝ ΣΠΕΙΡΟΝΤΑ θεοις φαεσιμβροτον αιγλην.

Ver. 215. *flammea vis:* sic *impetus Ætnæ*, ver. 593. ad Homeri πυρος ερωην· Il. Π. 127. atque ῥιπης πυρος· ibid. Φ. 12.

Ver. 217. Rescribendum putem:

——— quom deorsum *recto* per inane feruntur:

i. e. itinere. *Recto, rectō, rectom, rectum.*

Ver. 325. *Fulgur ad cœlum se tollit.* Ut Euripides, Homerum æmulatus, Phœn. 110.

——————— κατα χαλκεον ἀπαν
Πεδιον ΑΣΤΡΑΠΤΕΙ.

Valckenaërum videas, Lucretii non oblitum.

Ver. 341. *pari filo.* Ammianus Marcellinus, xiv. sub fin. "Fuit autem formâ conspicuus bonâ, decente *filo corporis*, membrorumque rectâ compage—."

Ver. 355. Hic Lucretii locus perfectissimus videtur in oculis Ovidio fuisse, ad fast. iv. 459. in editione Burmannianâ vitiosissime distincto punctis:

Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quærit fetus per nemus omne suos;
Sic dea nec retinet gemitus, et concita cursu
Fertur; et e campis incipit, Henna, tuis:

i. e. uti vacca deflet ac quærit vitulum, sic dea gemit et celeri cursu filiam investigat.

Ver. 360. *desiderio perfixa juvenci.* Pindarus, Nem i. 81.

Ιετ' αξιαις ΑΝΙΑΙΣΙ ΤΥΠΕΙΣ.

Ver. 363. *subitam curam.* Addas, quibus diximus, locum Flori, ii. 15. 15.—"nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio *subita* de cineribus flamma, prodibat:"—i. e. *suborta*, exorta.

Ver. 389. *luminis minora Corpora sunt.* Appositissima obvenient Maximi Tyrii verba, diss. xxviii. fin.—αινιττομενος την ἡλιου ακτινα, δι' αερος χωρουσαν οἰστου θαττον, ακρατοτεραν της των σωματων συμμετριας· "innuens solares radios, qui permeant aëra sagittâ velociores, purioribus esse atque simplicioribus particulis, quam ex quibus corpora constituuntur." Sic ille locus intelligendus est; ad quem in omnibus falli Marklandum puto.

Ver. 412. *Musæa mele*. Pindarus, Isth. vi. 2.

Δωτηρα κρατηρα ΜΟΙΣΕΙΩΝ ΜΕΛΕΩΝ—.

Ver. 434. Quæ diximus de *tactu*, Nemesius de nat. hom. cap. viii. valde roborat; et in illo hæc potissimum:—αλλα των μεν πλειστων αισθητηριων διαφθειρομενων, ουδεν εις αυτην την ζωην καταβλαπτεται το ζωον· αφης δε απολλυμενης, συναπολλυται και το ζωον· Αφη γαρ μονη των αισθησεων κοινη παντων εστι των ζωων—κτλ. Et postea:—αναμφισβητητην γαρ εχει ταυτην την αισθησιν ὁ ανθρωπος.

Ver. 596. *fluidas frundeis.* Ex Nicandri ther. 391. ut videtur:

Αυαινομενος μαραθου ΧΥΤΟΝ αμφιβοσκεται ΕΡΝΟΣ.

Ver. 598. *magna deûm mater Tellus.* Sic etiam Sophocles, Philoct. 392.

> Ορεστερα παμβωτι Γα,
> ματερ αυτου Διος.

Ibid. et 599. Consentit Pindarus, Nem. vi. 1.

> 'Εν ανδρων, εν θεων, γενος' εκ
> Μιας δε πνεομεν
> Ματρος αμφοτεροι'

nempe, γης· ut recte scholiasta.

Ver. 618. *Tympana tonant palmis.* Hinc Oppiani interpretatio opportunissime peti potest; quem nemo quivit intelligere, cyneg. iii. 283.

ΤΥΜΠΑΝΟΝ, ωκυλαδον, Διδυμαιον, ΩΛΕΣΙΚΑΡΠΟΝ:

i. e. "tympanum *palmas perdens*, vel con-"tundens; ob vim scilicet, quâ *palmæ* "feriunt, ut *tonare* faciant." Nihil certius. Voce consimili se multum ludificari passus est Ruhnkenius, ad hymn. Hom. Cer. 23. de quo peccato nos alibi.

Ver. 629. *armata manus in numerum exsultant.* Hinc haud dubie intelligendus est Justinus, xi. 5. 11. "—*armatus*-"que de navi, *tripudianti* similis, prosi-"luit:"—i. e. ενοπλῳ χορειᾳ.

Ver. 632. *Terrificas capitum quatientes numine cristas.* Ne phrasis *quatientes numine*, sic nude posita, videretur inanis et illepida, dixisset alius levi mutatione:

Terrifico capitum quatientes numine cristas:

sed hujusce, vel simplicitatis, vel incuriæ, innumera sunt exempla nostro.—Cæterum, percommodus accesserit Ammiani Marcellini locus, xx. 11.—"triplex acies "nostrorum instructa, *conisque galearum* "*minacius nutans*,—impetum conaban-"tur in muros."

Ibid. *capitum quatientes numine cristas:* i. e. verbo singulari, κορυθαιολοι· uti capi debet epitheton illud Homereum.

Ver. 636. *pulsarent æribus æra.* Hinc etiam Ovidius sua derivavit, fast. iv. 184.

> Ibunt semimares, et inania tympana tundent;
> *Æra*que tinnitus, *ære repulsa*, dabunt.

Ver. 645. *divûm natura, privata dolore omni.* Homerus, Il. Ω. 526.

> 'Ως γαρ επεκλωσαντο ΘΕΟΙ δειλοισι βροτοισι
> Ζωειν αχνυμενους' αυτοι δε τ' ΑΚΗΔΕΕΣ εισι.

Ibid. et 646. *divûm natura summâ cum pace.* Ad eandem sententiam Horatius, od. iii. 3. 35.

> ———— illum ego lucidas
> Inire sedes, ducere nectaris
> Sucos, et adscribi *quietis*
> *Ordinibus* patiar *deorum*.

Ubi tu fructuose consulas vetustos enarratores.

Ver. 649. *Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.* Certe, quod minus equidem attenderam ad locum, hæc Virgilius haud dubie recordabatur, in geo. ii. 428.

> ———————— ad sidera raptim
> *Vi propriâ* nituntur, *opis*que haud *indiga nostræ*.

Ver. 800. *Pluma columbarum.* Psalmus lxviii. 13. ornatissime:—πτερυγες περιστερας περιηργυρωμεναι, και τα μεταφρενα αυτης εν χλωροτητι χρυσιου. Apuleius, met. vi. p. 393.—"*columbæ*—*picta colla* tor-"quentes—." Max. Tyrius, xxxvii. 4.—εξαπατωσα ἡμας, καθα περιστερας ΕΠΙΧΡΩΣΤΟΝ, *(in superficie tantum)* ουκ αυτοφυες, ανθος. Sic scribendum puto, pro vulgari επιχριστον.

Ver. 804. Iis, quæ de coloribus *cæruleo viridi*que disputavimus, suffragatur Marcellinus, xx. 11.—"postrema (species "iridis visitur) *cæruleo* concreta *et viri*-

"*di.*" Mox ibidem:—"qui color, quan-"to magis diffunditur, concedit in *cæru*-"*leum et virentem.*"

Ibid. *miscere.* Sane Bentleianæ emendationi *lucere* Ammianus idem Marcellinus obstat, ad xvi. 10.—"insidebat au-"reo solus ipse carpento, fulgenti clari-"tudine lapidum variorum: quo micante, "lux quædam *misceri* videbatur alterna." Nec minus, quod magnus Valesius ibidem attulit ex Basilio Seleuceno, ii. 5. zonam describente, auro lapillisque distinctam:—ὡς πολυειδὲς εἶναι τὸ κάλλος, ἐκ πολλῶν τε καὶ ἀλλοχρόων ἀκτίνων ΣΥΓΚΕΡΑΝΝΥΜΕΝΟΝ.

Denique, aliquantillo spatii vacante, confirmare libet lectionem, quam primi dedimus Lucretio, ad i. 71. *ecfringere portarum claustra*, ejusdem Ammiani Marcellini loco, xxi. 12. "Alii ferratas *portarum* "*obices effringendas* adorti, ultro ignibus "petebantur."

Ver. 831. *ecflare colorem:* i. e. "emit-"tere *auras* coloris;" ut Horatius, od. ii. 8. fin. sæpius nobis ad partes vocatus in hisce commentariis. Ælianus eleganter et commode, de animm. iii. 18.—καὶ ἐκπέμπει σμαράγδου χροιάν.

Ver. 847. *nardi florem.* Priscianus, perieg. 984.

Myrrhitenque, bonum *nardi* cum reddit *odorem.*

Ver. 870. *vivos exsistere vermeis, putorem quom nacta est ex imbribus humida tellus.* Multum est appositus his Nicander, in ther. 387.

——————Τῇ δ' ἐλμινθος πέλει ὄγκος,
Ἣ καὶ ἐντερα γῆς οἷα τρέφει ὀμβριμος αἰα·

i. e. *imbrificata terra.* Sensum interpretes, quos vidi, non assecuti sunt. Et vulgo scribitur τῆς· omnino invenuste ac mendose.

Ver. 1046. *animi jactus.* Maximus Tyrius, xli. 2.—Ὁ ΝΟΥΣ, ἀῤῥαγὴς ὤν, καὶ ἄτρυτος, καὶ ἐπὶ πάσας ἐξικνούμενος φύσεις ἀμηχάνῳ τάχει, ὡς ΠΡΟΣΒΟΛΗ ΟΨΕΩΣ, κτλ.

Ver. 1080. Enumeratione simili Tatianus, ad Græc. sect. 14. Τὰ γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς ἑρπετὰ, καὶ τὰ ἐν τοῖς ὕδασι νηκτὰ, καὶ ΤΑ ΕΠΙ ΤΟΙΣ ΟΡΕΣΙ ΤΕΤΡΑΠΟΔΑ—.

Ver. 1122. *gradus ætatis scandere.* Arnobius, lib. vii. p. 249.—"qui annorum "*gradibus* ad eum finem *ascendisset ætatis*—."

Ver. 1131. *liquitur ætas:* i. e. diffluit, *tabescit;* uti mox, ver. 1172. Pulchræ phrasi Mæonides haud dubie viam stravit, ad Od. Ε. 152.

——————Κατείβετο δὲ γλυκὺς ΑΙΩΝ
Νόστον ὀδυρομένῳ, ἐπεὶ οὐκ ἔτι ἥνδανε νύμφη.

Ver. 1146. *fulcire cibus.* Idem scriptor, i. p. 58.—"cum cœperit solidioribus "*cibis* infans debere *fulciri*—."

Ver. 1151. Confer Nemes, de nat. hom. p. 14. im. ed. Oxon.

Ver. 1154. *fluctus plangentes saxa.* Comparari potest Ovidius, epist. xix. 121.

Me miseram! quanto *planguntur litora fluctu!*

Ver. 1160. Ita Celsus Epicureus apud Orig. lib. iv. p. 214. Ἡμεῖς μὲν γε, κάμνοντες καὶ προσταλαιπωροῦντες, μόλις καὶ ἐπιπόνως τρεφόμεθα—.

Ver. 1168. *cælumque fatigat.* Utitur hac phrasi Phædrus, iv. 19. 24.

Cælum fatigas sordido perjurio.

Ver. ult. *Ad capulum.* Pariter Laberius, in Macrob. Sat. ii. 7.

Ita me vetustas amplexu annorum enecat;
Sepulcri similis, nihil, nisi nomen, retineo.

GUÆ GRÆCÆ; in epitomen redegit, CHRISTIANUS GODOFREDUS SCHÜTZ.
Neatly printed in one volume octavo, price 15s. boards.

LAMBERTI BOS ELLIPSES GRÆCÆ, cum priorum Editorum suisque Observationibus. Edidit GODOFREDUS HENRICUS SCHÆFER.
Neatly printed, uniformly with Hoogeveen and Vigerus, price 18s. boards.

FRANCISCI VIGERI Rotomagensis, de præcipuis GRÆCÆ DICTIONIS IDIOTISMIS, Liber, cum Animadversionibus HENRICI HOOGEVEENI et JOANNIS CAROLI ZEUNII, edidit et Annotationes addidit GODOFREDUS HERMANNUS.
Neatly printed in one volume octavo, uniform with Hoogeveen and Bos, price 18s. boards.

GODOFREDI HERMANNI ELEMENTA DOCTRINÆ METRICÆ. Editio Nova.
Neatly printed from the Leipsic Edition of 1816, uniform with the Editions of Hoogeveen, Bos, and Vigerus, price 15s. boards.

HERODOTI HALICARNASSEI Historiarum Libri IX. Ex Editione et cum Præfatione JOHANNIS SCHWEIGHÆUSERI.
Handsomely printed in two volumes octavo.

XENOPHONTIS DE CYRI INSTITUTIONE, Libri Octo, ex recensione et cum notis THOMÆ HUTCHINSON, A. M. Græce et Latine.
Neatly printed, in octavo, uniformly with the Anabasis, 10s. 6d. boards.

XENOPHONTIS DE CYRI EXPEDITIONE, Libri Septem, ex recensione et cum Notis THOMÆ HUTCHINSON, A. M. Græce et Latine.
Neatly printed in one volume octavo, price 12s. boards. A few copies printed in the finest manner, on large paper, price, L.1, 1s. boards.

M. ANNÆI LUCANI PHARSALIA, cum notis HUGONIS GROTII et RICHARDI BENTLEII.
Beautifully printed in one vol. 8vo. 12s. boards. A few copies on large Paper. 18s. boards.

EURIPIDIS MEDEA, Græce et Latine, ex recensione PORSONIANA.
Neatly printed on a small type in a 24mo pocket size, price 4s. boards. A common copy for Schools, price 2s. 6d. boards.

ARISTOPHANIS NUBES, Græce et Latine, ex editione Hermanni.
Neatly printed on a small type, in a 24mo pocket size, uniformly with Euripidis Medea, 2s. 6d. common; 4s. 6d. fine.

ÆSCHYLI CHOËPHORŒ, ex recensione Porsoniana adjecta sunt Choëphoron Chorici Cantus, sicut dispositi sunt in Tentamine V. R. Caroli Burneii S. T. P.
Neatly printed, on a small type, in a 24mo pocket size, uniformly with Aristophanis Nubes. Common; 3s. 6d. fine, 5s. boards.

4

SOPHOCLIS ŒDIPUS TYRANNUS, ex recensione, R. P. F. Brunck.

Neatly printed in 18mo. Fine, 4s. boards; common, 2s. 6d. boards.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCE, cum Versione Latina; secundum curam Leusdenii et Griesbachii. Editum ab Henrico Arnoldo Aiton, V. D. M. Zwollano.

Neatly printed in two vols. 24mo, 6s fine paper, 9s. boards.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCE, cura Leusdenii et Griesbachii.

Handsomely printed in crown 18mo, uniformly with the Regent's Classics, Price 6s. boards.

——— *A common copy, 24mo, 4s. 6d. boards.*

SELECTIONS FROM LUCIAN, with a Latin Translation and English Notes; to which are subjoined, Mythological Index, and a Lexicon adapted to the Work. Compiled for the use of Schools, by John Walker, formerly Fellow of Dublin College.

Neatly printed in 12mo, price 10s. 6d. boards.

CAII JULII CÆSARIS Opera Omnia, ad optimorum exemplarium fidem recensita, notulis sermone Anglicano exaratis illustrata, et indice nominum propriorum uberrimo instructa. In usum Scholæ Glasguensis. Studio Joannis Dymock.

Price bound, 4s.

DECERPTA ex P. OVIDII NASONI METAMORPHOSEON Libri; ad optimorum exemplarium fidem, recensita, notulis sermone Anglicano exaratis illustrata, et indice nominum propriorum uberrimo instructa, in usum Scholæ Glasguensis. Studio Joannis Dymock.

Price 2s. 6d.

P. VIRGILII MARONIS Opera, ad Lectiones probatiore diligenter emendata.

Neatly printed on fine paper, 4s. 6d. boards. A common copy for Schools, price 2s. 6d. bound.

MOOR'S GREEK GRAMMAR, with Dalzel's Fragmenta, 12mo, price 3s. 6d. bound.

EXCERPTA EX LUCIANI OPERIBUS in usum Juventutis Academiæ Glasguensis. Price stitched, 2s.; bound, 2s. 6d.

TACITUS DE SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIÆ. Price 1s. stitched.

TACITI VITA AGRICOLÆ. Price 1s. stitched.

CORNELII NEPOTIS Vitæ excellentium imperatorum; or, Cornelius Nepos's Lives of the excellent Commanders: with an English Translation, as literal as possible: and large explanatory notes, by W. Arrol.

Price 3s. 6d. bound.

